UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur

Vergilius Maro, Publius

Augustae Vindelicorum, MDIC

Liber VI. Ad primum Aeneidos

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-322

Visual Library

SYMBOLARVM IN P. VIRGILIVM MARONEM LIBER VI.

Ad primum Aeneidos.

QVOD SIT PRINCIPIVM TOTIVS Æneidos.

Vper primis istis carminibus positis in fronte operis, Ille ego qui quondam,&c. *dubitatum video, an esset initium Æneidos, necne. Qui id affirmant, præcepto Horatij se tuentur, docentis, ingressum, ac exordium heroici poematis non esse par, ac simile reliquo contextui: sed aliquanto siccius, demissius, ac simplicius: à quo omnis ingenij & doctrinæ ostentatio, omnis granditas, nimius, & exquisitior cultus absit. In quo & Cyclicum poetam castigat, Homerumq; contrà laudat. Ponuntur etiam in culpa à doctioribus Lucanus, & Papinius, quorum principia valde turgida, & inflata, extraq; modum sonantia, & omnino vasta apparent. Aiunt præterea, Virgilium lib. 7. quo loco posteriorum sex librorum materiam proponit, eadem ratione lentè, & quietè exorsum, clariores deinde sonos edidisse.* Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum, Quis Latio antiquo fuerit status,&c. *Quà de enumeratione librorum à se antea scriptorum, id nihil obstare principio: similiterq; Argonautica sua inchoasse Orpheum, aut si quis alius illius monumenti auctor est. Pugnat pro hac sententia Corradus, & quod obijci poterat de propositione, seu inuocatione, seu separata, seu mista, conatur dissoluere.*

Ego verò his, & si qua insuper adduci ad probandum possunt, nec tantillum conturbor, eorumq; sententiam quemadmodum vulgariorem, ita veriorem amplecti malo, qui Æneida ab illo versu ordiuntur: Arma virumque cano,&c. *& versiculos superiores à Varo, Tuccaq; meritò submotos opinantur. Nam ipse quoq; Virgilius pro principio eos haberi voluisse non videtur: sed pro quodam proœmio duntaxat, ex quo nosceret posteritas, ipsum illorum operum, de quibus loquitur, parentem extitisse: ne quis (vt aliis contigit) per summam impudentiam versus alienos suffuratus, librum non suum pro suo euulgaret. Fecit sanè Bathyllus hoc viuo: quod ne iterum, & in re maiore sibi demortuo, aut idem nebulo, aut alius ei geminus faceret, non iniuriâ timendum est arbitratus. Atq; idcirco etiam in fine Georgicorum sua esse, cùm Bucolica, tum Georgica, testari non omisit. Sentio autem, nihilominus teneri præceptum Horatij, quamuis inde cœperimus:* Arma virumque cano,&c. *Est enim hoc quoq; exordium Homerico illi tantopere ab Horatio celebrato, non rebus modò, sed etiam dictione quàm simillimum. Aut vtrumq;, inquam, elatum, calamistris inustum, elaboratissimum, quod negabit Flaccus: aut vtrumq; graue quidem, sed tamen placidum, summissum, ac temperatum est. Vtrobiq; non ex fulgore fumus, verùm quasi ex fumo lux datur, & speciosa dehinc miracula promuntur. De ista quæstione libet transcribere locum Petri Nannij è Miscellan. lib. 6. cap. 11. qui quidem à nobis nihil diuersum docet.*

Passus erat aliquando plagiarium in suis carminibus Virgilius: idem furtum ne denuò pateretur, quasi per catalogum recensuit, quicquid à se vnquam conditum esset, & Bucolica, Georgicaq; ἀνακεφαλαιώσει operi Æneidos quasi conferruminauit, fecitq; id more Orphei, qui in Argonauticôn principio omnia sua poemata breui enumeratione complexus est. Apud veteres enim duplex formido fuit: ne scripta vel à fure occuparentur: vel subdititijs versibus adulterarentur. Atq; hinc est, quod Theognis singulis suis carminibus sigillum apprimi desiderat: ne nothorum subreptionibus ingenua familia poematis inquinaretur.

Κύρνε σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ὀπικείσθω
Τοῖς δ' ἔπεσι, λήσει δ' ὅποτε κλεπτομένη.

Cyrne disertanti mihi fida sigilla parabis,
Quæ clàm de versu tollere nemo queat.

Sed tamen ne sic quidem falsarios euitauit. Multa enim illegitima eius operi aspersa sunt, inter quæ nonnulla Soloni attribuuntur: vt interim taceam de inferioris notæ scriptoribus. Non igitur vano metu sollicitus Virgilius, hanc cautionem contra plagiarios, & falsarios adhibuit. Quod Homero, summisq; viris acciderat, de eo securus esse non potuit. In ipsa autem

tem anacephalæosi, antequam ad propositionem veniat, humili phrasi vtitur, & adhuc Bucolica, vtpote de Bucolicis mentionem faciens, ac nonnihil, sed molliter assurgit, vbi de re Georgica loquitur. Postmodum ad ipsum operis ingressum pertingens, quasi relicta fistula lituum inflare videtur, At nunc horrentia Martis Arma virumque cano. *Sed Tucca cum suis hanc inæqualitatem versuum non ferens, præsertim in ipso vestibulo, vbi omnia sunt conspectiora, ista carmina, quasi superflua recidit. Id quoq; eum incitauit, vt Propositionem Homericam in primo versu æmularetur,* Μῆνιν ἄειδε θεὰ: *cui magna similitudine respondet,* Arma, virumque cano. *Postremò, vt prima auis ad augurium obseruatur, ita primum verbum in poemate pro omine haberi solet: vt, dum audis in prima voce,* Arma, *non nisi bella expectanda putes. His caussis, vt arbitror, inuitatus Tucca, Virgilij indicem de suis operibus Æneidi præfixum, vt inutilem amputauit: vtpote qui Virgilij carmina videbat ipsius morte quasi consecrata, & Augusti cura defensa, nullum defraudatorem, aut adulterum passura. Hucusq; Nannius.*

Quod autem quidam non indoctus homo istam sententiam irridet, de coercendo nimirum fure ac plagiario: quia nihil vetuisset, quò minus illi Georgica surriperentur, quæ tali munimento carerent. Nam versus qui in calce libr. 4. habentur, facilius inde, quàm à principio remoueri potuisse. Præterea constare inter omnes, Virgilium Augusto, & Octauiæ sorori aliquot de Æneide libros recitasse: neq; existere quemquam facilè potuisse, qui se tam inclyti operis parentem atq; auctorem profiteri auderet: ac proinde Tuccam potius, quàm ipsum Maronem hos composuisse, & in limine operis apposuisse versiculos. Quod, inquam, hæc sentit, sanè parum sentit, & leuissimis ratiunculis parùm probat: vt multò plus apud me, quæ in contrariam partem allata sunt, ponderis ad persuadendum habeant. Illud de Tucca, auctore carminum istorum, mihi tum vanum, tum delirum esse videtur, vt ait Lucretius. Sed ad institutum regrediamur. Ex illo quoq; Ouidij disticho, quod legitur 2. Trist. quidam opinantur faciendum Æneid. initium ab his verbis, Arma, virumq;.

Et tamen ille tuæ fælix Æneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumq; toros.

SINGVLORVM LIBRORVM ÆNEIDOS PERIOCHÆ ex Politiani Sylua Manto.

I.

Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, vndisq; & turbine sæuo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placi tum superis) animoq;, domoq; receptet.

II.

Reginæq; hospes diri commenta Sinonis,
Mendaces Graios, vanæ periuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,

III.

Se quoq; iactatum referet terraq;, mariq;.

IV.

Illa auidis bibet ignem oculis, noctemq; diemq;
Nutriet infelix vesanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, soloq; Hymenæus in antro
Affuerit, nullasq; faces mœstum afferet omen,
Fulgoresq; dabit nymphis vlulantibus æther.
Ipse Iouis monitu Æneas rursum ire per vndas
Cogetur vento, rursum Italia quærere regna,
Surgentem Ausoniæ solio impositurus Iulum.
At Phœnissa rogum sæuo furiosa dolore
Incendet moritura, trucesq; in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, prô tristia dona,
Ah niueum per pectus aget miserabilis, ensem.

V.

Discolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterumq; antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora vētis.
Zancleas iterum fessi eijcientur ad oras
Troës, & hospitio fidi accipientur Acestæ.
Hic patris ad tumulum sollemnes ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.

VI.

Tum pelagus relegens amisso præside puppis
Vix tandem Euboica lacrymans potietur arena.
Atq; vbi fata deûm viuacis ab ore Sibyllæ
Hauserit, infernas etiam descendet ad vmbras,
O pietas, manesq; petet per auerua paternos,
Romanosq; suos Lethæi ad fluminis vndam
Conferet, & magnos gaudens cognoscet Iulos,
Paciferumq; ducem, fuluo cui pulchra metallo
Sæcla fluent, cui pressa graui pede bella iacebunt.
His lætus porta ad socios euadet eburna
Dux Anchisiades, Thuscumq; enabit ad amnem.

VII.

Nec dum parta quies, restant bella altera, restant,
Et crassus multo stagnabit funere Tibris.
At tibi Castalijs renouentur pectora lymphis
Chare nepos, nunc nunc ingenti est ore sonandum
Grande opus à tergo. Quis enim alto euincere cantu
Clamoresq; virûm, atq; hinnitus speret equorum?
Tu tamen euinces, licitum tibi maxime vatum
Arma, acies, furias, Martem ipsum æquare canēdo.
Iamq; volans superas Alecto impunè per auras
Tartareum canit, & resides stridentibus hydris
Instimulat, dux ipsa manu Saturnia sæua
Claustra quatit belli, postesque irata refringit.
Iam Latiæ coïere manus, domat aspera duris
Ora lupis sonipes, facilesque in puluere gyros
Flectit eques, ipsæ alpino de vertice syluæ
Præcipitant auidæ phrygios haurire cruores.
Iam rastri pondus rigidum diffingit in ensem
Cædis amor, versique abeunt in pila ligones,
Attritusque caua mutatur casside vomis.
Iamque aurem horrisono rumpunt fera classica bombo,
Armorumque minax perstringit lumina fulgor.

VIII.

Dumque alacres secum in Martem Cythereïus heros
Arcadas, & missum auspicio Pallanta sinistro
Audacem puerum, melioraque fata secutos
Tyrrhenos rapit, & tantis accingitur ausis,

IX.

Ecce furens Rutulus, sæuoque instinctus amore
Nequidquam in Phrygiam iaculatus lampada classem
Miratur subitas pelago consurgere nymphas.
Nec minus irrumpit castris, altamque cruentus
Dat stragem, fluuioque euadit lætus amico.

X.

Vltor adest, sociosque exponens littore tuto
Auspicium belli, maternis fulget in armis
Dardanides, totasq; in pugnam exsuscitat iras.
O qui sudor equis, qui se alto in puluere reges
Turpabunt, quanto exsurget rubra sanguine tellus.
Nec tuus hasta deus, nec te tua dextera forti
Mezenti letho eripiet, visque effera mentis,
Sed consors nato accedes tumulique necisq;.

XI. XII.

At tu quò nimio spoliorum, & laudis amore
Inconsulte ruis? quin sæuas bellica virgo
Insidias prius, & venientem respicis hastam?
Tuque miser, pone ô rapti mala gaudia balthei,
Et cæsi exuuias pueri, inuidiamq; deorum
Turne caue, dabis heu pœnas, dabis improbe, & istam
Euandro debes animam, atq; vltricibus armis.

DE PARTIBVS LIBRI PRIMI.

QVinque partes, siue narrationes diuersas hic liber continet, tanquam actus dramatis, cùm sit velut tragicocomœdia quædam. Habet principium triste, ac lugubre, finem lætum, & catastrophen planè comicam. Quippe in primo actu Juno, & Æolus immissa tempestate, Æneam & Troianos misèrè vexant, ab institutoq; itinere versus meridiem repellunt, & in summum capitis periculum fortunis omnibus multatos adducunt. In secundo actu Neptunus cum Tritone, ac Cymothoë, mare commotum tranquillant: Æneas portum Carthaginensem subit: ibi socios expositos cibo, potuq; recreat. In tertio Venus apud Iouem pro Troianis, & filio Ænea supplicat: cui Iupiter Romanam ex Ænea, & Ascanio posteritatem promittit. Quibus illa verbis confirmata, Æneæ, & Achati locos explorantibus, habitu venatricis sese offert, indicataq; hominum, & locorum conditione, vtrumq; septum nebula Carthaginem in templum perducit, vbi picturas Æneas Troiani belli contemplatur. In quarto actu Jlioneus apud Didonem hospitium rogat, cui petitioni Æneas, & Achates interueniunt, socios reperiunt, in regiam conuiuatum inducuntur. Achates ad Ascanium cum muneribus Reginæ largiendis adducendum mittitur. In quinto actu Venus Cupidinem pro Ascanio subornat, vt Didonem flammis incendat, veteremq; Sichæi amorem nouo Æneæ deleat. Epulis vacatur, canitur, varij sermones hilariter seruntur. Ex Proleg. viri cuiusdam eruditi.

QVOMODO VIRGILIVS HOMERVM HOC libro imitetur.

ETsi passim Homericos locos inseruit huic libro Virgilius, tamen quatuor præipuè Odyssea libros hoc vno expressit. Vt enim Iuno opera Aeoli tempestatem in Troianos & Aeneam immittit, eosq; a proposito itinere, quod è Sicilia in Jtaliam susceperant, retrò in Africam pellit, ita Neptunus lib. 5. Odyss. Vlyssem, cui infensus erat, a suscepta nauigatione ex insula Calypsûs in Jthacam, retrò in Corcyram agit: hoc tantum discrimine, quòd Homericus Vlysses à Calypso muliere, à qua amabatur, ad regem Alcinoum defertur: noster autem Aeneas à rege Aceste è Sicilia ad reginam Dido in Africam reiicitur, cui similiter, vt ille Calypso, esse incipit in amoribus. Deinde quemadmodum hic Neptunus tempestatem à Iunone commotam placat: ita apud Homerum Minerua tempestatem à Neptuno concitatam sedat. Præterea vt Venus pro Troianis, & Aenea apud Iouem precibus intercedit: ita Minerua lib. 1. Odyss. pro Vlysse, & sociis Ioui supplicat. Et sicut ibidem Minerua à Ioue digressa, Mentæ regis Taphiorum faciem induit, & ad Telemachum proficiscitur, eiq; viam & rationem perueniendi ad patrem ostendit: ita hic Venus, habitu venatricis assumpto, Aeneæ occurrit, eumq; de hospitio Didonis certum facit: simul viam eò perueniendi commonstrat, & nebula circumfusum in oppidum deducit. Ilioneus verò, & Aeneas Didoni pro hospitio supplicantes, ex lib. 7. Odyss. delineati sunt, vbi Vlysses Aretæ vxori regis Alcinoi eodem modo, eademq; de caussa fit supplex. At Venus Cupidinem subornans, vt reginam amore erga Aeneam accendat, exemplum est Mineruæ, quæ lib. 6. Odyss. Nausicaam Alcinoi filiam ad amandum Vlyssem per somnium inflammat. Iopas denique ad modum Phemij, & Demodoci in conuiuio cantat cithar. Æneas igitur, vt comprehendam breui, Vlyssis atq; Telemachi personam: Dido Alcinoi, atq; Calypsûs, itemq; Nausicaæ, & Aretæ: Iuno Neptuni: Venus Mineruæ: Iopas Phemij, & Demodoci sustinet. Vt autem non necessarias personas sapienter omittit: ita necessarias quasdam alias ex suo ingenio substituit. Nam Iunoni Aeolum pulcherrimè adiungit, & Aeneæ indiuiduum comitem Achatem, (quo cura, & sollicitudo significatur) perpetuò addit, itemq; oratorem Ilioneum eidem affingit: Neptuno verò Tritonem, & Veneri Cupidinem annectit. Quæ omnia occulta quadam naturæ ratione non carent. Ex iisdem.

EXEMPLA HOC LIBRO PROPOSITA.

IN hoc libro proponuntur etiam illustria virtutum & vitiorum exempla: quæ vel ad vitam communem pertinent, vt fortitudo Aeneæ in aduersis: clementia, & miseratio Neptuni erga afflictos: fides, & amor Aeneæ erga socios: eiusdem φιλοσοργία erga Ascanium: hospitalitas Didonis: conuiuij hilaritas: & contra Iunonis inuidia: temeritas Aeoli: parricidium atq; crudelitas in Sichæum, & si qua sunt alia: vel ad rempub. spectant, vt principis officium in gubernatione rebellium, in sedando pacandoq; tumultu: eiusdem sollicitudo, & cura erga subditos: item diuina prouidentia, amor dei erga pios: precum exauditio, & multa similia, tum ad rempub. tum ad religionem, & sinceram de deo opinionem pertinentia. Ex iisdem.

SYNOPSIS.

VIrgilius noster prælia, & errores Æneæ Troiani sese cantaturum profitetur à principio: tum non sine ingenti admiratione, ac propè cum stomacho quodam, de Musa, Junonis in ipsum, Troianamque gentem vniuersam odiorum, crudelitatisque caussas exquirit, quas enumerat. Soluentibus è Sicilia Troianis, Juno de præsenti exitio miseris afferendo secum volutans, ad Æolum regem ventorum celeri profectione contendit, ab eo ventos ad mare concitandum, atque ad naues ab Jtalia, quò cursum dirigebant, quàm longissimè tempestatis procella dispellendas, aut omnino etiam submergendas impetrat. Jta verò excellenter tempestas expingitur, & ita eius sæuitia, & immanitas sub aspectum

ctum quodammodo subijcitur, vt in tota lingua Latina simile quippiam non simus inuenturi. Hac igitur vexatus, oppressusque Æneas, beatos præ se iudicat omnes, quibus licitum fuerit ante muros patriæ, ante oculos parentum, propinquorumque, animas cum gloria profundere. Neptunus tandem Eurum ac socios atrociter increpitos cum minis domum remittit, ac sine vlla mora regnum suum tranquillare insistit. Troiani Africæ portum (qui proximus erat) fessi nimium, ac propemodum exanimes tenuerunt: peramœnum sanè, & naturâ cùm ad afflictos, perditosque recreandos, tum ad nauigia occultanda mirabiliter opportunum. Ibi mox foco excitato, frumenta siccant, siccata molis frangunt, panes coquunt. His ita occupatis, Æneas in rupem altam ascendit, duodecim alias naues à septem reliquis ventorum inclementia distractas, longiusque proiectas mœstus, & anxius requirit. Aliquot eximia corporum magnitudine ceruos iaculis prosternit, singulosque in singulas naues distribuit: eadem ratione vinum, quod Acestes Siciliæ rex, & amicus, abeuntibus donauerat: consolationem insuper sapientiæ, & paterni cuiusdam amoris plenam adiungit. Troiani solutis curis epulantur, & refectis iam, instauratisque viribus, de amissorum salute sociorum colloquuntur. Sub occasum solis Jupiter, vti summus rerum custos, arbiterq; præcipuus, mundum, atque adeò Africam totam cogitabundus despectat. Quam occasionem nacta Venus, patri pro Troianis suis flebilem in modum supplicat: promissa ei in memoriam redigit. Ille spe optima filiam implet: quæ promiserit, omnia se facturum spondens: de posteritate, potentiaque Romanorum multa prædicens. Mittitur Mercurius, qui Afrorum animos Troianis iam iamque affuturis placabiles, ac beneuolos efficiat. Vbi pulsa nocte dies rediit, Æneas cum Achate loca exploratum vadens, in matrem incidit, quam nisi in recessu haud agnoscit. Ab hac de Carthagine, de fortuna, statuque Didonis, de seruatis nauibus fit certior: iubeturque concepta fiducia in vrbem pergere, quod facit. Ac primò quidem in ipso templo, dum reginam eò venturam expectat, bellum Jliacum in pariete, non vulgari artificio depictum, cum singultibus, profusisque lacrymis contemplatur. Introgressa cum stipatoribus templum Didone, ecce tibi Jlioneo oratore Troiani supplies accedunt, responsum auferunt longè humanissimum. Dat se in conspectum Æneas, reginæque in se ac suos propensissimam, & liberalissimam voluntatem quantis potest laudibus in astra tollit. Ab eadem cum tota illa legatione in regiam inuitatur: ibi apparatissimis dapibus accumbitur. A nauibus accersitur per Achatem puer Ascanius, cui Veneris dolo, & machinatione Cupido substituitur. Offert Æneas reginæ plura, & cùm sexui, tum maiestati regiæ conuenientia munera: poculis, & cantionibus vacatur. Non potest satiari sermonibus Æneæ Dido: quem rogat, vti longiuscula expositione, idque à primordijs rei suscepta, Troianæ vrbis cladem vltimam, & errores suos, periculaque per terras, & maria toto septennio adita recenseat: id quod duobus libris insequentibus ita præstatur, vt amplius nihil sit, quod meritò requiramus. Nunc demùm est, cùm nos maximè auritos fieri condecet, ad istos cantus, quibus similes nec insonuerunt vnquam, nec insonabunt. Quod si non vulgarem hausimus voluptatem ex rebus pastoritijs, & rusticis, conuenienti sermonis figura, & habitu compositis: quanto tandem maiorem ex tam illustri, ac singulari argumento, cum tanta, quanta dici non potest, dignitate, splendore, grandiloquẽtia, explicato hauriemus? Hoc igitur agamus, quemadmodum in sacris dici solitum est.

EXPLANATIONES.

Lle ego, qui quondam gracili modulatus auena
Carmen: & egressus syluis, vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis
5 Arma, virumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit

Littora:

Littora: MVLTVM ILLE ET TERRIS IACTATVS ET ALTO
Vi ſuperûm, ſæuæ memorem Iunonis ob iram,
Multa quoq; & bello paſſus, dum conderet vrbem,
10 Inferretq; deos Latio: genus vnde Latinum,
Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Romæ.

ILLE EGO) Cùm concurſus fuerit in primo pede, ea è re numerus ipſe fit ſolidior, cum quadam etiam iucunditate: præſertim vbi eædem concurrunt vocales, vt hìc. Et, *Ergo omnis longo ſoluit ſe Teucria luctu.* Et, *Illi indignantes, magno cum murmure montis.* At cùm diuerſæ vocales hiant, numerus ſolideſcit ipſe quidem, non eadem tamen cum voluptate audientium, vt, *Credo equidem, nec vana fides.* Et, *Cuncta equidem tibi rex.* Solidiorem autem, ſtabilioremque numerum inde fieri manifeſtò apparebit, ſi dixeris, *Cuncta quidem tibi rex.* Qua è re numerus ſtatim langueſcet. Iouian. Actio dial.

Eſt autem Orpheum imitatus Maro, qui Argonauticωn principio compendioſa enumeratione opera ſua eſt complexus, & profeſſus: breui enim anacephalæoſi ſua quoque diſtinxit, & comprehendit, ne aut plagiarij, à quibus olim vexatus fuerat, ſacrilegio verſus diuinos ſublegerent, ſibique adſcriberent, aut eos falſarij adulterare auderent. Tucca tamen, poſt Virgilij mortem, nullo diſcrimine principium hoc recidere eſt aggreſſus, quod ab vtriſque nihil metuendum eſſe videret, iam temporibus Auguſti integro poemate, & opere Maronis ſub germano auctoris nomine euulgato, & recognito. German.

Veritus, inquit Scalig. Poet. lib. 5. cap. 17. plagiariorum temeritatem, tum in extremo 4. Georg. nomen poſuit ſuum, tum hìc prudenter innuit. Quæ qui abſtulêre, ſuam faciunt Æneidem, non Maronis. Et erat apud priſcos in more poſitum, vt non titulis ſolùm adſcriberent nomen, ſed operis ſtatim principiis apponerent. Sic omnes Arabes, & Chaldæi, ac prophetæ veteres. Viſio Azahelis. Iudicium Abdiæ. Dixit Auenzabri. Sermo filij Zacuth. Proponens Barthecuas. Sic Herodotus, ſic Thucydides. Idem Poet. lib. 1. cap. 56. Sunt & in generibus poematum proœmia, vt in Muſicis πρόοιμια. In quibus plurimus fuit Claudianus, ſeparato carmine à iuſto poemate. Diuinus autem poeta vnum corpus fecit. Illa enim fuerant proœmium, *Ille ego qui quondam, &c.* vt peſſima temeritate prætulerint arbitrium ſuum ij, qui exemerunt ea de iudicio tanti viri. Tales ſunt operum concluſiones, quas Epilogos Græci nominant, vt apud Horatium, *Exegi monumentum ære perennius.* Et Ouid. *Iamq; opus exegi*, quæ ſunt à iuſto opere ſeparatę. At non ſeparauit idem Virgilius à Georgicis, *Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope.* Lege etiam Viperanum, Poetices lib. 2. cap. 5.

Prudenter animaduerſum à Sebaſt. Corrado, quemadmodum res ipſæ ita ſibi ſucceſſerunt, vt ſe contingere videantur, paſtoritia, ruſtica, ciuilis: ita Virgilium opera ſua, quibus hanc triplicem varietatem explicaret, quaſi colligare voluiſſe. Cum Bucolicis enim Georgica his verbis coniunxit, *Hinc canere incipiam*: perinde ac ſi diximſſet, abſolutis Bucolicis, Georgica ſcribam. Georgica verò ſic finiuit.

Carmina qui luſi paſtorum, audaxq; iuuenta
Tityre, te, patulæ cecini ſub tegmine fagi.

At verò Æneida cum vtriſq; hoc modo, *Ille ego qui quõdam*, &c.

Certiſſimum eſt Virgilium ſingulis poematis ſuis ſingulos dicendi characteres, ſeu figuras aptaſſe, humilem A Bucolicis, mediam Georgicis, grauem Æneidi: id quod rerum perſonarumque qualitas exigebat. Quod non ſolùm ex ipſorum poematum lectione, ſed etiam ex hiſce quatuor verſibus primis ſatis ſuperque perſpici poteſt. Quorum quidem verſuum naturam, formam, ſtylum, rationem, ſi quis æqua lance perpendat, poetam in illis prope clamare animaduertet, opus Georgicorum Bucolico, & Æneidis tantum præſtare Georgico, quantum ſecundus verſus diſtat à primo, & quartus differt à ſecundo. nam quid hoc verſu gracilius, humiliusque dici, aut excogitati poteſt? *Ille ego, qui quondam gracili modulatus auena Carmen.* Hoc nos admonet, ſtylo tenui opus Bucolicorum eſſe compoſitum. Sed obſerua, vti B ſenſim, & gradatim verbis inſurgat,

------ & egreſſus ſyluis vicina coegi,
Vt quamuis auido parerent arua colono:
Gratum opus agricolis.

Hæc omnino altiora ſunt primis: vt intelligas opus Georgicorum altiori, quàm carmen Bucolicum, ſtylo fuiſſe perſcriptum. At hoc extremum Æneidos opus quantùm rerum pondere, & grauitate reliquis excellere debere cognouit, tantùm hos nouiſſimos verſus prioribus ſublimiores eſſe curauit: ſubdit enim, *at nunc horrentia Martis Arma, virumq; cano.* An hæc cum ſuperioribus, aut illa cum iſtis ſunt conferenda? Quæ cum verborum ſonitu rei magnitudinem indicant, tum rerum C quaſi tumultu, apta quadam cum orationis acrimonia vſque adeo reſonant, vt cuiusque auidas aures, atque immenſum aliquid, infinitumque deſiderantes implere poſſint. Ab his igitur verſibus vario ſtylo compoſitis, inchoatam fuiſſe à Virgilio Æneidem nemo vel mediocriter eruditus ignorat. Naſcimbænus Commentar. * *Hauſit hoc à Corrado Naſcimb. qui aſſeuerat, ita eſſe compoſita hæc carmina quatuor prima, vt verbis ipſis, ac dicendi figuris res tripartito opere explicatas referant, paſtoritiam ſimplicitatem, ruſticam ſedulitatem, ciuilem dignitatem, & tres characteres, attenuatum, mediocrem, grandem, paucißimis verbis eſſe repetitos. Plura ibidem de horum verſuum artificio.*

QVONDAM) Iuuenis, annum agens octauum ſupra viceſimum, vt putat Corrad.

D GRACILI AVENA) Genus dicendi inſinuat. Syluestrem muſam, & agreſtem vocat in Bucolicis. Vocat item tenuem auenam, leues calamos. Nemeſian. gracilem arundinem. Tibull. arentem auenam. *Et ſatur arenti primùm eſt modulatus auena.*

CARMEN) Vide Eclog. 5. ſuper illo, *Tale tuum carmen nobis, diuine poeta.* Carmina Varro lib. 6. de ling. lat. vult dicta à Carmena, pro quo antiqui Caſmena: in pluribus enim literam, ſ, pro r, vſurpabant, dicebantq; Cuſiatij, pro Curiatij, pluſima, fœdeſum: pro plurima, fœderum, &c. Carmen vocatur, auctore Iſidoro libr. 1. quidquid pedibus continetur: cui datum nomen exiſtimant, ſeu quod carptim pronunciaretur: vnde hodie la- E nam, quàm purgantes diſcerpunt, carminare dicimus; ſeu quòd, qui illa canerent, carere mente exiſtimabantur.

ET EGRESSVS SYLVIS) Vt ſi diceret, & perfectis Bucolicis, ſeu paſtoritiis illis carminibus, in quibus multa ſyluarum mentio, quoniam paſtores pluri-

mùm in ſyluis verſantur. Poteſt autem coniungi *ſyluis cum egreſſus*, & cum *vicina*. Corrad.

VT QVAMVIS AVIDO) Id eſt, admodum, ſeu quantumuis, aut quantumcunque auido. Catull. in Aſinium. *Quamuis ſordida res, & inuenuſta eſt.* Plaut. Mænech. *Quamuis ridiculus eſt, vbi vxor non adeſt*, id eſt, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem poteſt. Lucret. libr. 2. *quia quamuis effera proles Officiis debet molliri victa parentum*: Ex Muret. in Catull. * *Adde his. Varro de re ruſt. libr. 2. cap. 5. At Quintus Lucienus Senator, homo quamuis humanus, ac iocoſus. Liuius lib. 1. & poſſe quamuis languida mergi aqua infantes ſpem ferentibus dabat. Cic. Rhetorem quamuis eloquentem non pertimeſco.*

PARERENT ARVA COLONO) Efficerent quãtum ipſe cuperet, & optaret: eius ſeſe imperio audienria quodammodo oſtenderent. Georg. 1. *Illa ſeges demũ votis reſpondet auari Agricolæ.* Colonus ab agro colendo dictus eſt: qui nempe aut ipſe ſuum ſibi colit: aut pacta mercede, propoſitáue parte fructuum, à domino colendum conducit. Cic. pro Cæcina. Qui colonus habuit conductum de Cæſennia fundum. Aliquando coloni qui ex vna vrbe ad aliam condendam, habitandamq; deducuntur, quiq; non ſuis, ſed metropolis ſuæ legibus plerumque viuunt. Sic infrà. *Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.* Sic contra Rullum. In omnes colonias totius Italiæ colonos deducant. Eſt itaque tribus primis verſibus, & dimidiato quarto hæc ſubiecta ſentẽtia. Qui primùm omnium carmen paſtorale modulatus ſum: deinde quaſi egreſſus ſyluis, vbi pecora paſcuntur, ad rem ruſticam tanquã vicinam (arua enim vicina ſyluis) tractandam me contuli: docuique ea ratione agreſtes fundos ſuos colore, ita illos exercere, illisque imperare, vt eorum votis ac deſideriis vbertate frugum efferenda ſatis facere cogerentur. Quo quid acceptius agricolis præſtare, quæſo, potuiſſem? ✠

AT NVNC HORRENTIA) Particula, at, neſcio quàm differentiam, & neſcio quid contrarium ſignificat: vt, *Conticuit tandem, factoq; hîc fine quieuit, At regina graui*, &c. Nam quieſcere, & curis angi, ſunt contraria: ſic iſto loco ſublimia humilibus contraria ſunt. Corrad.

ARMA VIRVMQVE CANO) In hac longiuſcula propoſitione, quemadmodum lectorem poeta docilem, attentum, ac beneuolum faciat, demonſtrat Corrad. Quomodo quidam minus conſideratè hæc duo verba ad 12. libros Æneidos, in duos ſenarios diſtributos ὕστερον πρότερον accommodent, idq;, vt putant, de Maronis ipſius mente, diximus in Prodidagmatis cap. 3. Citat hanc propoſitionem Vegetius libr. 2. cap. 1. Res militaris, inquit, ſicuti Latinorũ egregius auctor carminis ſui teſtatur exordio, armis conſtat, & viris. Per eandem, per duo, inquam, hæc prima verba *Arma virumq;* complures totam Æneidem ſignificarunt. Martial. lib. 8.

Protinus Italiam concepit, & arma virumq;,
Qui modò vix culicem fleuerat ore rudi.

Idem libr. 14.

Accipe facundi Culicem ſtudioſe Maronis:
Ne, nugis poſitis, arma virumq; legas.

Ouid. 3. Triſt.

Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumq; toros

Perſius quoq; Sat. 1. dum negat Æneidem eſſe turgidam. *Arma virum nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?* Vide Prodidag. cap. 8. Sic Cic. ad Atticum lib. 16. epiſt. 11. ex primis verbis libellum ſuum de Senectute indicauit, hoc modo. OTITE tibi prodeſſe lætor. Id eſt, te, ô Attice, ex libro meo de Senectute commodum capere, A vtilitatemque gaudeo. Rurſum eundem librum ab ipſo initio indicat idem Cic. libri eiuſd. epiſt. 3. Quod verò ſcribis, te magis delectari, OTITE, SI QVID EGO, ſi quid agis, addis mihi ſcribendi alacritatem. Sic idem Cic. Ennij Medeam notat lib. 1. de finibus, quum ait. At, VTINAM NE IN MEMORE nihilominus legimus, quàm hoc idem græcum. Hoc enim principium fuiſſe iſti tragœdiæ, manifeſtũ ex Euripidis Medea, quàm conuertit Ennius. His adde, quod ipſemet Virgilius, Ecloga 5. in extrema illis verbis, *Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin*, Eclog. ſecundam: & illis, *cuium pecus? an Meliboei?* tertiam indicauit. Notat Horat. Tigellium Sat. 3. lib. 1. qui ab ouo vſque ad mala, id eſt, à prima menſa ad ſecundam citaret Iô Bacche. Veriſimile eſt fuiſſe B carmen quoddam in laudem Bacchi, hoc principio, *Iô Bacche.*

Grammaticorum eſt munus poetas exponere. Ex his igitur verbis Virgilianis perlepidè occaſionem ſumit Auſonius, irridendi cuiuſdam Grammatici, cui erat rixoſa, & querula vxor. Inducit autem ipſum loquentem.

Arma virumq; docens, atq; arma virumq; peritus
Non duxi vxorem, ſed magis arma domum.
Namq; dies totos, totasq; ex ordine noctes
Litibus oppugnat meq;, meumq; larem.
Atq; vt perpetuis dotata à Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur vlla quies.
C *Jamq; repugnanti dedam me, vt deniq; victum*
Jurget ob hoc ſolum, iurgia quod fugiam.

Quanquam è Græco potius interpretatus eſt, Palladæ, inquam, cuius eſt illud libr. 1. Anthol. titulo εἰς γραμματικός. Μῆνίν τ' ὐλομένην, γαμετὴν, &c. Quomodo autem idem Palladas ex initio 2. Iliados iocandi materiam petat, videbis eodem titulo. Præterea quomodo hæc & ſequentia ad perſpicuam intelligentiam diſtinctè legenda ſint, docet Quintil. lib. 11. cap. 3. ✠

TROIÆ. Q. PRIMVS AB ORIS) Fœdo, & ridiculo in error eſunt, qui Virgilium exiſtimant nomen Æneæ conſultò hoc initio tacuiſſe: quia turpe cenſeret laudare proditorem patriæ. Quid ergo? de eius laudi D bus tot libros facere, eum toto opere cum tantis præconiis nominare honeſtum fuit? *Æneis vtiq;* ab Ænea deflectitur: qui niſi vir pius, ac probus ante fuiſſet habitus à Romanis, & Græcis, potuiſſet ipſe operis index lectorem ſtatim offendere. Hoc itaque ſtatuendum, ornatius, iucundius, & copioſius, cum attentione lectorum rem cum circumſcriptione exprimi, quam ſi apertè ac nudè nominaretur. Achillis nomen primo verſu Iliad. Homerus collocauit, quod ipſum vocabulum Ilias non declarabat. At in Odyſſea circutione vſus eſt, à quo didicit noſter, quod in Ænea ſuo fecit. Hæc carptim ex Guilelmi Modicij libello, cap. 14. in quo libello Virgilius à calumniis vindicatur.

E Quo pacto primus in Italiam à Troia venit Æneas, cum ex ipſo Virgilio conſtet hoc ipſo libro, ante eum veniſſe Antenorem, Patauiumq; in Venetia condidiſſe? *Antenor potuit mediis elapſus Achiuis*, &c. [*Nec poſt illum quisquam ſecundus, aut tertius venit, vt eorum reſpectu primus dixerit.*] Soluitur. Suo more, primus, pro princeps, aut primarius dixit, vt lib. 8. *Primus ab ætherio venit Saturnus olympo*, cùm tamen eo prior Ianus in Italiam venerit. Sic 2. Æneid. enumeratis ducibus, qui ex equo illo ligneo deſcenderant, Tiſandro, Sthenelo, Vlyſſe, Athamante, Thoante, Neoptolemo, poſt infert, *primusq; Machaon.* Quomodo poteſt primus dici poſt tot, qui ſupra dicti ſunt? Verùm intelligimus primum pro principe: vel quia is illis temporibus circa peritiam medicæ artis præcipuus

cipuus fuisse traditur. Aurelius Victor. de orig. gent. Rom.

Corradus & de Antenore obiicit, & de Euandro, qui etiam fato venit in Italiam. Respondet, simul omnia sumenda esse, vt effugiamus calumniam, & poetam defendamus: nempe, *Troiæ qui primus ab oris Italiam fato profugus Lauinaq; venit littora.* Neminem enim præter Æneam inuenies, cui hæc omnia simul conueniant. Antenor venit ab oris Troiæ, & venit in Italiam: sed non primus ab oris Troiæ: nam Dares Phrygius, & Dio ante Antenorem, Troia profectum Æneam testantur, etsi prius in Italiam peruenit, quàm Æneas. Non venit etiam fato, nec ad Lauina littora. Euander fato fuit profugus, & venit fato in Italiam, & ad Lauina littora, sed non ab oris Troiæ.

Oræ, extremæ partes terrarum, id est, maritimæ dicuntur. Vnde & vestimentorum extremæ partes: quæ quidem & primæ dici possunt. Cæcilius in Æschrione vsus est pro initio rei, cùm ait: *Oram reperire nullam, quam expediam, queo.*

ITALIAM FATO PROFVGVS) Timæus in historiis, quas oratione græca de rebus pop. Rom. conscripsit, & M. Varro de antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de græco vocabulo appellatam scripserunt: quoniam boues græcè veteri lingua ἰταλοὶ vocati sunt, quorum in Italia magna copia fuerit, buceraque in ea terra gigni, pascique solita sint compluria. Gellius lib. 11. cap. 1. Verba Varronis lib. 2. de re rustica, cap. 5. sunt. Nam bos in pecuaria, maxima debet esse auctoritate, præsertim in Italia, quæ à bubus nomen sit habere existimata. Græcia item antiqua (vt scribit Timæus) tauros vocabat ἰταλοὺς, à quorum multitudine, & fœtu vitulorum Italiam dixerunt. Alij scripserunt, quòd è Sicilia Hercules persecutus sit eò nobilem taurum, qui diceretur Italus.

Copiosè, ac diligenter de variis Italiæ nominibus, eorumque caussis Adrianus Iunius lib. 1. cap. 22. in hunc modum. Eam regionem primò Agressam fuisse nominatam, aut secundum alios Margessam, à Margetum gente (quos Halicarnasseus per quartam vocalem Morgetas appellat) ex Antiocho Syracusano constat: deinde à Iano Ianiculam, quod in Originibus scripsit Cato: rursus à Saturno, cui sacrata fuit, Saturniam, teste Halicarnasseo, & Trogo: postea Ausoniam, ab Ausone Vlyssis, & Circes filio, vti Zezes, aut vt alij, ab Ausone Itali, & Leutariæ filio: Stephanus ab Ausone, genito ex Atlante. & Calypso: nam Ausoniam propriè dictam fuisse tractum maritimum Auruncorum, inter Campanos, & Volscos, auctor est Dio. At Portius Cato Calabros prius Ausones nuncupatos ait. Iam verò & Hesperia audiit ab Hespero Atlantis fratre, ab ipso in exilium acto, secundum Seruium, & huc appulsum. Quin & Oenotria eadem terra fuit dicta: in quo nomine ingens est pugna: siquidem ab Oenotro Arcade Lycaonis filio, qui primus transfretato sinu Ionio Italiam incoluit, ita appellatam scribit Halicarnasseus: cui fermè consentit Myrsilus Lesbius, & Pausanias, qui in Arcadicis sic ait. Oenotrus filiorum Lycaonis natu minimus, à Nyctimo fratre pecuniis, virisque impetratis, in Italiam traiicit, primus omnium qui è Græcia coloniam nauigio deportauit: immò ne barbarus quidem vllus ante Oenotrum alienam terram iuuasisse, ei qui diligenter omnia excusserit, inuenietur. Hæc ille. Antiochus quoque Syracusanus Oenotrium ducem Arcadum in Calabriam appulisse, ibique in ora maritima colonias posuisse commemorat. Sed hæc vt mendacia refellit in Originibus Cato, nomen istud sortitam Italiam dictitans ab Oenotro vetustissimo rege Sabinorum, & Hetruscorum, penes quem imperium erat. Idem ex quorundam opinione Oenotrium cum Iano eundem facit, qui primus Italis vinum, & far ostenderit. Varro Oenotrum Latinorum regem nomen creasse regioni existimat. Seruius à vino optimo nomen sumpsisse Oenotriæ annotat, quod οἶνον Græci vocant, ridicula nominis deriuatione. Postremo Italiæ nomen indidisse Italum quendam Arcadum regulum Thucydides in sexto refert. Hyginus Italum ducem ex Penelope, & Telegono natum comminiscitur. Halicarnasseus Italum Siculorum regem, qui primus agricolationis opera in Italiam inuexerit, regionem à se transnominasse scribit. Timæus fabulatur dici ab Italo boue, vno ex armento Geryonis, qui abactus ab Hercule, Siculi freti angustias tranauerat, Tyrrhena lingua Italum taurum nominante. Hellanicus verò, quoniam opimos boues gignat ea regio, eiusdem vocabuli occasione nuncupatam voluit. Recenset etiam in Originibus Cato, Italum Hesperi fratrem, vnde gemina Italiæ nomina creuerint.

Quomodo fato profugus in Italiam venerit Æneas, id est, fatis ducentibus, vt ait de eodem Liuius, ita intelligendum est, ex ipso Virgilio. Apud Troiam Cassandra Anchisæ vaticinata fuerat, visurum aliquando Italiam: credibile est, addidisse, cum filio. De hoc oraculo habes lib. 3. Prædicit eidem Æneæ aduentum in Italiam Creusæ ἀποθεωθείσης imago. Lib. 2. Et lib. 3. antiquam exquirere matrem iubetur, quod illi responsum in somnis penates de Italia interpretantur. Etiam à Grynæo Apolline iussum se Italiam petere in quarto Didoni affirmat, vbi idipsum intelligit, quod lib. 3. habetur. Adhuc eodem libro Iupiter idem testatur, fatale scilicet esse ipsi Italiam petere, *fatisq; datas non respicit vrbes.* Hinc postmodum Æneas.

Me puer Ascanius, capitisq; iniuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus aruis.

De eadem re Ilioneus lib. 7. *Sed nos fata deûm vestras exquirere terras Imperiis egere suis.* Et apud Euandrum Æneas lib. 8. *Sed mea me virtus, & sancta oracula diuûm,* &c.

LAVINAQ. VEN. LIT.) In agrum Laurentem venisse primùm AEneam, scriptum est à Liuio: quomodo igitur ad Lauina littora? aut quæ tandem sunt ista Lauina littora? Vt agamus breuiter, & dilucidè, Aeneas ducta in matrimonium Lauinia Latini regis filia, oppidum condidit, quod ab ea Lauinium appellauit. Poeta κατὰ πόλιν nunc agrum Laurentem, ab oppido Laurentum sic nominatum, appellat à vicino Lauina littora, quæ postea habitarunt, qui ab vrbe Lauinio dicti sunt Lauinij, quos inter Latij populos Plinius numerat. Laurentum porrò habuisse alia duo nomina, Lauinum à fratre Latini Lauino, & Lauinium ab ipsa regis Latini filia, Seruianum commentum habetur.

MVLTVM IL. E. T. IACT. ET ALTO) *Ille* elegantissimè redundat, vt in 12. *Saucius ille graui venantum vulnere pectus Tum demum mouet arma leo.* Et in eodem.

Qualis vbi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoq; potitus aperto,
Aut ille in saltus armentaq; fugit equarum, &c.

Iterum. *Ceu Sirius ardor: Ille sitim, morbosq; ferens mortalibus ægris.* Turneb. lib. 18. cap. 32. Vacat fortasse, quod ad verborum ordinem & constructionem pertineat: quod *primus*, vt Seruius ait, ad omnia referatur, cæterà non vacat, sed ἔμφασιν, & ἀγανάκτησιν habet, vir ille tantus & tam pius iactatus est. Versum quoque numerosum reddit, &c. Corrad.

Plenus

Plenus hic quidem versus, canorus, grauis, numerosus, quæ laus tota existit de collisione vocalium statim repercussa, atque ingeminata. Quod si dictionem eam subtrahas, quæ est, *ille*, ac dicas, *Multumq; & terris iactatus, & alto*, mirum est, quantum de versus ipsius dignitate, grauitate, magnitudine detrahatur. Quod quidem ipsum fit etiam ob accentus vnius detractionem. Etenim pars ea, quæ est, *multumq;*, vnum tantum secum adducit accentum, eumque subinclinatum: at, *multum ille*, duos, quos vtiq; collisio ipsa & coniungit simul ambos, & eos efficit tum pleniores, tum etiam magis sonoros. Iouian. Actio.

Bene Donatus, hic aliam diuisionem esse bipartitam, qua poeta profiteatur se scripturum, quæ Æneas terra, quæq; mari passus sit, separatim. Nam quod Corradus tertium membrum adiicit, quæ passus sit terra & mari simul, idq; vult illis verbis comprehẽdi *multa quoq; & bello passus*, quia cum Turno terra mariq́ue bellum gesserit, hoc minimè probatur. Etenim quod bellũ mari gesserit Æneas, tota Æneide non inuenies, bellum aliquod eius nauale scilicet. Iam bella in terris gesta ad illud genus incommodorum referuntur, quod complexus est illis *terris iactatus*. Cur igitur separatim ait, *multa quoq; & bello passus?* Cur? vt tanto miseriorem Æneam ostenderet, & ei plus beneuolentiæ conciliaret. Iactari autem etsi sæpius coniungatur cum mari, fluctibus, tempestatibus, tamen ipse Maro hoc libro dixit, *quibus orbis in oris Iactemur doceas:* Mare vocant altum poetæ, quia profundum, & profundum cælum vicissim infra dicet Maro noster. Forte etiam, quod altius sit terra vt Corrad. putat.

VI SVPERVM) Deorum superũm (immò etiam inferũm propter Furiam in 7.) violentia & machinationibus, quos Iuno Troianis irata ad nocendum illis sua auctoritate induxit. Qua de re Corrad.

SÆVÆ MEMOREM IVNONIS OB IRAM) Quod Virgilius iræ Iunonis adiunxit, appellans ipsam *memorem*, negotij multum attulit Grammaticis, rationem eius epitheti reddere conantibus. Absurdum enim primò videtur, sensum datum motioni animi: dictamque iram, quæ citò venit, atque abit, recordari: cùm hoc diuturnius, stabiliusque naturâ sit. Quare Seruius interpres ita locum opinatur accipiendum, vt memorem dixerit: non quæ meminerat, sed quæ in memoria erat. Ego verò puto hìc fecisse poetam, quod multis aliis locis: vt sensum tribueret rei, non modo sensu, sed etiam corpore carenti: ausumque id esse auctoritate Græcorum, quorum vestigia libenter sequitur. Inuenio enim Æschylum eodem pacto in Agamemnone μῆνιν μνάμονα vocasse. Locus est in primo choro eius fabulæ, cùm senes illi, ex quibus constabat, in extrema vaticinatione Calchantis, quam recitarunt, dixere. μίμνει γὰρ φοβερὰ, παλίνορσος, οἰκονόμος, δολία, μνάμων μῆνις τεκνόποινος. Hunc verò grauem tragicum, philosophumque, vt ferunt, Pythagoreum, accuratè legisse Virgilium, multosque ab ipso accepisse locos, notum est: vt non sine caussa existimari possit, hoc etiam inde sumpsisse. Victor. libr. 25. cap. 2.

De ista Æschyli imitatione equidẽ assentior Victorio. Seruij nihilominus explicationem vtrobiq; locum habere, & in illo Græco, & in hoc Latino posse arbitror. Quærere enim similiter licet, cur Græcus vocauerit μῆνιν μνάμονα. Num etiam illum in hoc alium fuisse imitatum dicemus? non ipinor. Donatus in Andria super illo Sosiæ: *nam ist hæc cõmemoratio Quasi exprobatio est immemoris beneficij*: sunt, inquit, qui ad beneficium referunt *immemor*, vt, *memorem Iunonis ob iram*, vt sit sensus. Ist hæc commemoratio, quasi est exprobratio immemoris beneficij, id est cuius nemo meminerit. Vidi qui vocem hanc isto loco ἐνεργητικῶς, non παθητικῶς exponendam censeret. Non cuius Iuno meminisset, seu quæ Iunoni in animo & in memoria erat, sed quæ Iunonem memorem faceret. Ira enim dum manet in animo, memores nos facit acceptæ iniuriæ, & ad vlciscendum sollicitat. Hæc explanatio mihi friuola, & inanis videtur: non enim nos ira memores iniuriæ, sed memoria iniuriæ iratos facit. Illud idem scriptor non absurdè, μῆνιν Homeri duabus vocibus exprimere Virgilium voluisse. Etenim μῆνις est Eustathio ἡ ὀπιμένουσα ὀργὴ, ἐκ τοῦ μένειν, permanens ira, à manendo. Quare quam Græcus ille, Achillis μῆνιν οὐλομένην, pertinacem iram Achillis, perniciosam, eam latinus vates iram memorem, id est, pertinacem, ac permanentem sæuæ Iunonis dixit. Sed iam de hoc ist hoc epitheto plus satis.

MVLTA QVOQVE ET BELLO PASSVS) Si dicas, *Multa etiam bello passus*, túmet intelliges, quanta fiat sonoritatis immutatio, & quidam quasi languor, ob soni ipsius exilitatem, quam dictio illa *quoq;*, non solùm exterminat, verùm etiam ipsum metauget, & implet sonum, quem nequaquã etiam implesset, si dixisset, *Multa quidem & bello passus*. Nam paulò antè cùm dixisset, *Multum ille*, in ea, quæ statim sequebatur, copulatione, non erat à numeri plenitudine corruendum. Dixit igitur, *Multa quoq;*: nam tum, etiam, quidem, sonum faciunt satis exilem: contrà, dictio *quoq;* implet eum. Iouian. Actio dialogo.

DVM CONDERET VRBEM) Quam vrbem poeta hic intelligit? Illam ne, de qua Liuius lib. 1. his verbis? Inde in Siciliam quærentem sedes delatum (Aeneam puta) ab Sicilia, classe Laurentem agrum tenuisse. Troia & huic loco nomen est. De qua sic est lib. 7. apud nostrum.

------- ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturq; locum, primasq; in littore sedes
Castrorum in morem pinnis, atq; aggere cingit.

Nequaquam hanc, sed illam, de qua Drances princeps legationis Latinorum, lib. 11. suorum operam ad eius adificationem pollicens.

Quin & fatales murorum attollere moles,
Saxaq; subuectare humeris Troiana iuuabit.

De qua item ipsemet Aeneas lib. 12. fœdus percussurus.

------- socer arma Latinus habeto,
Imperium sollemne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, vrbiq; dabit Lauinia nomen.

Hanc inquam, intelligit, cui primum sacra Troiana deosque intulit, quæ diu floruit, parens Albæ ac metropolis, vnde Lauinienses, seu Lauinij: cum oppiduli illius Troiæ nemo meminerit, nisi vt Virgilius

INFERRETQVE DEOS LATIO) Respondet ferè illud Euripidis in Bacch. Τὸν δ' αὖ θέλεις τὸν δαίμον' ἀνθρώποισιν εἰσφέρειν νέον. Constat verò ex Valerio lib. 1. cap. 8. penates deos Aeneam Troia aduectos Lauinij collocasse: inde ab Ascanio filio eius Albam, quàm ipse condiderat, tralatos, pristinum sacrarium repetisse. Sic German. Latium modò tanquam speciem ponit, præsertim cum in Latium venerit Aeneas.

GENVS VNDE LATINVM) Vnde, à quo, Aenea scilicet. Sic Terent. Eunucho, *è prædonibus, vnde emerat, se audisse*. Et Hecyra. *caussam dicere prius, vnde petitur aurum*. Ergo ab Aenea. Plaut. Mostellar. *Nam eccum, vnde ædes filius meus emit*. non à Latio, ridiculum enim esset. Quis enim nesciat à Latio esse Latinos? à Germania Germanos? Sed quanam istuc ratione, cum Latini sint appellati, antequam eò veniret Aeneas? Respondeamus

mus cum Seruio, meritò ab Aenea videri eos habere, quod per eum tanquam victorem poterant amittere, qui vtramq; gentem Troianos potuisset appellare. Sed quò eorum deuinciret animos, vetus nomen reliquit, & vtramque gentem, ne sub eodem solùm iure, sed etiam nomine omnes essent, vt est apud Liuium, Latinos nominauit. Certè Iuno, ne secus fieret, magnopere metuens, lib.10. seriò Iouem precatur, Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos permittat. Huc etiam spectare mihi videntur, quæ legi apud Senecam in Cosolat. ad Heluiam, cap. 7. Romanum imperium nempe auctorem exulem respicit: quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem, necessitas, & victoris metus longinqua quærentem in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnes prouincias misit? vbicunque vicit Romanus, habitat.

ALBANIQ. PAT. ATQVE ALTÆ MOEN. ROMÆ) Qui hinc putant, Maronem statuisse carmen suũ per reges Albanos vsque ad Romulum deducere, perinde sunt inepti, vt si quis, cùm audiret me dicentem: ego Romam visum proficiscar, vnde tot per orbem, & tam præclaræ coloniæ deductæ, putaret me etiam illas colonias obiturum. Reges Albanorum hoc ordine recenset Liuius. Ascanius, Syluius, Latinus Syluius, Alba, Atys, Capys, Capetus, Tiberinus, Agrippa, Romulus Syluius, Auentinus, Proca, Amulius. Quod si quis Ouidij, Dionysij, Eusebij catalogos cum hoc Liuiano contulerit, non mediocre discrimen omnium inter se in appellationibus inueniet.

Sallust. procemio Catilin. VrbemRomanam, sicuti ego accepi, condidere, atque habuere initiò Troiani, qui Ænea duce profugi, sedibus incertis vagabantur, cumq; his Aborigines, genus hominum agreste, &c. Sed reges potissimùm intelligit, qui per Romulum, & Remum quasi patres Romanorum fuerunt. Liuius bellum inter Roman. & Albanos tractans, ait sibi illud bello ciuili simillimũ videri, quòd esset prope inter parentes natosq; Troianam vtramque prolem, cùm Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriundi Romani essent. Corrad.

ALTÆ ROMÆ) Vel propter gloriam, vel propter ædificia, vel quia in collibus sita. Seruius.

Musa, mihi caussas memora, quo numine læso,
Quidúe dolens regina deûm tot voluere casus
INSIGNEM PIETATE VIRVM, tot adire labores,
Impulerit. tantæne animis cælestibus iræ?
Vrbs antiqua fuit (Tyrij tenuere coloni)
Carthago: Italiam contra, Tiberinaq; longè
Ostia, diues opum, studiisq; asperrima belli.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam
Posthabita coluisse Samo: hîc illius arma,
Hîc currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
(Si quà fata sinant) iam tum tenditq;, fouetq;.
Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Libyæ. sic voluere Parcas.
Id metuens, veterisq; memor Saturnia belli,
Prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.
Necdum etiam caussæ irarum, sæuiq; dolores
Exciderant animo: MANET ALTA MENTE REPOSTVM
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, iactatos æquore toto
Troas relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli,
Arcebat longè Latio, multosq; per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
TANTÆ MOLIS ERAT Romanam condere gentem.

MVSA MIHI CAVSSAS MEMORA) Inuocare poetis propriũ, & ab historicis alienum esse testatur manifestè T. Liuius præfat. in hæc verba scribens. Cùm bonis potius ominibus, votisq; ac precationibus deorum, dearumq;, si, vt poetis, nobis quoq; mos esset, libentius inciperemus, vt orsis tãti operis prosperos successus darent. Quare Valer. Max. iure notatus est, qui Tiberium Cæsarem tanquam deum inuocare ab initio libri sui nõ est veritus. De poetarum inuocatione multa eruditè hîc Corrad. quæ, cùm voles, ipsemet legere poteris.

QVO NVM. LÆSO) Veteres suorum incommodorum causas diis attribuebant, quos sibi infestos, & suo aliquo merito, & noxa læsos opinabãtur: ex qua opinione hoc dixit poeta. Simile est illud Tibulli lib. 1. eleg. 2.

Num feror incestus sedes adiisse deorum? Papinius 5. Sylu. *quæ vestra sorores Orgia Pieria, quas incestauimus aras?* Et mox. *Nunquid inaccesso posui vestigia luco? Num vetito de fonte bibi?* Turneb. lib. 18. cap. 32.

Quo, id est, qua in re, aut quo eius (Iunonis scilicet) numine læso: plura enim sunt eiusdem numina, siue potestates. Consule Gyraldum Syntagm. 3. Cæterùm hac inuocatione, & istis quæstionibus latenter, atque aliud agens Æneam tuetur: Iunonem autem in magnum adducit odium, quæ persecuta sit innocentem, ab eo nihil læsa: hoc primùm. Deinde tot incommodis, tamq; grauibus. Postremò cùm esset dea, & cælestis: deos autem illos omni turbido motu, nedum tanta sæuitia, & iniquitate, vacare deceat.

QVIDVE DOLENS REGINA DEVM) Apud Homerum præcipua numina factionibus dissident: altera pars Troianos fouet, altera oppugnat: odij tamen, & amoris caussæ non exponuntur, quæ à Virgilio omissæ non sunt: sed eas per συναθροισμὸν in vnum colligit. Omnino enim Virgilius (vt carminis maiestas accresceret) numinum studia humanis rebus interesse voluit. Homerus, qui ea in re immodestior est, dum deorum pugnas, vulnera, & monomachias describit, furere à sui temporis hominibus dictus est. Virgilius eam calumniam reformidans, potius studia, affectusq; numinum, quàm pugnas descripsit. Præter enim Iuturnã, & Opim, nulli omnino dij operam vllam σωματικὴν in bello gerẽdo aduersus homines edunt. Iunonem autem iratã Troianis, vt apud Homerum inuenerat, reseruauit. Neptunum publicè quidem hostẽ Troianorum, priuatim verò Æneæ fauentem, ex hoste Troianis amicum refinxit. In huius locũ successit Æolus: ambo tamen numina à bello abstinent: in tempestatibus suas vires exerunt. Mars apud Homerum ἀλλοπρόσαλλος: sed frequentior tamen in partibus Troianorum, apud Virgilium nusquam apparet. Vulcanus in Homeri poemate Græcis addictus est, in Virgilij, Troianis. Credo quòd tum zelotypiam deposuerat. Homericus Iupiter, & Virgilianus planè idem, in neutram partem propensus. Palladem Virgilius nusquam, nec iratam, nec amicam adhibuit. In caussa est, quòd eam infensam Troianis describere noluit, fauentem non potuit, ne nimirũ ab Homerico archetypo dissentiret. Apollinis & Dianæ exigua mentio, atque ita, vt priuatis videantur fauere, publicè in hanc vel illam gentem affectus non habeant. Xanthus topicus deus, qui sedes habet in Phrygia, rebus Italicis adesse nõ potuit. Huius vicem implet Tiberinus: sed armis feriatur, idq; necessariò: non enim debebat aduenis Troianis contra Italos indigenas studere, nec rursus sustinere partes Italorũ ne ex diametro cum persona Xanthi dissideret, Troianis addictissimi. Nũc autem dicam latentem rationem, cur Homerus Neptunum, Palladem, Iunonem, Vulcanum, Græcorum partes tueri dicat. Rursus à Troianis Apollo, Diana, Venus, Mars, Xanthus, consistere videantur. Græci semper rebus maritimis excelluerunt, atq; ex eo studio ipsi Neptunum videntur habere propitium. Pallas lanificium, armorumq; peritiam tenet: his quoq; dotibus Græci eximij fuerũt. Iuno pronuba est, & matrimonij sanctitatem inuiolatam cupit. At ideo Græcos amat, vt coniugij sanctiores cultores. Troiani contrà, vt barbari, impetu potius, quàm arte in bella vadunt. Ergo in eorum factione Mars annumeratur. Ijdem libidinosi, & matrimonij violatores. Habent igitur tutelarem Venerem. Arte quoque sagittarum præstabiles sunt: adduntur iis dij iaculatores, Apollo, & Diana. Et Apollo, qui in monomachiis nunc Æneam, nunc Hectorem à periculo exemit, inducta nube, nihil aliud denotat, quàm A nube sagittarum victores hostes deterritos esse, ne in victos vlterius grassarentur. Non potuit igitur Virgilius Palladem assignare Italis, qui illi respectu Troianorum barbari erant: nec eandem assignare Troianis, ne Homericæ œconomiæ repugnaret: nec rursum Martem Troianis, quia ille potius per ea tempora moribus Italorum, quàm Troianorum congruebat, si vtramq; gentem de humanitate in comparationem mitteret. Ita factum est, vt Virgilius vel consilio, vel necessitate abstinuerit à monomachiis deorum. Nannius libro 6. cap. 12.

Miratur sapiens poeta, quid ita vir religiosissimus atq; integerrimus, tot casibus tam graviter afflictus fuerit, cùm contrà eum diis potius magnæ curæ, & in primis acceptum esse oportuisset. Vnam caussam profert, iram, & odium Iunonis. Veruntamen è caussis huius odij Æneam, si perpendas, nulla attingit. Ergo in summa innocentia, velut nocentissimus tam infanda pertulit. Sed ita deo placitum, vt mala bonis accidant: cuius rei caussas XI. ex D. Chrysostomo affert Muretus Orat. 4. volum. 2.

TOT VOLVERE CASVS) Hypallagen esse volunt pleriq; omnes interpretes. Doctus quidam vir censet hoc genus loquendi absq; hypallage quandam καινοπρέπειαν, & tali poeta dignam audaciam habere: quin etiam allusionem ad illud, quod ab ipso quoq; Terentio prouerbiale dicitur, *hoc saxum voluo*. Huius autem prouerbij non parua debet esse auctoritas, cùm ab ipso vsq; Sisypho eius origo repetatur, qui apud inferos saxum ingens voluit, vt apud Lucretium legimus. Consideratio Corradi explanationem, amabo te. Tot voluere casus, in tot calamitates, & casus incidere, quos tamen ille adeò sapienter ac fortiter tulit, vt eos voluisse videatur, quæ summa sit laus hominis, quum facit, quod in 5. Æneid. Nautes monet.

Nate dea, quò fata trahunt, tetrahuntq;, sequamur:
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Et sic Æneas fecit, non vt regeretur à casibus, sed vt regeret ipse casus, quod in exordio Iuguth. Sallust. faciendum docet. Si dicas esse ὑπαλλαγὴν, Æneas tantopere non commendatur.

INSIGNEM PIETATE VIRVM) Eximiam, & multiplicem Æneæ pietatem in deos atque homines, prolatis in medium è Virgilio locis, pulcherrimè ostendit Scaliger Poet. lib. 3. cap. 12. Vide infrà, *Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates, &c.* Pluribus cùm sententiis, tum exemplis è diuina scriptura petitis ostendi hoc ipsum potest, insignes pietate viros semper varios casus voluisse, & oportere voluere, vt placeant deo, qui quos amat, arguit, & castigat.

TOT ADIRE LABORES IMPVL.) Virgilius sollertissimarum aurium sollertissimus subblanditor, si obire dixisset, in asperitatem quasi quandam, & confragosum incidisset sonum, coniungens statim, tot, & ob, cùm alibi quòd extollenda vox esset, dixerit, *Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.* Tenuitas enim antecedẽtis syllabę suffragio egere subsequentis videbatur. Iouian. Actio.

TANT. ANIM. CÆLEST. IRÆ?) Poeta ex persona sua plenus admiratione exclamat. Iusta autem est hæc exclamatio. Aut enim nunquam irasci deos immortales oportet, neq; motu hoc turbido animos eorũ vexari: aut facilè, si fortè alicui irascantur, placari. Euripides etiam in tragœdia, quam Bacchas vocauit, nullo modo hoc cõuenire deorum naturæ, induxit Cadmum dicẽtem, cùm se purgaret Libero patri, vehementerq; sibi iratũ illum placare studeret: ait enim Cadmus. ὀργὰς πρέπει θεοῦ κ' ὁμοιοῦσθαι βροτοῖς. Victor. lib. 25. cap. 2.

Non

Non aliena huius loci arbitror illa quoque apud A Arnobium contra gentes lib.1. Et tamen ô magni cultores atque Antistites numinum, cur irasci populis Christianis augustissimos illos asseueratis deos? Ita nõ aduertitis, non videtis, affectus quàm turpes, quàm indecoras numinibus tribuatis insanias? Quid est enim aliud irasci, quàm insanire, quàm furere, quàm in vltionis libidinem ferri, & in alterius doloris crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dij magni norunt, perpetiuntur, & sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato in dente natrices. Quod leuitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura, & in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire asseueratur à vobis. Et quid ergo sequitur necessariò, nisi vt ex eorum luminibus scintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus spiritum iaciat, ex ore, ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat? Quod si verum est istud, & est exploratum, & cognitum, feruescere deos ira, & huiusmodi motus perturbatione iactari, immortales & perpetui non sunt, nec in diuinitatis alicuius æstimatione ponendi. Vbi enim est vllus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi esse necesse est passionem. Vbi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi. Vbi perturbatio est, ibi dolor, & ægritudo est. Vbi dolor, & ægritudo est, immutationi, & corruptioni iam locus est: quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens sentientibus vitam. Huc vsque Arnobius. Qui etiam lib.7. eodem vsus argumento, iram à diis remouet. Immò verò ait, cum vniuersi animorum motus diis ignoti sint, consentaneum est credere, nullum affectum magis esse ab his longè, quàm qui feris & belluis proximus, turbat tempestatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. * *Vides igitur quàm rectè intelligentissimus poeta iram, & præsertim tam effrenatam iram à diis immortalibus alienissimam censuerit? Argumenta Stoicorum, quibus deo gratiam inesse contendunt, iram ab eo remouent, prosequitur Lactant. de ira dei cap.5. Iisdem affinia leguntur apud Senecam lib.2. de ira, cap.27.*

VRBS ANTIQVA FVIT) Vnisyllabæ voces & inchoandis, & finiendis versibus varietatem afferunt numerorum, valdeque illos sistunt, si à spondeis foueantur, auspicando præsertim versu. Stabiliunt enim sonorem, qui vnus est in vnius syllabæ voce: quod Virgilius frequentissimè seruauit in principiis narrationum.

Est in conspectu longè locus.
Rex arua Latinus, & vrbes.
Est specus ingens.
Est curuo anfractu vallis.
Vt belli signum.
Sic fatur lacrymans.
At Regina graui.

Non quòd dactylus rectè & commodè ibidem non collocetur, vt,

Tu quoq; littoribus nostris: &
Mos erat Hesperio in Latio: &
Nox erat, & somnus:

verùm aures si consulueris, stabilimentum illud soni ab ipso initio, tanquam à fundamento firmiter iacto, nescio quid amplius plenitudine delectat sua. Iouiã. Actio.

Caussas iam quas supra rogauit Musam, ipsemet, tanquam Musa suppeditante refert: aut etiam ipsa Musa memorat: ambiguè enim posita sunt verba, quomodo factum videbat ab Homero in Odyssea, Iliade. Sunt autem poetæ vt in aliis multis, sic in hoc historicis persimiles, quod vtriq; caussas rei, quam scribendam susceperunt, prius explicant, &c. Corrad.

Vides quemadmodum inter caussas irarum, quæ Iunonem iam pridem coquebant, sollicitabantque, vt reliquias Troianorum, in tot casus quà terris, quà pelago obiiceret, prima recenseatur Carthago: quam cùm haberet adeò in amatis, vt eam vel Samo (qua in insula natam, educatam, & Ioui nuptam fabulantur) anteponeret, & inde vsq; à primordio terrarum principem, gentiumque dominam efficere meditaretur: Troianos & paucos, & calamitosos, quorum è sanguine exorituri erant, qui eam olim omnibus rebus ornatam, & florentẽ euerterent, disperdere prius, quàm Italiæ littora tenerent, summis opibus contendit. Hanc porrò caussam eo modo, & tam scitè dilatauit poeta, vt vrbium nobis laudandarum typum, formamque præscripserit: siquidem B à locis septem Carthaginem commendat. Ab antiquitate, à conditoribus, à situ, à diuitiis, seu potentia, à studiis, à fauore numinis, à diuinis, cælestibusque in ea monumentis. Vrbium porrò laudandarum pręcepta quædam petere licet etiam à Quintiliano lib. 3.ca.6. Scalig. Poet. lib.3.ca.106. Isocrates in Panathen. Athenas laudaturus, eiusq; vrbis, seu ciuitatis potius admirabile decus, & prestantiam incredibilẽ ex collatione Lacedæmoniorũ demonstraturus, pręceptum quoddã iis omnibus, qui ciuitates laudare aggrediuntur, perstudiosè obseruandũ cõstituit. Η᾽ γῦμαι ὃ χρῆναι τὸς βȣλομένȣς ἐγκωμιάσαι τίνα τῶν πόλεων ἀκριβῶς, καὶ δικαίως, μὴ μόνον ποιεῖσθαι περὶ αὐτῆς τὸς λόγȣς, C ἧς περιρημένοι τυγχάνȣσιν, ἀλλ᾽ ὥσπερ τὴν πορφύραν, καὶ τὸν χρυσὸν θεωρȣ̃μεν, καὶ δοκιμάζομεν ἕτερα παραδεικνύοντες, τῶν καὶ τὴν ὄψιν ὁμοίαν ἐχόντων, καὶ τῆς τιμῆς τῆς αὐτῆς ἀξιȣμένων: ȣ̃τω ταῖς πόλεσι παρισάναι, μὴ τὰς μικρὰς ταῖς μεγάλαις, μηδὲ ταῖς πάντα τὸν χρόνον ὑφ᾽ ἑτέραις ȣ̃σαις, ταῖς πάντα τὸν χρόνον ἄρχειν εἰθισμένας, μηδὲ ταῖς σώζεσθαι δεομένας πρὸς ταῖς σώζειν δȣναμένας: ἀλλὰ ταῖς παραπλησίαν καὶ τὴν δȣναμιν ἐχȣ́σας, καὶ περὶ ταῖς αὐταῖς πράξεις γεγενημένας, καὶ ταῖς ἐξȣσίαις ὁμοίαις κεχρημένας. Eorum autem, qui vrbem aliquam accuratè, ac pro merito laudare voluerint, officium esse puto, non ipsius tantùm, de qua dicere instituerunt, facere mentionem: sed, quemadmodum purpuram atque aurum spectamus, & probamus aliorum collatione, quæ & speciem eandem pręse ferunt, & eiusdem esse pretij putantur: sic vrbibus etiam è regione collocandas esse, non paruas magnis, neque aliis perpetuò parere solitas, iis, D quæ perpetuò imperare consueuerunt: nec quæ aliorum ope indigent, iis quæ opem ferre possunt: sed eas, quæ & consimili potentia, & iisdem in negotiis versatæ sunt, & parem potestatem habuerunt. Nunc, vnde aliquantum aberrauimus, eò reuertamur. Ad laudationem originis, Carthaginis nempe, refertur, quod Venus in sylua filio facta obuiam, narrationi suæ interserit.

Mercatiq; solum facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.

Item prodigium, quod, dum fundamenta aperirentur, E lætissimum se obtulit.

Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,
Quò primùm iactati vndis & turbine Pœni
Effodêre loco signum: quod regia Iuno
Monstrârat, caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.

Vide Strabon. lib. 17. Eustathium in Dionys. de situ orbis. Iustinum lib.18. Vadianum in Pomp. Melæ lib.1. Sallust. in Iugurtha satius putat de ea tacere, quàm pauca dicere. Florus lib.2.cap.15. Quanta vrbs deleta sit, inquit, vt de cæteris taceam, vel ignium mora probari potest. Quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incẽdium extingui. *Vrbs antiqua*, id est, vel nobilis (hæc enim istius vocis interdum est notio apud Maronẽ) vel

antiqua reuera, quæ etiam ante Romam condita, à qua tamen ad Virgilij ætatem plura sęcula iam fluxerant.

TYRII TEN. COLONI) Colonos, cultores aduenas interpretatur Seruius. Rectè mea sententia: nempe de Tyro venisse constat, qui condiderunt Carthaginem. Ego colonos tamen non simpliciter cultores hic accipiendos censeo: sed respectu coloniæ, quasi in coloniam deductos, vt Græci ἀποίκους. Sed & Cicero colonos in alium locum à metropoli habitandi caussa deductos intelligit, 3. de natur. deor. Quanquam Circen quoque coloni nostri Circeienses religiosè colunt. Et 2. Philipp. adscribere colonos nouos dixit. Germ.

Colonias, teste Seruio in schedis, ita definiebant. Cœtus eorum hominum, qui vniuersi deducti sunt in locum certum, ædificiis munitum, quem certo iure obtinerent. Alij: Colonia est, quæ græcè ἀποικία vocatur, dicta autem est à colendo. Est autem pars ciuium, aut sociorum, missa vbi rempub. habeant ex consensu suæ ciuitatis, aut publico eius populi, vnde profecta est, consilio. Coloniæ igitur, quæ ex consensu publico, non ex secessione sunt conditæ. Poeta noster iure suo dixit audacius, *Tyrij tenuere coloni.* De colonia & colonis exquisitè disserit Budæus Annotat. posterior. in Pandect. pag. 362. * *De origine Carthaginensium Iustinus libr. 18. Festus. Tyria maria, in prouerbium deductum est: quòd Tyro oriundi Pœni adeò potentes maris fuerunt, vt omnibus mortalibus nauigatio esset periculosa. Solinus cap. 40. Vrbem istam, vt Cato in oratione senatoria autumat, cùm rex Iarbas rerum in Lybia potiretur, Elisa mulier extruxit, domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit, ciuitatem nouam. Mox sermone verso in verbum Punicum, & hæc Elissa, & illa Carthago dicta est. Quæ post annos septingentos triginta septem excidit, quàm fuerat extructa. Deinde à C. Gracho colonis Italicis data, & Iunonia ab eo dicta, aliquantisper ignobilis, humili & languido statu, demum in claritatem secunda Carthaginis interiectis centum & duodecim annis, M. Antonio, & Dolabella COSS. enituit, alterum post vrbem Romam terrarum decus.*

ITALIAM CONTRA, TIBERIN.) Opposita Italiæ, qua parte Tiberis se in mare voluit. Quasi aliud agens, à loco, attributis personæ, forma, studio argumentatur, non fuisse cur Iuno tantoperè Carthagini à Romanis timeret, cùm tam longè abesset Carthago ab Italia, tam diues, tam exercitata bellis, vt magis ipsa alteri bellum facere posset, quàm ab alio illatum non sustinere. Quod totum ad laudem Romanorum pertinet, qui talem ac tantam vrbem postea excidere potuerunt. Corrad.

Quàm longè ab ostio Tiberino absit Carthago, quæritur. Modicius ait, recto cursu, siue recta linea non minus quadringentis millibus passuum. Quod verò Plinius lib. 4. cap. 5. ex Varrone Italiam abesse ab Africa scripsit passuum minus ducentis millibus, de aliqua extrema Italiæ parte, vt de Brutiis, locutus est.

STVDIIS ASPER. BELLI) Tria bella cum Romanis gessit, quæ dicuntur Punica, & alia cum aliis, ad quæ respicit poeta. Bellicosam fore portendit caput equi, de quo postea.

QVAM IVNO FERTVR) Aristoteles lib. de poetica, quod fieri non posse videtur, apud poetas tribus modis, quorum vnus fama est, defendi dicit. ὅλως δὲ τὸ ἀδύνατον μὲν ἢ πρὸς τὴν ποίησιν, ἢ πρὸς τὸ βελτίον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν. Hoc est. In summa, quod fieri nequit, vel ad poesin, vel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est. Quamobrem Virgilius noster, vt & alij poetæ, quæ magna admirabiliaque sunt, & fidem excedere videntur, famæ adscribit, vt hoc loco. Item in 3. *Fama est Enceladi*, &c. Et in 6. *Dædalus, vt fama est.* Et. *Namque ferunt fama Hippolytum:* vt erret Valerius Probus, antiquus, & non indoctus Virgilij explanator, qui comment. in Eclog. 6. id proprium, & peculiare Virgilio esse affirmat. Mag. lib. 3. cap. 12.

TERRIS MAG. OMN. VNAM POSTHAB. COL. SAMO) Colebat & alias terras, in quibus ipsa colebatur, sed minus quàm Carthaginem: præ qua etiam Samum quodammodo negligebat. Iliad. Δ. nullam facit Sami mentionem Iuno, cùm gratas, & addictas sibi ciuitates enumerat. Nominat Argos, Spartam, Mycenas. Solent autem poetæ, quas dij deæúe in tutela vrbes, insulasúe, aut montes habent, diligenter recensere, diisque ipsis subiicere, & in memoriam redigere, vt videre est in hymnis Homeri, & Callimachi. German.

Non est cur quisquam miretur, Samum à Iunone prętermitti, quanquam sibi charissimam, ob tres caussas suprà explicatas. Res enim ipsa postulabat, vt non nisi de vrbibus Græciæ, quas diligeret, mentionem faceret: Samus insula est, nec in Græcia. Hanc scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi, vt dicebamus, Iuno adoleuerit, Iouiq; nupserit. Itaque nobilissimum, & antiquissimum templum eius est Sami, inquit Lactant. lib. 1. cap. 17. Et simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. Et Augustin. Ciuit. lib. 6. cap. 2. Sacra sunt Iunonis, & hęc in eius dilecta insula Samo celebrantur, vbi nuptum data est Ioui. Dicta est item Dryusa, & Anthemusa, & Melamphylos, auctore Stephano. Rebus omnibus, præterquam vino ditissimam fuisse narrat Strabo lib. 14. ac propterea dictum, ferre gallinarum lac. Celebrantur etiam vasa fictilia de argilla Samia. Plin. lib. 30. cap. 12. Samia etiamnum in esculentis laudantur. Samium lutum ea vasa nominauit Ausonius epigr. 6. *Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.*

HIC IL. ARM. H. CVR. F) Hunc locum imitatus est Ouid. Fast. 6.

Pœniteat, quòd non foui Carthaginis arces:
Cùm mea sint illo currus & arma loco.

Corrad. notat, Iunonem ὁπλοσμίαν dictam. Certè ab Aristotele fit mentio διὸς ὁπλοσμίου de partib. animal. cap. 10. Currus Iunonij descriptionem, Hebesque arrigationem vide Iliad. 2. German. Curitim, ait Festus, Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant. Est autem curis hasta, Sabinorum lingua. Currus hic aut verè currum, quo secundum Homerum in cælo vtitur: aut thesam significat, qua deorum simulacra portantur. Seruius.

HOC REG. DEA GENT. ESSE) Irridenda est hoc loco Sebast. Corradi subtilitas, qui obiicit, Carthaginensium statum non fuisse regnum, id est, non vsos monarchia, sed repub. quam vocamus politiam. Quasi non & ciuibus ipsis respub. & populis quibus imperarent, regnum dici potuerit. Idem bene animaduertit, latenter valde commendari Romanos, qui Carthaginenses vincere potuerint, quos dea, & quidem talis dea gentibus imperare voluerit. * *Silius lib. 1. Punicor.*

Hic Iuno ante Argos (sic credidit alta vetustas)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen
Optauit profugis æternam condere gentem.

Vide quæ ex Iouiano adducentur in illum versum, Tantæ molis erat, &c.

SI QVA FATA SINANT) Particula, quà, minimè otiosa est, quod putant quidam interpretes (quid enim inane & superuacaneum in Virgilio?) quid ergo? Iunonis molitionem, conatusque declarat, quæ (fatis tamen non aduersantibus) Carthaginem gentium dominam, quo iure, qua iniuria, & quocunque tandem modo constituere studeat. Tertullianus Apologet. cap. 24. ex his verbis contemnendæ Iunonis, & eius imbecillitatis

cillitatis arguendæ ansam captans ait. Vellet Iuno (si dea esset) Punicam vrbem, posthabita Samo dilectam, ab Æneadarum vtique genere deleri? quòd si *hic illius arma, Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse*, &c. misera illa coniux Iouis, & soror aduersus fata non valuit, planè *fato stat Iupiter ipse*. Nec tantum tamen honoris Romani dicauerunt Fatis dedentibus sibi Carthaginem, aduersus destinatum, votumque Iunonis, quantum prostitutissimæ lupæ Larentiæ.

IAM TVM TENDITQ. FOVETQVE) Iam tum, ab initio, nondum plane prorsus ædificata Carthagine. Probè autem versum claudit πολυσύνδετον vt, tectumq;, laremq;: cælumq;, diemq;.

PROGENIEM SED ENIM) Sunt qui per progeniem Corneliam gentem accipiant, propter vtrumq; Scipionẽ Africanum videlicet. Nam si Romanos accipias, bis idem dicit poeta. Romani euertent Tyrias arces, id est, Carthaginem, & Romani venient excidio Libyæ. Quod sequitur, *hinc populum*, illud, hinc, referendum putant ad, *Troiano à sanguine*, ex quo tam populus quàm progenies illa descendit.

AVDIERAT) Ab Ioue vtique: non enim omnes dij futura cognoscunt. Hinc illud Iouis postea ad Venerem.

Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius & voluens fatorum arcana mouebo)

Et in 3. sub persona Celenus.

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis furiarum ego maxima pando.

Per annos CXV. aut bellum inter eos populos (Romanos, & Carthaginenses) aut belli præparatio, aut infida pax fuit. Neque se Roma iam terrarum orbe superato, securam sperauit fore, si nomen vsquã stantis maneret Carthaginis: adeò odium certaminibus ortum vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neque antè inuisũ esse desinit, quàm esse desiit. Velleius lib. 1.

TYRIAS OLIM QVÆ VERT. ARCES) *Horat. Ode 7. Epod.*

Non vt superbas inuidæ Carthaginis
Romanus arces vreret.]

Æneas Didonem nunquam vidit, nec potuit. quippe qui ante Albam longam ab Ascanio filio conditã fuerit. Regnatum est autem Albæ annos trecentos, vt poeta dicit, ante Romam conditam. Ante Romam condidit Carthaginem Dido annis 72. aut circiter. Hinc subducta ratione videas eam minimùm ducẽtis, triginta & amplius annis Ænea posteriorem extitisse. Finxit tamen Maro, vel ab Ennio multo ante fictum accepit hoc de Didone, & Ænea. Qui, Ennius inquam, Romanis gratificari voluit, & mordere Carthaginenses, quorum reginam & auctorem, Romani generis auctor constuprasset: quasi iam tum fuisset augurium, fore vt Romani Carthaginensibus, vt viri mulieribus imperarent, eosque subigerent. Corrad.

OLIM) Septingentesimo, tricesimo & septimo anno postquam fuit condita.

VERTERET) Corrad. legit *euerteret* ex libris vetustis, aitque concursum vocalium similium, qui hiantem, & vastam orationem facit, hic vastatam vrbem referre, vel vastandam significare.

HINC POP. L. R. BELLOQVE SVP.) Expressit Homericum epitheton per solutionem, quo sæpenumero ille exornat Agamenonem, ἐυρυκρείων ἀγαμέμνων. Sic & Pindarus Neptunum ἐυρυβίαν, ἐυρυμέδοντα, & Callimachus Dianam ἐυρυάνασσαν vocat. Turneb. libr. 12. cap. 12. & German. * *Horat. Ode 17. lib. 3. de Lamo.* latè tyrannus. *His etiam verbis, vt notauit Nascimben. pop. Rom. potestas, amplitudo, splendor, maiestas, & gloria bello parta exaggeratur. Dixit idem quod Virgilius alis verbis, & festiuiter Arnobius libr. 4. loquens nimirum de Venere, quàm Lucretius quoque Æneadũm, id est, Romanorum, genetricem nominauit. Gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix. Bello superbum Corradus exposuit, reuera superbum quia Romani superbè imperarint. Reprehendit rectè Modicius in hunc modum. In malam partem bello superbus est, qui dominandi causa bellum iniustum infert: qui superbè imperat, dominatu, non bello superbus dicendus videtur.*

Bello superbum, expone, inclytum armorum gloria. Cic. 1. Tuscul. Quid loquar de re militari? in qua cùm virtute nostri multum valuerunt, tùm plus etiam disciplina. Florus. Pop. Rom. ita latè per orbem terrarũ arma circumtulit, vt qui res eius legunt, nõ vnius populi, sed generis humana facta discant. Et Romulus apud Liu. lib. 1. Proculo Iulio cælo delapsus se obuiam dans, vt ille narrat, Abi, nuntia, inquit, Romanis, cælestes ita velle, vt mea Roma caput orbis terrarum sit. Proinde rem militarem colant, sciantque, & ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. Ac fuit sanè hæc ars propria Romanorum. Patet è Sallust. initio Catilinar. coniurat. Hinc noster Maro in sexto.

Tu regere imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Adde his vaticinium Ennij ex lib. 1. Annalium, quo vrbem condendam affatur.

Nascere quæ populos terraq; mariq; lacesses
Belli turbine præpropero, concussa tremiscent,
Cuncta acres à te vires.

Sed agè, Plutarchus nobis carmen Maronianum illustret. Insignem locum ex commentario de Fortuna Romanorum proferemus. Sed tam facilè rerum successus affluens, vndæq;, vt ita dicam, impetus in tantas opes amplitudinemque euehentis, non manibus hominum, non vi humana hoc esse comparatum imperium clamitat, sed deorum ductu potius, auspiciis, vrgentisque adeo fortunæ velis. Trophæa alia super alia eriguntur, triumphi triumphos excipiunt, arma sanguine calentia, nouo subinde sanguine abluũtur, victorias numerant non cadauerum, spoliorumue aceruis, sed subactis regnis, populisque in seruitutem redactis, insulis, continentibusque classibus suis patefactis. Ea est Romanorum imperij magnitudo. Vna pugna Philippus Macedoniã perdidit; vna clade accepta Antiochus Asia cessit: vno prælio victi Carthaginenses Libyen amiserunt. Denique vir vnus vnius exercitus impetu, imperio Armeniam adiecit, Pontum Euxinum, Arabiam, Syriam, Albanos, Iberas, & omnino quæ cis Hyrcanos, Caucasumq; sunt, &c. Hæc eadẽ ad versum illum transferantur, qui infrà legitur, *Romanos rerum dominos.*

VENTVRVM EXCIDIO LIBYÆ) Hic est modus vnus loquendi de his, quorum afflatu ad grandiloquentiam stilus noster animari debet. Locutio non vulgaris *Venturum excidio Libyæ*, eodem filo quo dicimus, venire subsidio, aut auxilio. Neque rectè Seruius interpretatur, ad excidium, hoc enim languidum est: neque *venturum* significat motum: sed tempus tantùm: æque atq; si dixisset, futurum excidio, id est exitio: sed grandius sonat *excidium*, quia opus, operamque ipsam designat exscindendi. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16.

Et Seruius, & alij plerique exponunt hæc & superiora eo modo, vt poeta videatur idem bis dicere. Nam progeniem nascituram è Troiano sanguine, quæ Tyrias arces, id est, Carthaginem euertat, & hinc populum latè regem venturum excidio, id est, ad excidium Libyæ, Carthaginis (vt totum pro parte sumas) idem prorsus est, & aliud non significat exscindi Carthaginem, quàm euerti. Quare censet Modicius cap. 18. *excidio* hic non significare rerum antecedentium finem, vel effectum:

ſed cauſſam rerum, quæ ſecutæ ſunt. Nam propter excidium Carthagius Romani facti ſunt orbis terrarum principes. Accipiamus igitur *venturum*, id eſt futurum: vt ſignificetur non mutatio loci, ſed fortunæ, ac dignitatis incrementum. *Excidio*, propter excidium, non ad excidiũ: vt ſit ſenſus veriſſimus, & elegantiſſimus. Audierat à ſanguine Troiano ductum iri progeniem, populum ſcilicet Romanum oriturum: qui aliquando euerteret Carthaginem. Deinde propter eam victoriam, ſiue propter excidium Carthaginis, fieret latè imperitans, & bello nobilis, omnibusque ſuperior: Nam vt quiuis Romanæ hiſtoriæ vel parum peritus nouit, Romani grauiores hoſtes, quàm Carthaginenſes nunquã habuerunt, à quibus ad extremum periculum ſunt deducti. Iis autem victis, tantas opes, tantumque nominis ac dignitatis ſunt conſecuti, vt cætera omnia Romanis armis prona, ac facilia viderentur: nec poſt bellum ſecundum Punicum vllum regem, vllamque nationem Romanis cedere puduit. Hoc voluit poeta. Vocem autem *venturum* valere aliquando idem quod futurum, probari poteſt. Virgil. 9. bella fato ventura dixit. Et lib. 6. vates præſcia venturi. Cic. lib. de Fato venturum dixit eſſe immutabile. Et poetis multa conceduntur. Caue igitur, lector, hunc ſenſum ineptiſſimum approbes. Audierat Iuno, à Troianis populum Romanum oriturum, qui aliquando Carthaginem euerteret. Hinc populum Romanum venturum (pedibus, aut nauibus) ad excidium Carthaginis. Quid magis ridiculum?

Tria bella Romani cum Pœnis, ſiue Carthaginenſibus pro gloria, & imperio terrarum orbis geſſerunt, quod teſtatur. 1. Off. M. Tullius: quorum poſtremum non adeo multum, vel potius minimum laboris habuit: quia nimirum non tam cum viris quàm cum ipſa vrbe pugnatum fuit: ſed euentu plane ſecundiſſimo: quippe cum eo tandẽ finita ſit Carthago. Cauſſa belli, quod aduerſum fœdera contra Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem, & exercitum, frequens autem Maſiniſſæ amici, & ſocij Romanorum fines incurſaret. Cum ſederet bellum, de eo finiendo conſultum eſt in ſenatu. Ibi duæ pugnantes dictæ ſententiæ. Nam Cato, vt populo Rom. aliquando ab armis quieſcere liceret, exſcindendendam ſuaſit. Confitetur id ipſemet libello de Senectute apud M. Tull. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, præſcribo, & quomodo Karthagini malè iam diu cogitanti bellum inferatur, multo ante denuntio: de qua vereri non ante deſinam, quàm illam exciſam eſſe cognouero. Scipio Naſica ſeruandam cenſuit: ne videlicet metu æmulæ vrbis ſublato, iuuentus in ignauiam ſeſe, libidinemque effunderet, atque ita boni mores velut exulatum irent. Hunc veriùs, vtiliusque ſenſiſſe docet in Iugurthino Salluſtius, inquiens. Nam ante Carthaginem deletam populus, & ſenatus Romanus placidè modeſteque rempub. inter ſe tractabant: neque gloriæ certamen, neq; dominationis inter ciues erat: metus hoſtis in bonis artibus ciuitatem continebat. Sed vbi illa formido à mentibus diſceſſit, ſcilicet ea, quæ res ſecundæ amant, laſciuia, atque ſuperbia inceſſere. Florus libr. 2. cap. 15. Plutarch. in Catone. Auguſtin. Ciuitat. libr 1. cap. 30.

Expugnauit & incendit Carthaginem Scipio Æmilianus, quem P. Scipionis Africani maioris filius adoptarat. Sed notatu plane dignum, qua nam re Cato Senatum maximè ad vrbis huius opulentiſſimæ & ampliſſimæ euerſionem inflammarit, ficu nempe præcoce Africana demonſtrata. Hoc Plin libr. 15. cap. 18. diſertim narrat, qui locus, quoniam inſtituto noſtro eſt accommodatus, ad verbum tranſcribetur. Agens igitur Plin. A in eo capite de ficis: Sed à Catone appellata iam tum Africana, admonet & Africæ, ad ingens documentum vſo eo pomo. Namq; perniciali odio Carthaginis flagrãs, nepotumque ſecuritatis anxius, cum clamaret omni ſenatu Carthaginem delendam, attulit quodam die præcocem in curiam ex ea prouincia ficum. Oſtendensque patribus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum ex arbore putetis. Cum inter omnes recentem eſſe conſtaret: Atqui tertium, inquit, ante diem ſcitote dercerptum Carthagine: tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatimque ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt. Super omnia quiddam eſt, quo nihil equidem duco mirabilius, tan-
B tam illam vrbem, & de terrarum orbe per CXX. annos æmulam, vnius pomi argumento euerſam. * *De excidio Carthaginis, atq; adeo de Romanorum monarchia poſt Græcorum, ſeu Macedonum imperium, Sibylla hiũ carminibus vaticinata eſt.*

Οὔτε μακηδονίης αἰεὶ κράτος, ἀλλ' ἀπὸ δυσμῶν
Ἰταλὸς ἀνθήσει πόλεμος μέγας, ὃν ὑποκύμος
Λατρεύσει δουλεῖον ἔχων ζυγὸν ἰταλίδῃσι,
Καρχηδὼν καὶ σεῖο χαμαὶ πᾶς πῦγος ἐρείψει.

Nec ſemper Macedo dominabitur, occiduumq;
Surget ab Italia bellum, cui ſubditus orbis
Subdet colla, iugis Italis ſeruire coactus,
Procumbentq; tuæ Carthago funditus arces.

SIC VOLVERE PARCAS) Parcas pro fatis dictum, & alluſum ad nomẽ primæ (tres autem ſunt) quæ κλωθὼ vocatur, κλώθειν eſt voluere.

C ID METVENS) Doloris, iræ, odij Iunonis in Troianos maxima & præcipua cauſſa eſt Carthago, à poſteris eorum, Romanis euertenda, quod his etiam verbis duobus ſignificatur: etſi ſtatim aliæ, ſed minus præcipuæ ſubiiciuntur. Et rectè *metuens*. Eſt enim Cicer. in 4. Tuſcul. metus opinio impendentis mali, quod intolerabile videatur.

VETERIS BELLI) Non quod multis annis antè geſtum fuit, nondum enim ſeptem præterierant ab Ilio exciſo, ſed quod diu, nempe 10. annos durauerat. Melius tamen cum Seruio ad poetæ perſonam referemus, cui meritò vetus eſt bellum Troianum. Sic alibi. *Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum, Flagrantesq; dei*
D *vultus*, partim ad ſe retulit, partim ad Tyrios, qui deum eſſe neſciebant.

SATVRNIA) Antonomaſia, Saturni filia, & quidem ante Iouem nata. Sic enim ipſa 6. Faſt. *Saturnum prima parentum Feci, Saturni ſors ego prima fui.*

PRIMA QVOD AD TROIAM) *Prima* exponit Seruius, princeps. Ante Græcos enim Hercules eam vrbem expugnarat. Magis placet, vt ſit poſitum, prima, pro primò, ſeu, priùs, nomen pro aduerbio, quod faciunt poetæ, & quidem ἑλληνίζοντες, τὰ πρῶτα. Horat. *veſpertinus pede tectum*, id eſt, veſperi. Itaque Eclog. 6. cùm ait, *Prima Syracoſio*, &c. manifeſtum eſt, exponendum illud, prima, primò. Primùm enim affirmat Muſam ſuam agreſte carmen ceciniſſe, & Theocritum ſe imitatũ
E eſſe: poſtea reges, & prælia dicere voluiſſe. Adi locum, & vide Symbolam meam. Si cui aliter videbitur, cum eo non contendam. ✠

GESSERAT) Auctor gerendi fuerat, & ipſamet etiam geſſerat.

MANET ALTA MENTE REPOST.) Infrà, *premit altum corde dolorem*. Repoſtæ epulæ dixit 3. Georg. Lucret. lib. 1. *tereti ceruice repoſta*. Horat. Ode. 9. Epod. *Quando repoſtum cæcubum ad feſtas dapes*. Etiam poſta, compoſta, diſpoſta apud Lucretium eſt inuenire.

IVDICIVM PARIDIS) Iudicium Paridis factũ eſt ante bellum annis aliquot, bellũ durauit decennium: pòſt abierunt anni ferme ſeptem, illa tamẽ nondum erat oblita huius iudicij. Totum hoc iudicium, quo pacto ſibi

cto sibi nomine Iouis per Mercurium mandatum sit, quid dearum trium singulæ sibi promiserint, si secundum ipsas litem daret, narrat ipse Paris Epistola ad Helenam. Est etiam totum à Luciano quodam dialogo descriptum. Caussam huius iudicij poetæ, & cum ipsis Lucianus Tom.4.dial. Panopes & Galenes, fabulantur pomum ab Eride, siue Discordia, & illud quidẽ aureum, proiectum in medium apud conuiuas deos, deasque in nuptiis Pelei, ac Thetidis in Thessalia, cum hac inscriptione, ἡ καλὴ λαβέτω. De quo Iuno, Minerua, & Venus litigarint, & ab Ioue ad Paridem pastorem, cuius tum iustitia in iudicando inclyta erat, in Idam montem, Mercurio duce missæ sint. Vide etiam Hygini fabulas, cap.92. & Silium libr.7. qui idem strictim tractauit. B *Laomedonteus Phrygia cum sedit in Ida Pastor*, &c.

Eiusdem meminit in encomio Helenes Isocrates, & callidè factum Paridis interpretatur, eumque multis verbis excusare nititur. Nihil mirum: in argumento versatur absurdo, & admirabili, ingeniumque, & eloquentiam ostentat, more sophistarum videlicet. Οὐ πολλῷ γὰρ χρόνῳ διελθόντος, καὶ γενομένης ἐν θεαῖς περὶ κάλλους ἔριδος, ἧς Ἀλέξανδρος ὁ Πριάμου κατέστη κριτὴς, καὶ διδόσης Ἥρας μὲν, ἁπάσης ἀμφὶ βασιλείαν τῆς Ἀσίας· Ἀθηνᾶς δὲ, κρατεῖν ἐν πολέμοις· Ἀφροδίτης δὲ, τὸν γάμον τὸν Ἑλένης· τῶν μὲν σωμάτων οὐ δυνηθεὶς λαβεῖν διάγνωσιν, ἀλλ' ἡττηθεὶς τῆς τῶν θεῶν ὄψεως, τῶν δὲ δωρεῶν ἀναγκασθεὶς γενέσθαι κριτὴς, εἵλετο τὴν οἰκειότητα τῆς Ἑλένης ἀντὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· οὐ πρὸς τὰς ἡδονὰς ἀποβλέψας (καίτοι γε τοῖς εὐφρανοῦσι πολλῶν αἱρετώτερόν ἐστιν, ἀλλ' ὅμως οὐκ ὀπῇ δ' ὥρμησεν) ἀλλ' ἐπεθύμησε Διὸς γενέσθαι καὶ κληθῆναι κηδεστὴς· νομίζων πολὺ μείζω, καὶ καλλίω ταύτην εἶ) τὴν τιμὴν, ἢ τὴν τῆς Ἀσίας βασιλείαν. καὶ μεγάλας μὲν ἀρχὰς καὶ δυναστείας καὶ φαύλοις ἀνθρώποις ποτὲ προσγενήσεσθαι, τοιαύτης δὲ γυναικὸς οὐδένα τῶν ὁπηγινομένων ἀξιοθήσεσθαι. πρὸς δὲ τούτοις οὐδὲν ἂν κάλλιον κλῆμα καταλιπεῖν τοῖς παισὶν, ἢ προμηθευάσας αὐτοῖς, ὅπως καὶ πρὸς πατέρος, καὶ πρὸς μητέρος, ἀπὸ Διὸς ἔσονται γεγονότες, ἠπίστατο δὲ τὰς μὲν ἄλλας εὐτυχίας ταχέως μεταπιπτούσας, τὴν δ' εὐγένειαν ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς προσμένουσαν. Hoc est. Post paruum enim temporis spatium orta inter deas lis est de præstantia formæ: & eius arbitet honorarius Priami filius Alexander delectus. Is Iunone regnum Asiæ, Minerua victoriam in bellis, Venere coniugium Helene pollicente, quum non posset corpora diiudicare, neque diuinorum vultuum fulgorem sustinere, ac munerum potius esse iudex cogeretur, consuetudinem Helenæ cæteris omnibus antepositit: non quod voluptates præcipuè spectaret (etsi enim eas viri sapientes multis aliis rebus præferunt, non tamen eò impulsus est) sed Iouis gener fieri, & nominari studuit: quem honorem longè maiorem & præclariorem, quam Asiæ regnum existimabat. Magna enim imperia & potentiam, etiam nihili hominibus obuentura olim: tali verò muliere ex omni posteritate dignatum iri neminem. Animaduertit etiam, se nullum pulchrius patrimonium suis liberis posse relinquere, quàm si tam paternam, quàm maternam originem ad Iouem referrent: quippe qui sciret, cætera fortunæ commoda celeriter aut interire, aut transire ad alios: sed nobilitatem semper apud eosdem permanere. Hoc iudicium, & vnà cùm ipsius Veneris (quæ rem huiusmodi, pulcherrimam videlicet fœminam, eandemq; cum viro nuptam, aut non promittere, aut promissam minimè præstare debuisset) tum Paridis culpam insinuans Arnobius, sic ait lib.1. Vt Helena diis ducibus atque impulsoribus rapta, & suis esset dirũ, & venturis temporibus fatum, religionis nostræ attributũ est crimini?

Macrobius alieni iudicij mancipium, supina quadam temeritate negat in 5.Saturnal. vsquam ab Homero de Paridis iudicio factam mentionem, sed à Virgilio temere occupatam. Iam tum primùm quid nobis aut dicendum, aut suspicandum est? Macrobium excerpsisse potiùs ex aliis calumnias, quàm Homerum legisse. An Græco popularis lectionis memoriam intercidisse? An verò si Homerus aut ignorauit, aut dissimulauit illius iudicij fabulam, non licuit viro omnium doctissimo ex aliorum eruditione depromptam posteritati profiteri? At enimuerò in vlt.Iliad. sic scriptum est.

Ἔνθ' ἄλλοις μὲν πᾶσιν ἐήνδανεν, οὐδέποθ' ἥρῃ,
Οὐδὲ Ποσειδάων', οὐδὲ γλαυκώπιδι κούρῃ.
Ἀλλ' ἔχον, ὥς σφιν πρῶτον ἀπήχθετο Ἴλιος ἱρὴ,
Καὶ Πρίαμος, καὶ λαὸς Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης
Ὃς νείκεσκε θεὰς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο,
Τὴν δ' ἤνησ', ἣ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν.

Omnibus hoc aliis placuit: sed cæsia virgo
Neptunus, Iouis & coniux alia omnia sensit.
Namq; vetus fouêre odium, quo Pergama primùm,
Et Priamum auersi, populumq; fuere, malorum
Quæ Paris inuexit caussa, quum paupere diuas
Acceptas tecto despexit, eamq; probauit,
Vnde voluptatem pensandam luctibus hausit.

Scalig.Poet.lib.5.cap.3. * *Vtrum in Ida monte, an apud Antandrum exercuerit Paris hoc iudicium, auctores disputant. Vide plura apud Delrium comment. in Troad. Senecæ pag.423.*

SPRETÆ Q. INIVR. F) ἐπεξήγησις. Iudicium Paridis, id est, spretæ formę iniuria. Homer. lib.24. Iliad. Iunonem, & Palladem, quòd ipsis Venerem in iudicio de C forma prætulisset, tantoperè Ilio, Troianisque infensas fuisse narrat, vt Hectoris quoq; prorsus innocentis corpus, nequaquam vt dij reliqui miserarentur.

ET GENVS INVIS.) Genus inuisum est Dardanus, Iouis ex Electra pellice filius, vnde Troiani, qui & Dardanidæ. Genus Electræ vocat ipsos Troianos Iuno apud Ouid.6.Fast.

Tum me pœniteat posuisse fideliter iras
In genus Electræ, Dardaniamq; domum.

ET RAPTI GANYM.) Hoc est, surrepti ab aquila, vt fabulosè canunt poetæ. Hunc Ioui ad pocula stare finxerũt. Hinc in Lusibus. *sacra alite raptus, Miscet amatori pocula grata suo.* Cic.1. Tusc. Non enim ambrosia deos, aut D nectare, aut Iuuentate pocula ministrante lætari arbitror, &c. Nonius Comment.5. in vocabulo Honor, *rapti honores* iungit, & rapta integritas interpretatur. Erythręus in Indice. * *Idipsum per solum patrium casum rapti, intelligit Seruius. Sed quos ad probandum adducit locos, nihil probant. Quare melius, rapti, id est, sublati, & in cælum ab aquila deportati.*

HONORES) Quales fuerunt, à Ioue diligi, eidem pocula miscere, inter sydera collocari, deum haberi, &c. Lactant. superstitionum veterum accusator acerrimus, falsorumq; deorum exagitator seuerissimus, lib.1. cap.1. postquam demõstrauit, quàm egregij fuerint dij, & quã cęlo digni propter flagitia sua, Æsculapius, Apollo, Mars Castor, & Pollux, Mercurius, Liber, Iouem quoq; Opt. E Max. ad extremũ inuadit, eiusq; stupra, & adulteria summatim detegit. Tandẽ plenus iusta indignatione, ita pergit. Illud verò summæ impietatis ac sceleris, quòd regiũ puerum rapuit ad stuprum. Parum.n. videbatur, si in expugnanda fœminarũ pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiã sexui suo iniuriã faceret. Hęc qui fecit, viderimus an maximus, certè optimus non est, quod nomẽ à corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest: nisi fortè nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos vocamus, ac perditos, omnibusq; pœnis dignissimos iudicamꝰ. Stultus aũt M. Tullius, qui C. Verri adulteria obiecit: eadẽ.n. Iupiter, quem colebat, admisit. Qui P. Clodio incestum: at illi Opt. Max. eadem fuit & soror, & coniux.

De rap.

De raptu porrò Ganymedis etiam Virgilius noster in 5. Homerus Iliad.v. Lucianus dialogo 1. Tomo.4. Eundem raptum, & ministerium pocillandi exprobrat Ioui Iuno, dial. 2. Meminit eiusdem tom. 2. in Dearum iudicio. Cic. 1. Tuscul. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à diis raptum ait, propter formam, vt Ioui pocula ministraret. Non iusta caussa cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Vbi obserua μνημονικὸν ἁμάρτημα Ciceronis. Nam Ganymedes filius fuit Trois, fratrem habuit Ilum patrem Laomedontis: Laomedon pater Priami. In 5. Tuscul. idem affirmat, quod Lactantius. Herodianus in Commodo, dum docet vnde vocabulum Pesinunti in Phrygia: Hic etiam fama fert Ganymedem ipsum, trahentibus in diuersa germani, atque amatoris manibus, vita esse orbatum: sublatumque è medio, pro calamitatis solatio, relata ad Iouem raptorem fabula: diuinis fuisse honoribus affectum. Vide insuper emblema 4. Alciati, & in id Claudium Minoem.

HIS ACCENSA SVPER) Super his accensa: est enim anastrophe. Quæ dicta sunt, fuerunt Iunonis incendio, iræ, inquam, flagranti velut materia. Et his de caussis miseros, & pauculos illos Troianos, quos Græcorum, præsertimque Achillis gladius consumere non potuit, tot annis per diuersa maria iactatos, vexatosque ab ingressu Italiæ coercuit, ne nascerentur aliquando ibidem, qui Carthaginem exscinderent.

IACTATOS ÆQVORE TOTO) Suprà, *terris iactatus, & alto.* Est autem ὑπερβολὴ, & συνεκδοχή.

IMMITIS ACHILLI) Sæui, violenti, indomiti, ferocis, atrocis, sanguinolenti, duri. Hinc Horat. ad Pison.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer:
Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.

Nec viuus solum, sed mortuus etiam in Troianos immitis fuit: propter Polyxenam, quàm sibi ad tumulum suum, super eo apparens, mactari petiit. Ouid. 18. Metamorph. *Cinis ipse sepulti In genus hoc sæuit, tumulo quoq; sensimus hostem.* Corrad. Achilli dixit, detracta s. littera propter ὁμοτέλευτον, vt Seruius notauit.

ARCEBAT LONGE LATIO) Infra Venus apud Iouem conquerens, *vnius ob iram Prodimur, atq; Italis longè disiungimur oris.*

MVLTOSQVE PER ANNOS ERRAB.) Septem, vt in fine huius: *nam te iam septima portat. Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.*

ACTI FATIS) Ducentibus fatis, ait Liuius. Agebantur quidem fatis in Italiam, sed odio & machinatione Iunonis errabant. Quod tamen ipsum quoq; in eorum fatis fuit.

TANTÆ MOLIS. E. ROM. COND. GENT.) *Initia Romanæ gentis & Vrbis persequuntur Liuius, Dionysius & alij, paucis Iustinus lib. 43.*] Demetrius differens de epiphonemate, definit esse dictionem, quæ ornatum affert, seu rem iam prolatam exornat, & ipsum in dicendo, atque in omni ratione magnificentissimum, cumq; ijs rebus, quæ & in domibus diuitum, fortunatorumque hominum, & in vestitu reliquaq; vita ad speciem, & pompam adhibentur, similitudinem magnam affirmat. Huius plenam esse Homeri poesin: exempla quædam producit. Cuius ornamenti etiam apud Latinos & poetas, & oratores exempla sunt, è quibus illustre censetur ipsum, quo, sublata voce superiorem expositionem auget. Sic Lucret. in 1. *Tantum relligio potuit suadere malorum.* [*Rursum.* Tantum elementa queunt permutato ordine solo. *Et noster lib. 3. Æneid,* Tantũ æui longinqua valet mutare vetustas.] Hoc quoque Ciceronis in Verrem elegans est, atque id prorsus facit, quod proprium ipsius esse declarat Demetrius. Vna atque eadem nox erat, qua Prætor amoris turpissima flamma, & classis pop. Rom. prædonum incendio conflagrabat. Vide Victor. in eundem locum Demetrij, & Rhodigin. lib. 23. cap. 7.

Adscribamus etiam iudicium Iouiani de artificio huius carminis. Sic ille in Actio, in quo dialogo tam eruditè, tantoq; cum iudicio Virgilianos numeros, concinnitatemque examinauit. Claudit sæpenumero Virgilius plures versus sistendo sonum, illumq; remoratur, ne ipsa aut deliqueat sonoritas, aut præcipitetur. At videte, obsecro, quàm appositè, quàm studiosè præstruit tribus è dictionibus versum, iisq; dissyllabis, & tanquam prima in acie spondeum collocat, solutum quidem ac liberum, indeque præterea secunda alterum, atque alterum in tertia, & quarta acie. Inter primùm autem spondeum, ac secundum, vnum quidem secunda in acie constituit dactylum, & ait, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Et alibi. *Si quà fata sinant, iam tum tenditq;, fouetq;.* At si inuertas, *Molis erat tantæ*, &, *Fata sinant si quà*, omnis illa vocalitas iam exhalatur, quod Virgilius vt prohibeat, solutum ab omni connexione spondeum in principio collocat, vt alio in loco, cum ait: *Curru iungit Halesus equos.* Potuisset enim dicere. *Iungit Halesus equos curru.* Numeris tamen maluit, auribusq; consulere. Dilabi enim videtur sonus, pæne fugere, cum dicit, *Iungit Halesus equos*, tali præsertim in loco. Apparet enim elegiacus semiuersus: contrà verò constitit vox, & sibi ipsi præsidio est, ne (vt dixi) exhaletur, ac difluat, cũ dicitur, *Curru iungit Halesus equos.*

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & spumas salis ære ruebant:
Cùm Iuno æternum seruans sub pectore vulnus,
Hæc secum: me ne incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasné exurere classem
Argiuûm, atq; ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilêi?
Ipsa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecitq; rates, euertitq; æquora ventis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloq; infixit acuto.

Astego

50 Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouiſq;
Et ſoror, & coniux, vna cum gente tot annos
Bella gero. & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

VIX E CONSPECTV SICVLÆ) Vix Troiani naues in aquam deduxerant, paulumque à littore in altum proceſſerant, & adhuc Siciliam in conſpectu habebant, ſeu conſpicere poterant, cùm Iuno, &c.

LÆTI) Gaudentes, propter vicinitatem Italiæ.

SPVMAS SALIS ÆRE RVEBANT) Sine controuerſia de nauibus roſtratis intelligendum eſt, quæ æreo roſtro in prora armatæ erant, vnde & æratæ dicuntur lib.10. *Quot prius æratæ ſteterant ad littora puppes.* Et libr.5. *Conuulſum remis, roſtrisq; tridentibus æquor*, eadem de cauſſa dicitur. Senſus igitur eſt. Mare roſtra nauium, quæ ærata erant, ſeu naues æreis roſtris ſecabant, & ita ſpumas eruebant. Turneb.lib.12. cap.12. & lib. 26. cap. 23. * *Alibi dixit*, campos ſalis ære ſecabant. *Et Catull.de nupt.*

Omnia quæ toto delapſa è corpore paſſim
Ipſius ante pedes fluctus ſalis alludebant.

Lucret. lib. 4. Nam quæcunque ſupra rorem ſalis edita pars eſt Remorum. *De ſpumis, quæ agitatione remorum, & nauium roſtris per mare excitantur, elegantiſſimè idem Catull.in eodem poemate.*

Quæ (Argo) ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanuit vnda.

Et infrà vocat canentem gurgitem.

Emerſere feri canenti è gurgite vultus,
Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes.

CVM IVNO ÆTERNVM) *Quàm elegantem ſæpe vſum particula* cum *habeat, vide Cardinalem, à quo & hic locus cum aliis Virgilianis afferri potuiſſet.*] Ad peripetiam ſeſe accingit poeta, id eſt, ad ſubitam & ingentem fortunæ mutationem. Nam cùm Æneas ventis fæliciter ſpirantibus, Italiæ portum, quem proximum videbat, breuiſſima nauigatione ſe capturum ſperaret, id non modo non poteſt aſſequi, ſed potius in grauiſſimum vitæ diſcrimen, hoc eſt, in horridam tempeſtatem incidit, & in Africam, quò minimè volebat, vi ventorum impellitur. Hoc ſanè peripetiæ proprium eſt, ſubitos atq; admirabiles caſus cum ſubita etiam atq; ingenti immutatione in apertum proferre. Cùm verò ait poeta, *æternum ſeruans ſub pectore vulnus*, Iunonem valde iratam, animoque irato locuturam deſignat. Naſcimb.

Æternum vulnus licet interpretari, immedicabile, inſanabile vulnus, hoc eſt, iram implacabilem, quomodo alibi dixit, *Iunonis grauis ira, & inexſaturabile pectus.* Vulnerare, & vulnus, in amore, dolore animi, incommodo, calamitate, atque pernicie. In 4. *Vulnus alit venis.* Et, *tacitum viuit ſub pectore vulnus.* Ibidem, *graui iamdudum ſaucia curà.* Idem eſt ſauciari, quod vulnerari. Lucret.lib.1. *æterno deuinctus vulnere amoris.* Horat. Ode 27. lib.1.

——— dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.

Nunc ad alias notiones venio. Cic.1. Catil. Et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Ad Att. lib.5. Si ad cętera vulnera, quibus putaſti rempub. deleri, hanc quoq; mortiferam plagam inſtituſſes conſulatus tui. Lib.4. epiſt. ad famil. Nunc autem tam graui vulnere etiam illa, quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Idem ſunt, Reipub. prouinciæ, ciuitati, imperio, vulnus imponere, inurere, infligere. Rectè etiam, reſpub. magnum vulnus accepit. Cic. de ſe ipſo in Academ. Nunc verò & fortunæ grauiſſimo percuſſus vulnere, & administratione reipub. liberatus, doloris medicinam à philoſophia peto. Virgil.lib.8. *grauior ne nuntius aures Vulneret.* Lib.12. *triſti turbatam vulnere mentis.* Lucret. lib. 2. *Aeternumq; daret matri ſub pectore vulnus:* quod mutuatum Virgilium nonne vides?

HÆC SEC.) Alibi, *tacitus mecum ipſe voluto.* Sulpic. ad Cicer. epiſt. lib.4. Cæpi egomet mecum ſic cogitare. Homer. Odyſſ.ε. πρὸς τόν μυθήσατο θυμόν. Euripid. αὐτὴ πρὸς αὐτήν. German. * *Terent. Andr.* Egomet continuò mecum, Certè captus eſt, habet. *Subauditur, cogitabam, volutabã, &c.*

MENE INC. DESIST.) En vt Iunonis ira, aduerſus inſontes Troianos, felicibus Auſtris per placatum pelagus è Sicilia propinquam petentes Italiam efferueſcit. Quã iniquis oculis claſſem æquatis procedentem velis intuetur? Quàm ſe ad id vſq; temporis incaſſum ſæuiiſſe dolet? quàm ipſa fata contemnit? non minus ſibi, minus autem? plus etiam quàm Palladi licere oportere audaciſſimè pronuntiat. Niſi exules iſtos oppreſſerit, diuinitatẽ, maieſtatemque ſuam auguſtiſſimam deinceps mortalibus futuram ludibrio: vt quæ aduerſus paucos, imbelles, profugos, & omnium rerum difficultate circumuentos tanto molimine, tantiſq; conatibus nec hilũ valuerit.

Artificium orationis huius tam iracundæ, ſubtiliter, & ingeniosè conſiderauit Scalig. Poet. lib.3. cap.24. Conſiderationem ſubiicio. Indignatur Iuno, ſine proœmio, ſed ex abrupto, vt aiunt, idq; per interrogationem. Nihil proponit, ſed ſupponit. *Mene incepto deſiſtere victam?* at non propoſuit inceptum illud, tum quia irata eſt, tũ quia ſecum loquitur: mox tamen aliquid explicat, vt auditori ſatisfaciat. *Nec poſſe Italia Teucrorũ auertere regem.* Confirmat propoſitum per detractionẽ obiectionis: nam fata obſtabant: At exemplo appoſito demõſtrat aliàs id factum, idq; à minore numine: præterea minore in re, minore merito, fortioribus inſtrumẽtis. Idcirco dixit, *Pallas*, & ſubdit de ſe per collationem efficientis. *Aſt ego quæ diuûm incedo regina, Iouiſq; Et ſoror, & coniux.* Factum quoq; exacerbabat ſupplicij immanitate. Duo enim extrema ſunt, exurere igni, & aqua necare: immane enim eſt, elementa puriſſima fieri noxia. At ipſa huic, aut eiuſmodi crudelitati oſtendit ſeſe non ſtudere: ſatis ſibi futurum fuiſſe, ſi auertere poſſet Teucrum, non Italũ ab Italia, non à Troia. Dixit autem regem Teucrorum, non Teucros, vt vnius perſonæ appellatione rem oſtenderet faciliorem. Præterea æquum videtur, vt, ſi Teucrorũ rex eſt, extra Teucrorum gẽtem ne quærat regnum. Poſuit etiã claſſẽ Argiuorum, ſcilicet victorum. Adhæc totam Pallas gentem perdidit ob vnius noxã tantùm: eiuſq; nõ ſui compotis, ſed furioſi: minus .n. ſupplicij meretur. Et populus nihil pro rege. Adde φ Aiax iſte non fuerit magnus Telamonius, ſed φιλὸς Oilei, vt nequaquã populi interitus debuerit interuenire. Amplificat deinde factũ Palladis, quæ fulmẽ non ſuum, ſed Iouis iaculata ſit, idq; è nubibus, quę in regno ac poteſtate Iunonis ſunt. Addit etiã tempus: nãq; ilicò de Aiace ſupplicium ſumpſit. Aſt ego tot annos bella gero, & vna cũ gente. Concluſio aũt eſt, per indignationem. *Et quiſquã numẽ Iunonis adoret?*

Valet huiuſmodi oratio per infinitum ad animi affectum vehementiorẽ exprimendum. Sic in hoc ipſo lib. *mène Iliacis occumbere cãpis Non potuiſſe, tuaq; animã hãc effundere dextra?* Cic. lib. 14. ep.1. ad Terẽtiã ſuã. Me miſerum, te iſta virtute, fide, probitate, humanitate, in tan-

tas ærumnas propter me incidisse? Tulliolāq; nostrā, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? Et epist. 2. eiusdem lib. Hem mea lux, meum desideriū, vnde omnes opē petere solebāt: te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lachrymis, & sordibus? idq; fieri mea culpa, qui cæteros seruaui, vt nos periremus. Et 14. Philip. Quenquā ne tam fuisse sceleratū, qui hoc fingeret? tam furiosum, qui crederet? Lucret. lib. 2. *nónne videre, Nil aliud sibi naturā latrare*, &c. Oratio est præcisa, & decurtata: quali vti solēt in perturbationibus, & indignationibus: proinde ac si dixisset, nónne sunc cęci, vt non videant, nihil aliud naturam latrare, id est, poscere, nisi vt, &c. Terent. Andr.

Adeon' impotenti esse animo, vt præter ciuium
Morem atq; legem, & sui voluntatem patris,
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?
Horat. Ode 8. Epod.
Rogare longo putidam te sæculo,
Vires quid eneruet meas?

Ex Lamb. in Horat. & Lucret. & aliis. * *Sed est etiam in prouocabulo illo*, me, *hoc loco egregia emphasis, quæ infrà explicatur*, Ast ego quę diuûm incedo regina, Iouisq; Et soror, & coniux. *Inceptum porrò eius est, vexare, persequi, ab Italia longè arcere Troianos. Ab his rebus vt victam, & scopo frustratam desistere, nimis acerbum, nimis turpe, & indignum videtur.*

TEVCR. REG.) Credo εἰρωνικῶς accipiēdum. Qualis .n. rex, qui regno caret, & qui tam paucis imperat? Vt enim sint 20. naues, & in iis aliquot hominū millia, quid hoc ad maiestatem regiā? Certè & in diuinis libris scriptū est. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia principis. Contemnit ergo illum, & inde, quia contra βασιλίδιον istuc nihil possit, vehementius indignatur.

QVIP. VET. FAT.) Non nescit se fatis vetari. Suprà, *audierat, &, sic voluere Parcas.* Ipsa in septimo.

Non dabitur regnis, esto. prohibere Latinis
Atq; immota manet fatis Lauinia coniux:
At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.

Hìc autem præ furore contemnit & irridet, quod ei de fatis possit obiici, & ad comparationem venit. Corrad.

PALLASNE EXVR. CLAS.) Argumentatio est à minore, cui similis illa apud Cic. 1. Catil. An verò vir amplissimus P. Scip. Pont. max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. priuatus interfecit, L. verò Catilinā orbē terrarum cædibus, & incendiis vastare cupientē, nos consules perferemus? Et classē inuidiosè dicit, quasi de multis, non de vna Aiacis naue loqueretur. Nascimb. * *Quomodo sit à minoribus ista argumentatio, explicandum est. Cōparantur enim in ea, vt bene animaduertit Corrad. persona cum persona, Pallas cum Iunone, dea inferior cum regina deorum, tempus cum tempore. Illa suos inimicos breui tempore vlta est: hæc tot annos cum suis bella gerit. Res cum re. Illam offenderat vnus, & tamen potuit totam nauem eius cum vectoribus submergere, &c. Hæc à multis læsa, nondum se vlciscipotuit. Et Pallas quidem victores vicit, Iuno victos vincere nondum potuit. Cæterùm talē nauigationem Horat. Mæuio poetæ maledico imprecatur, Ode 10. Epod.*

Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graia victorum manus,
Cùm Pallas vsto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.

OB NOX. ET FVR.) De culpa caussa cognoscitur, quā extenuat, simulq; Aiacis crimē excusat, vt honestior irascendi, atq; indignandi caussa sibi esse videatur. Noxam dicit, quod leuioris criminis nomen est: & vnius, quod facile condonari potest: & furentis, vt nec crimen, nec culpa sit. Nam furioso homini peccatum nō adscribitur, qui mentis consilijq; inops est. Caussam igitur criminis, si crimen dici potest, furori assignat, quod veniali statu defendi solet. Quāquam hìc furor, amoris furor est. Nā per vim Cassandram traxit, & violauit in tēplo Palladis. Qua de re ita apud Euripidem Minerua loquitur. οὐκ οἶσθ' ὑβριθεῖσάν με, καὶ ναοὺς ἐμούς: id est, nescis læsam me, & templa mea? Cui Neptunus respōdet, οἶδ' ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ, id est, noui, quando Aiax traxit Cassandram per vim. Nascimb. * *Tryphiodorus Græcis omnibus propter huius vnius sacrilegium iratam canit.*

Intactæq; pedes sub Palladis acer Oilei
Aiax oppressit Cassandram confugientem.
Indignata dea est, & vim facinusq; perosa
Auertit solitum à Danais Ioue nata fauorem,
Vnius ob noxam cunctis infensa Pelasgis.

Aiacem hunc Oilei filium Locrensium ducem, eorumq; 40. nauium facit in Bœotia Homerus, eumq; & laudat, & cum Aiace Telamonio comparat, quem præfert. Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν οἰλῆος ἰχὺς Αἴας, μείων, ἤτε τόσός γε, &c.

IPSA 10. RAP. IG.) Seruius hos deos fulminatores enumerat, Iouem, Vulcanum, Mineruam. Ab aliis etiam Sumanus additur, qui summus est manium. Apud nostrū hìc Pallas non contēta suo fulmine, Iouis ignē (quò magis sæuiret) eiaculatur. Vnde colligimus, deos nunc suis, nunc alienis fulminibus vti. Nannius lib. 3. cap. 3. Sed duplicē vtriusq; fulminis differentiā obseruauit Delrius in Hercul. Oetæū Senec. Prioré ex Acrone, q̃ aliorū deorū fulmen album vel nigrū, solius Iouis rubrum. Vnde Horat. *& rubente Dextera sacras iaculatus arces.* Alterum, q̃ alij dij tantū possidebant grauius fulmen, quo noxij puniūtur: illud verò, quod secunda, seu fausta tela vocat Ouid. minus & leue Senec. hoc ad solū Ioué pertinebat, & ab eo tantū non nisi monendi homines gratia mittebatur. Quia (vt Seneca docuit) ad regem maximè spectat iuuandorum subditorum cura, & sollicitudo. Lege reliqua *Rapidum Iouis ignem*, periphrasis est fulminis.

IAC. E NVB.) Cic. 2. de diuin. Placuit Stoicis, si nubium cōflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Facit hìc Pallas sacrilego suo, q̃ optauit fieri Lucret. sceleratis hominibus (si dij fulmina mitterent, quod ille nō credit) nimirū vt, quibus est potestas, & ius iaciēdi fulminis, eos vlciscerentur, non aūt insontes planè, quod tamen videmus fieri, & miramur: quia æquum nō videtur, vt pœnas luant, qui nihil peccauerunt. Quod si punirentur hac ratione homines improbi, proficeret id reliquis ad emendationem vitæ. Tale quid optat lib. 4. Iarbas Getulorum rex, quē Dido maritum fuerat dedignata, pium virum, potentem, Afrum: & se aduenæ, turpi cupidine capta, stupro magis, quàm matrimonio coniunxerat.

Aspicis hæc, an te, genitor, cum fulmina torques,
Nequidquam horremus, cæciq; in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miscent?

Sed iam Lucretianos versus tibi ante oculos ponemus.

Quòd si Iupiter, atq; alij fulgentia diui
Terrifico quatiunt sonitu cælestia templa,
Et iaciunt ignes, quo cuiq; est cunq; voluntas,
Cur, quibus incautum scelus auersabile cunq; est,
Non faciunt, icti flammas vt fulguris halent,
Pectore perfixo documen mortalibus acre?
Et potius nullæ sibi turpis conscius reij,
Voluitur in flammas innoxius, inq; peditur,
Turbine cælesti subitò correptus, & igni?

EVER. ÆQ. VENT.) Tranquillū prius mare adeo perturbauit, vt euersū videretur. Hoc vt posset, à Neptuno, sicut ventos ab Æolo impetrauit. Et est ὕστερον πρότερον, prius n. mare oportuit perturbari, q̃ naues disiicerentur. Corrad.

ILLVM EXPIR. T. P. FLAMMAS) Delectus ipse verborum, poetæ nobilitat supellectilem. Verùm satis non est delegisse, nisi etiam seligas: fit enim delectus plerumque è multis, selectio verò è paucis. Itaque & voces, & syllabas, etiam litteras seligere oportet, quo versus vndique sibi ipse constet, ex eoque tanquam in quadrum redacto numerum perficias, id quod versus hic indicat.

indicat. An non poterat etiam sic, *traiecto pectore*, suo quidem, ac proprio verbo? sed cùm ante collocasset vocem illam, *exspirantem*, pòst verò *flammas*, refertam vtramque consonantibus litteris, voluit etiam in medio collocare vocē, quæ similibus quoq; literis consonaret. Quippe cùm in dictione, *traiecto* ea non esset consonantum litterarum copia, nec similitudo, quæ vtraque est in *transfixo*. Iouian. Actio. Flammas accipe fulminis, quas vnà cum scelerata anima expirauit.

TVRBINE CORRIPVIT) Genus venti intelligit, quod Græci πρηστῆρα.

SCOPVLOQVE INFIXIT ACVTO) Cautibus Euboicis, apud montem Caphareum, de quo lib. II. Venulus, vt à Diomede cognouerat legatus.

EGO QVÆ DIVVM INCEDO REG.) Semper arbitratus sum, plus aliquantò latere in his verbis, quàm statim à nobis animaduerteretur. Tandem autem ex Athenæo didici, insigni quadam maiestate incessus veteres existimasse Iunonem procedere, quò respexisse poetam iudicaui. Nam Athenæus ἡρῴον βαδίζει, id est, Iunonio incessu ambulat, pro grauitate quadā, & magnificentia incessus dixit: vt & Propert. libr. 2. eleg. 2. & *incedit vel Ioue digna soror*. Eum fortasse incessum etiam imitabantur, qui eius sacra ferebant: vnde & Flaccus scripsit Sat. 3. libr. 1. *sæpe velut qui Iunonis sacra ferret*: quod tamen propter dignitatem sacrorum tantæ deæ, & propter pompam potius fiebat. Ea porrò sacra ferebant puellæ, vt ait Ouidius, & dicebantur κανηφόροι.

More patrum sanctæ velatæ vestibus albis,
Tradita suppósito vertice sacra ferunt.

Quanquam & aliâs sacra etiam omnia tardo gressu ferebantur, & vt ait Cicero, fercula pomparum. Turneb. lib. 13. cap. 16.

Locus Ciceronis à Turnebo insinuatus, est 1. Offic. de moderando incessu. Cauendum est, ne aut tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus, vt similes pomparum ferculis esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. Quod Virgilius diuûm reginam vocat, Catullus ad Mallium, maximam cælicolûm: Claudian. dominam stellantis olympi. De Didone quoque in hoc libro infra. *Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit*, vt incedere personam regiarum, aut illustrium valde, præsertimq; fœminarum esse videatur. Cum hoc, *Ast ego quæ diuûm*, &c. & sequentibus duobus, compone illos de lib. 7.

Ast ego magna Iouis coniux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea.

IOVISQVE ET SOROR, ET CONIVX) Homerus Iliad. π. ἤρην δὲ προσέειπε κασιγνητὴν, ἄλοχόν τε. Apud Horat. Ode. 3. lib. 3. vbi se Troiam, si instauretur, denuò euersuram minatur.

Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis, & sorore.

Ouid. 1. Metamorph. socia generisq;, toriq; vocatur. Et lib. 3. cum aduersus Semelen baccharetur.

——— ipsam, si maxima Iuno
Rite vocor, perdam: si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet: si sum regina, Iouisq;
Et soror, & coniux, certè soror.

Rursum lib. 6. Fast. *Ex illis fuit vna sui germana mariti.* Ac paulò pòst ita de vtroque, sanguinis, inquam, & tori communione cum Ioue, se iactans inducitur.

Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse sororem:
Fratre magis dubito glorier, anne viro.
Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem
Feci: Saturni sors ego prima fui.
Si torus in pretio est, dicor matrona tonantis,
Junctaq; Tarpeio sunt mea templa Ioui.

Martialis quoque libr. 9. *matrona tonantis*. Vide etiam notata ad 10. Æneid. ibi *O germana mihi, atq; eadem gratissima coniux.*

Verum enimuerò, hanc esse deorum licentiam, cum consanguineis, & sororibus coniungendi matrimonij, indicat his versibus. 9. Metamorph. Ouid.

——— Dij nempè suas habuere sorores.
Sic Saturnus Opim iunctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Thetin, Iunonem rector olympi.
Sunt superis sua iura.

Qua occasione Iouis vxor facta sit Iuno, commentū explicat Natalis Comes libr. 2. cap. 4. Verùm quàm ista, quantumuis nobili, & omnibus modis eximia vxore parum contentus fuerit Iupiter; quot aliena matrimonia adulteriis, quot virgines stupris fædauerit, à quibus item deabus non abstinuerit, poetæ, & mythologi monstrabunt. Vnus nunc Apollodorus occurrit, libr. 1. Bibliothecæ. Eiusdem libidines etiam disertè vehementerque exagitat scriptor facundissimus, ac veteris elegantiæ cōsectator diligens Arnobius, cuius vnam hìc ex lib. 4. sententiam describemus. Potest vlla grauior contumelia Ioui vestro infligi, aut quidquam est aliud, quod labefactet, aut destruat deorum principis auctoritatem, quàm quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis victum, & in fœmineos appetitus inflammati pectoris incaluisse feruore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat satis Iuno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinū, cùm nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas, & vlnarum niuei, marmoreique candores? &c. Hactenus Arnobius. Iam quomodo iratam sibi Iunonē reconciliarit, atq; ad se, nouas fingendo nuptias, quercu videlicet in mulieris similitudinem conformata, & in pompā deducta reduxerit Iupiter, legat qui volet Pausaniā in Bœoticis, & Euseb. de præparat. Euāg. lib. 3. ca. 1.

Constat ex Græcorum, Plutarchi præsertim, commentariis, diuersè in Græcia indulta cum sororibus matrimonia, vterinis, & germanis. In Latio diu cum necessariis prohibita, tandem citra sorores ipsas progressa, ad coniunctas omnes personas, vt docet Plutarch. ἐν ῥωμαϊκ. cap. δι' ἃ τὶ συγγενεῖς τῷ σώματι φιλοῦσιν αἱ γυναῖκες. German. * *Quomodo igitur huiusmodi vxores dici poterant sorores, aut quomodo tandem sorores istæ potuerunt fieri vxores, cum teste Nonio soror appellata sit, quod quasi seorsim nascitur separaturq; ab ea domo, in qua nata est?*

Latet porrò hìc mythologia, quam ipsius Macrobij verbis explanabimus. Sic enim ille in som. Scip. lib. 1. cap. 17. Aratus de sideribus locuturus, à cælo, in quo sunt sidera, exordium sumendum esse decernens, ab Ioue incipiendum esse memorauit. ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα. Hinc Iuno & soror eius, & coniux vocatur. Est autem Iuno aër: & dicitur soror, quia iisdem seminibus quibus cælum, etiā aër est procreatus: coniux, quia aër subiectus est cælo. * *Cic. etiam 2. de nat. deor. hoc figmentum μυθολογεῖται his verbis. Aer autem, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cælum, Iunonis nomine consecratur, quæ est soror & coniux Iouis: quòd & similitudo est ætheris, & cum eo sua coniunctio. Effœminarunt autem eum, Iunonique, tribuerunt, quod nihil est aëre mollius. Clarius, & paucis. Iuno est aër, Iupiter ignis. Ad ignem subtilitate quàm proximè accedit aër: hinc illa Iouis soror. Et quoniam aer subiectus est igni, hinc etiam coniux.*

TOT ANNOS) minimùm septendecim.

ET QVISQ. NVM. IVN. ADOR.) Lib 3. *Iunonis magnæ primùm prece numen adora.* Et innuit poeta, quod solebant miseri, & cæci mortales, ex pœnis improborum credere deos esse: & impunitate eorundem, existimare nullos esse. [*Varro Atacinus.*

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo,
Pompeius nullo.credimus esse deos?]

Conclusio per indignationē,in qua tractatur locus ab euētu.Quanto enim dedecori,ac damno sibi futurum sit, nisi Æneam ab Italia depellat, ostendit. Et videtur locus ex Homero sumptus,Odyss.13.vbi Neptunus Vlyssi iratus,ita loquitur.ζεῦ πάτερ,ἠ ἔτ' ἔγωγε μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι, & quæ sequuntur. Nascimbæn.

De Iunone &Euripid.τοιαύτῃ θεῷ τίς ἂν προσεύχοι?: Hunc locum est imitatus Ouid.lib.3.eleg.*Et quisquam pia tura focis imponere curet?* Et 2.Metamorph.

Est vero cur quis Iunonem lædere nolit,
Offensamq; tremat,quæ prosum sola nocendo?

German.

In huiusmodi autem forma interrogandi, post rationes in medium allatas, seu post asseuerationem,mira inest vis, & festiuitas. Si dicas, nemo adorabit numen posthac meum, frigebit oratio. Sic Cic. pro lege Manil. Et quisquam dubitabit,quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit? Citat hoc testimonium, vt item Virgilij, quod infra ponemus, Victorius lib.19.cap.15.vbi huius locutionis, Et quisquam dubitabit, &c.artificium explanat. * *Adijciamus illud pro Milone. Et erit dignior locus in terris Vllus, qui hanc virtutem excipiat, quā hic, qui procreauit? Noster poeta 2.Georg. multis iam demonstratis, quæ vtilitatem illius studij declararent, addidit:* Et dubitant homines serere,atq; impendere curas? *Quanto hæc omnia venustius, quantoq; vehementius sonant,quam per negationem solam?*

A ARIS IMPONAT HONOREM) *Hostiam, victimam, exta, sacrificium, qui est honor Deorum.lib. 4. Æneid.* cum dona imponeret aris.] Illud animaduertes,voce hac *honorem* frequenter vsum fuisse, ad augendam dictionis maiestatem, vt hic, Item hoc eodem lib. *Diuûm templis indicit honorem.*Et, *In mensa laticum libauit honorem.*Est enim σπένδειν, quod proprium in sacrificiis, in quibus bene ominatis verbis vtebantur:ὄνειο. Et, *lætos oculis afflarat honores*, scilicet iuuentæ. Et in 3. *meritos aris mactauit honores.* Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. * *Adde ex eodem Virgilio, 3. Æneid.* perfecto lætus honore, *id est perfecto sacrificio, vt ibidem Seruius, qui est honor deorum. Et,* Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum. *Et 3. Georg.* Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aras. *Tibull.lib. 2. eleg.2.* Ipse suos adsit Genius visurus honores. *Inde apud Virgil. indicere,mactare, instaurare, celebrare,persoluere honorem, honores. Tertullian. quo q; Apologet. Si quis aut ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltro sui caussa placare debent. Plura Brissonius Formular. lib. 1.*

B Litterarum hiatus fiunt quoque in secundo pede sustentandi tenoris atq; implendi numeri gratia, etiam cum dignitate, nullam tamen ob necessitatem. Videbitur autem tenor ille flaccessere, si dixeris, *Præterea? supplexúe aris imponat honorem?* Cum in illa collatione non solùm hiet A. verùm alterum A, quod est primùm elementum,in voce Aris, de proximo loco hiatū ipsum assonando adiuuet. Sic infra. *Ductoresq; ipsos.* Poterat enim: *Ductores ipsos.* Iouian.Actio.

Talia flammato secum dea corde volutans,
55 Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit.hîc vasto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
60 Circum claustra fremunt:celsa sedet Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitq; animos,& temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras, cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantq; per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
65 Hoc metuens, molemq;, & montes insuper altos
Imposuit, regemq; dedit, qui fœdere certo
ET PREMERE, ET LAXAS SCIRET DARE IVSSVS HABENAS.
Ad quem tum Iuno supplex his vocibus vsa est.

TALIA FLAMMATO) Cur non,*Talia succenso?* Nimirum,quia vocalis,a,clarum,e,tenuem edit sonum, at,u, vocalis subobscurum. Itaque si u, post duplex a, subdidisset, claritatem, quàm affectabat illo in loco, obscurasset,eamque ob rem submittendo alterum atq; alterū a,adauxit litteræ claritudinem.Iouian.Actio.Flammatum, est prorsus flāmis comprehensum: accensum, quod igne est correptum. Vnde lib. 4. *His dictis incensum animum inflammauit amore.*Iuno accensa erat antè:sed cum vidit, se inuita, tendere in Italiam Troianos, tota in flammas abiit. Corrad.

SECVM DEA CORDE VOLVTANS) lib.4.Æneid. *insistit,secumq; ita corde volutat.* Libr.6. *Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat.* Lucil. *Hæc tu me insimulas?non antè in corde volutas?* Lucret.lib.3. *quædam qui mente volutent.* Plaut.Capt. *Quanto in pectore hanc rem meo voluto magis*

NIMBORVM IN PATRIAM) Quæ illis tanquam patria est, vbi nascuntur, & habitant cum ventis, quibuscum etiam gignuntur. Videtur esse ἐπεξήγησις.

C

LOCA FOETA FVR. AVST.) Fœtum significat plenum.Sic lib.2.*Scandit fatalis machina muros, Fœta armis.*Nonius.Cur non plana? videlicet quod alliteratio delectat magis aures.Iouian.De ventis,quam multi sint,& quibus è locis spirent, docebit te Gyrald. Syntag.5.

ÆOLIAM VENIT. HIC VASTO) Potuit sic,& cum præterito tempore, *Æoliam venit, vasto hic rex Æolus antro.* Præterquam autem quod præsens tempus repentinam,vehementemque Iunonis commotionem indicat, magis quam præteritum, quando res ipsa geri iam videtur, & hiatus ille, & monosyllabarum duplicatio eo in loco tum versum, tum numerum nimio plus stitissent, quod ipsum pronuntiando sentitur Iouian.Actio.

D

Æolias insulas septem tradunt Geographi, quarum hæc sunt nomina.Lipara,Hiera,Strongyle, Didyme, Eriphusa,

riphusa, Phœnicusa, & Euonimos. Eædem à Plin.lib.3. Vulcanię,&Hephęstiades dicuntur. Alij inter istas septē Prochytam adnumerant. Interpres Hesiodi duplices Æolias facit: alteras, circa Mitylenen: alteras, circa Rhegium. Homerus non nisi vnam Æoliam agnoscere videtur. Quem Virgil. secutus est. Stephanus quoq; non nisi vnam Æoliam ponit. Nannius lib.7.ca.1. Quod à poeta dicitur, *Aeoliam venit*, etsi de omnibus Aeoliæ insulis nō incommodè accipi potest, est tamen aptius Strongylen intelligi, quam Aeoli domum, non dubiæ auctoritatis scriptores affirmāt. Solin.ca.12. Strongyle tertia, Aeoli domus, vergit ad solis exortum. Turneb.lib.21.cap.10.

* *De insulis Æoliis, & imperio Æoli, vide, si placet, Dionysium in descript. orbis. Etiam Diodor. lib.5.cap.3. & Strabon. lib.6.*

REX ÆOLVS) De Æolo sic Homer. Odyss. κ. in princip. libri.

Αἰολίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιεν
Αἴολος ἱπποτάδης φίλος ἀθανάτοισι θεοῖσι, &c.

Quo loco appellat eum ταμίην ἀνέμων, id est, ventorum promum & condum, vt Plautino verbo vtar. Horat. verò Ode 3 lib. 1. ventorum patrem. Ex Lamb. in Horat.

* *De Æolo, & caussis, quare ventorum rex sit creditus, consulendus Gyraldus Syntagm. 5 Quod autem idem ab Homero ventos in vtre clausos Vlyssi tradidisse prædicatur, ait Palæphatus, commentum istuc nihil aliud velle, quàm ipsum fuisse Astrologum, qui Vlyssi tempora, quibus exortus flantium quorundam ventorum fierent, prædixerit.*

LVCTANTES VENTOS, TEMPESTAT. SONORAS) Solent poetæ, ac plerumque oratores verbis ad sonum, rerumque naturam exquisitis vti, vt ex hoc Virgilij loco apparet. Nam quam grandia hæc, atque sonora verba sunt, *Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras?* Sic quoque Cicero pro Milon. Scutorum, gladiorum, frænorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse iudicabatur. Vides quantus sit in verbis strepitus, & sonoritas, quæ rem quoq; maiorem, amplioremq; facit? Nascimb.

IMPERIO PREMIT, AC VINC. ET CAR. FR.) Locum hunc de antro Æoli, ventisq; tanquam in carcere inclusis, & erumpere conantibus, complectebatur mente Statius lib.10. Thebaid. cùm scripsit.

Non aliter, moto quàm si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosius, & omne
Claudat iter, iam iam spirantibus æquora ventis.

De eodem ventos tanquam vinculis cohibente, Horat. Ode 3.lib.1.ad nauim Virgilij.

Ventorumq; regat pater
Obstrictis aliis, præter Iapyga.

De duplici ventorum origine, vide quæ scribuntur à Nannio lib. 7. cap. 1. Quare autem Æolus rex ventorum sit creditus, copiose Corradus, quem legere poteris.

VINCLIS, ET CARCERE FRÆNAT) Omnia κατὰ προσωποποιΐαν ventis affinguntur, quæ hominum ira furentium propria, & peculiaria videmus. Scitè vinclis eos, & carcere frænari dicit, vt eorum naturæ quietem, atque cessationem maximè contrariam, & inimicam esse ostendat. Quia enim spiritus sunt, nihil illis quasi optatius, & conuenientius quàm spirare. Quare Horat. Ode 15. lib. 1. à Nereo Troianorum fata Paridi vaticinaturo, eos in grato otio, id est, molesto, & naturæ ventorum repugnante obrutos esse aptissimè dixit.

ILLI INDIG. MAG. CVM MVRMVRE) Lucret. libr.6.

Speluncasq; velut saxis pendentibu' structas
Cernere, quot venti cum tempestate coorta
Complerunt, magno indignantur murmure clausi
Nubibus, in caueisq; ferarum more minantur.

Vt porrò hìc de murmure montis, sic infrà de maris. *Interea magno misceri murmure pontum.*

CIRCVM CLAVST. FREM.) Clostrum seu claustrum à claudendo, vt haustrum ab hauriendo. Senec. de Benef. lib.7.cap.21. Deinde per clostrum, quia se commissura laxauerat, quatuor denarios in tabernam inseruit. Per clostrum, per seram, ait Muretus in Notis. Fremere circum claustra, est fremere circa obices portarum: si quà exitus detur, erumpere gestientes.

CELS. SEDET ÆOLVS ARCE SCEPT. TENENS) Poeta Aeoli regis grauitatem, maiestatemque, nec non prudentiam, animique temperantiam in regendis ventis, eorumq; impetu compescendo depingit. Sedet igitur, non quasi otiosus, sed in celsa sede, vt cum regia grauitate & maiestate, munere fungatur suo. Nascimb. In eo quod est *celsa sedens*, &, *sceptra tenens*, simul insunt & alliteratio, & conflictatio, quæ aures submulceant. Quod verò ait *mollit*, potius, quàm *lenit*, hoc videtur fuisse caussæ, quòd vocalis e, cùm sonorem demittat, si *lenit* dixisset, eam trigeminasset, indeque generosus ille canor, suprà quàm oportebat demissus, pænè contabuisset, quem plenitudine sua vocalis o, & sustentauit, & illustrem reddidit. Iouian. Actio.

MOLLITQ. ANIMOS) Multa cum elegantia pronuntiauit Apuleius lib.1. inter cætera magorum effecta etiam illud falsò credi, ventos inanimes exspirare. Appellatur enim ventus à Græcis ἄνεμος, quò credibile fit, Maronem allusisse: atque adeo inde ab Horatio quoq; & Lucretio, & hoc ipso vate nostro animæ pro ventis sæpe dicuntur. Vnico exemplo in præsens vtar ad confirmandum. Horat. Ode 12.lib.4.

Iam veris comites quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ.

Iam, animos fieri inanimes, hoc est, ventos amittere, & defici spiritu, & exspirare spiritum, habent apud festiuas aures venustum quiddam. Geminum prorsus huic illud Arnobij lib.1. numquid suas animas exspirauere venti?

NI FACIAT, MAR. AC TERR. CÆLVMQVE) Cùm maiore vocalitate hiatus sit in tertio pede, sordescet planè numerus, si dixeris, *Ni faciat, pelagus, terras, cælumq; profundum.* Iouian. Actio.

Probè Seruius, hìc tria elementa nominari, æthera omitti, quòd venti non turbent superiora, vt apud Lucanum, *pacem summa tenent.*

Cùm mare, aut maria dicimus, quoduis mare, vel omnia potius simul intelligimus. Et mare quidem ipsum Aristides oratione in Ægæum pelagus, nullum adhuc vel poetarum, vel oratorum vniuersè celebrasse autumat: sed Homerum quidem violaceum vocasse, & nigrum pontum, Euripidem verò mare purpureum, & alium aliud: verùm plerunque conuiciatos mari, salsum & fremebundum, & similibus appellantes nominibus. Laudauit mare Cicero, sed breuiter 2.de natur. deorum his verbis. At verò quanta maris est pulchritudo? quæ species vniuersi? quæ multitudo, & varietas insularum? quæ amœnitates orarum, & littorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhærentium? Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, vt vna ex duabus naturis conflata videatur. Hæc ille.

CÆLVMQVE PROFVND.) De cælo veteres vt altum, sic profundum dicebant. Etenim sublime, seu altum, & profundum reciproca translatione, vt alia multa inter se commutantur. Ennius. *Fortes Romani quãquam cælus profundus.* Noster quoq; 2. Georg. fastigia, de scrobibus

bibus loquens, pro altitudine seu profunditate posuit. Gifan.in Lucret.

QVIPPE FER. RAP.) Horat. Ode 15. lib. 1. vocauit celeres, alibi vagos, Statius insanos, Ouidius vim feram ventorum, ac rabiem, Cato vesanientes.

VERRANTQVE PER AVRAS) Nonius exponit, trahant. Lucret. lib. 1.

Quæ mare, quæ terras, quæ denig, nubila cæli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant.

Et lib. 5. *Partim quod validi verrentes littora venti Demittunt.* Et lib. 6.

Contemplator enim, cum montibus assimulata
Nubila portabunt venti transuersa per auras.

Et Maro Georg. 3. *Ille volat, simul arua fuga, simul æquora verrens.* * *Ventorum incitatissimos impetus, furoremq;, vt ita dicam, furiosissimum, luculentissimis etiam verbis habemus declaratum ab Ouidio 1. Metamorph.*

His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aera permisit; vix nunc obsistitur illis,
(Cùm sua quisq; regat diuerso flamina tractu)
Quin lanient mundum: tanta est discordia fratrum.

SED PATER OMNIPOTENS) Deum nonnulli, etiam quorum tenebris fides lucem non attulit, æternam substantiam esse intellexerant, à qua res ortæ essent, & cuius prouidentia omnia gubernarentur, suumque ordinem, & statum conseruarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmodum eum, à quo familia propagata est, cuiusq; consilio, & imperio regitur, patrẽ vocabant: ita hac ratione factum est, vt deum, quem omnium rerum opificem, & rectorem agnoscebant, Patrem appellari voluerint. Eodem nomine sacræ etiam litteræ vsæ sunt, cùm de Deo loquentes, vniuersorum creationem, potestatem, admirabilemque prouidentiam ei tribuendam iudicarent. Sunt & aliæ rationes, ob quas pater, & fidelium, id est, Christianorũ pater diceretur, quas in præsentia non attingam. Et cùm sanctæ Scripturæ soleant multis nominibus Dei summam vim, & immensam maiestatem explicare, vt ostendant quanta religione, & pietate illius sanctissimum numen colendum sit, in primis illi *omnipotentem vim* frequentissimè tribuunt, eamque nonnunquam non vno, sed pluribus verbis idem significantibus exprimunt. Intelligimus autem verbo *omnipotens* nihil esse, nihil animo, & cogitatione fingi posse, quod deus efficere nequeat: etenim nõ solùm hæc, tametsi maxima sunt, aliquo tamen modo in cogitationem nostram cadunt, efficiendi potestatem habet, vt nimirum omnia ad nihilum recidant, atque vt plures mundi è nihilo repentè existant, verum etiã multò maiora in illius potestate sita sunt, quę humanæ menti, & intelligentiæ suspicari non licet. Plura Catechism. Trident. in Symbolum.

SPELVNC. ABDIDIT ATRIS) Atræ speluncæ, sunt profundæ: quò enim profundiores, aut seceretiores recessus, ac latebræ, eò magis tenebrosæ, & obscuræ. Suprà, vastum antrum appellauit.

MOLEMQVE, ET MONTES) Non est verum, quod aiunt Grammatici, epitheton excludi in voce, intelligi in significatu, hoc exemplo, *molem, montes*, id est, inquiunt, molestos montes: nugæ enim sunt, somniaque delirantium: sed est expositio molem, quam molem? montes altos. Id est, molem altorum montium. Sic, *Italiam venit.* Qua parte? *Lauinia littora.* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 27.

ET PREM. ET LAX. D. IVSS. HABEN.) Demonstratur per habenarum adductionem & remissionem pulchra, scriptoribusq; bonis frequentata metaphora, in quo potissimùm versetur Principis officium: nempe in eo, vt in populos subiectos imperium, neúe durè nimis, & inclementer, neúe dissolutè, ac negligenter nimis exerceat. Bonus Princeps, inquit Seneca de Clementia, lib. 1. cap. 18. similis est patri, & ideo pater patriæ appellatur. Ibid. cap. 24. Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera. Et: Remissius imperanti, melius paretur. Est igitur admodum rebus fœcundum hoc Maronis carmen, & sensu prædiues.

Æole (namq; tibi diuûm pater, atq; hominum rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosq; penates.
Incute vim ventis, submersasq; obrue puppes:
Aut age diuersas, & disijce corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contrà. Tuus, ô regina, quid optes
Explorare labor, MIHI IVSSA CAPESSERE FAS EST.
TV MIHI QVODCVNQVE HOC REGNI, tu sceptra, Iouemq;
Concilias, tu das epulis accumbere diuûm,
Nimborumq; facis, tempestatumq; potentem,

ÆOLE) Admonuerunt quidam eruditi, & in his Seruius, in appellationibus, quoties superiores alloquimur, nõ eos proprio, sed dignitatis, ac muneris ipsorum nomine afficiendos. Rex, magister, domine, pater, dicet subiectus, discipulus, seruus, filius. Quoties verò nobis inferiores alloquimur, suis eos nominibus compellandos, Petre, Ioannes, Sabina, Claudia, &c. Istuc obseruatum hoc loco obseruemus licet. Iuno siquidem deorum regina paruum quendam, ac pænè triobolarem deum suo nomine vocat, Æole. Quamquam & illa de caussa nomen eius à principio vsurpatum videri queat, quòd rem blandiendo, non pro imperio agendo impetrare vult.

vult. Est autem blandimentum quoddam in propriis nominibus, & suo se quisq; nominari gaudet. Captat igitur sic beneuolentiam Iuno, quam, potestatem eiusdem Æoli declarans, auget. Ille contra dominam suam, non Iunonem, sed reginam nuncupat, *Tuus ô regina*, &c. Sic Ilioneus orator Troianus exorsu orationis suæ ad Didonem, *O regina, nouam cui condere Iupiter vrbem*, &c. Hoc præceptũ nõ est sanctũ capite. Certè olim principes, & Imperatores suis se nominibus ab infimis quoq; passos appellari, & voluisse appellari legimus. Tãta fuit in summa potestate moderatio. De varietate ista appellationum, & salutationum consulendus Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19. & Ibid. Tiraquellus in Annotat.

A Nascimb. * *Imitator Maronis quã studiosissimus Silius li. 1. Punic. Vide quomodo sua hinc cõformauerit: loquitur Iuno irata Romanis.*

Intulerit Latio spreta me Troius, inquit,
Exul Dardaniam, & bis numina capta penates?

NAMQVE TIBI) Parenthesis est vsque ad verbum *incute*, & αἰτιολογία, qua ostendit fieri facile posse, quod petitura est: & ostendit antequam petat, ne statim possit negari, vt iam πρόληψις esse cognoscatur.

B

DIVVM PATER, ATQVE HOM. REX.) Persius Sat. 3. *Magne pater diuũm*, &c. Catull. de nupt. *diuũm genitor*. Nec aliud est, quod infra legimus. *O qui res hominumq; deumq; Æternis regis imperiis*. Nam & patris est regere, qui in domo familiaq; sua rex est. Varro de ling. lat. lib. 1. eundem (Iouem) appellans dicit Ennius, *diuumq; hominumq; pater Rex*. De eiusdem Aeoli regno, atque potentia Statius lib. 4. Syluar.

Et pater Æolio qui frangit carcere ventos
Cui varij flatus, omnisq; per æquora mundi
Spiritus ac hyemes, nimbosaq; nubila parent.

ET MVLCERE DEDIT) Bene Virgilius, tibi dedit mulcere fluctus, & tollere vento. ipse enim κτῆσιν habebat, tu χρῆσιν, neq; simpliciter, sed, vt suprà dictũ, iussus habes: quod quia non ad augendã, sed minuendam potius dignitatem pertinebat, tacuit Iuno, & absolutè locuta est. Videtur tamen mentiri quædam Iuno, vt caussæ suæ seruiat. Neq; enim Iupiter Æolo dedit, vt fluctus mulceret, aut tolleret vento: sed eum regem vẽtis dedit, qui fœdere certo & premere, &c. Cur enim alteri daret, quod ne ipse quidem vsurparet, vt regnum fratris turbaret? sed quia ventis surgentibus mare turbatur, & cessantibus placatur, hoc Æolo, qui ventis imperat, à Ioue concessum, quasi ab effectis argumentatur. Hæc propemodum, Corrad.

GENS INIMICA MIHI) Secundùm procemium caussam ingreditur, quam statim iustam honestamque ostẽdit esse ratione inimicitiæ: vnde occultè innuit, iure aliquid contra hostes fieri interdum, & postulari posse: augetque emphasi, quod ait, *Gens inimica mihi*, mihi ipsa, non ego illi: ad exprobrandam Troianorum superbiam, qui deorum reginam lacessere non dubitent. Boni enim oratoris est, aduersarios deturpando, auditorum sibi beneuolentiam, quàm potest maximam aucupari. Nascimb. Astutè non nominat Æneam, ne statim obiiciat Æolus, se illi, vt pio, & Iouis nepoti nocere non posse.

TYRR. NAVIG. ÆQVOR) Nauigare æquor, πλέειν τὴν θάλασσαν Demosth. & Homero ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα.

ILIVM IN ITALIAM PORTANS) Non absq; inuidia, *Ilium in Italiam portans*, quasi vrbem, & Troianos oculis cernat. Ita etiã 2. Æneid. ὑπερβολικῶς, & inuidiosè Androgeos sociis ignauiam obiectans, *alij rapiunt incensa feruntq; Pergama*. Apud Euripidem choros de Paride verba faciens qui Helenam abduxit, Græciam ad Ilium duxisse ait.

Διὰ δίκας ἔβη θεῶν νέμεσις εἰς ἑλέναν.
Δακρύοισι γὰρ ἑλλὰς ἅπασαν ἔπλησε,
Διὰ τὸν ἑλόμενον ἰδαῖον
Πάριν, ὃς ἄγαγ' ἑλλάδ' εἰς ἴλιον.

Intulerit Latio spreta me Troius, inquit,
Exul Dardaniam, & bis numina capta penates?

VICTOSQVE PENATES) Augustinum Ciuitatis lib. 1. cap. 3. tibi producam, differentem aduersus penates istos, & impiam, ac stultam religionem veterum, nõ sine perhonorifica mentione vatis nostri. Ecce qualibus diis vrbem seruandam Romani se commendasse gaudebant. Onimium miserabilem errorem. Et nobis succensent, cum de diis eorum talia dicimus: nec succensent auctoribus suis, quos vt ediscerent, mercedem dederunt: doctoresq; ipsos insuper & salario publico, & honoribus dignissimos habuerũt. Nempe apud Virgilium, quẽ propterea paruuli legunt, vt videlicet poeta magnus, omniumque præclarissimus atque optimus teneris ebibitus annis, non facile possit obliuione oboleri. Apud hunc ergò Iuno inducitur infesta Troianis, Æolo ventorum regi aduersus eos irritãdo dicere, *Gens inimica mihi*, &c. Ita ne istis penatibus victis Romam, ne vinceretur, prudentes commendare debuerunt? Sed hæc Iuno dicebat, velut irata mulier. Quod Æneas ipse pius totius appellatus, nonne ita narrat in 2.

Panthus Otriades, arcis Phœbiq; sacerdos
Sacra manu, victosq; deos, paruumq; nepotem
Ipse trahit, cursuq; amens ad littora tendit?

C Nõne deos ipsos, quos victos nõ dubitat dicere, sibi potius, quam se illis perhibet cõmendatos, cum ei dicitur, *Sacra, suosq; tibi cõmendat Troia penates?* Omitto cætera.

INCVTE VIM. V. SVBMER. OB. PVPP.) Apud. Terent. And. Charinus Pamphilo. *Nunc te per amicitiam, & per amorem obsecro, Principiò vt ne ducas*. Respondet Pamph. *dabo equidem operam*. Rursum Charinus. *Sed si id non potes, aut tibi nuptiæ hæ sunt cordi, saltem aliquot dies profer, dum proficiscar aliquò, ne videam*. Quem in locum Donat. Primò quæ maiora sunt petit. Posterius quæ ex his videntur minima, & hoc arte. Mox hunc ipsum Maronis locum propter similitudinẽ ad illustrandũ apponit, qui vicissim è Terentiano illustratur.

DISIICE CORP. PON.) Non virorum solum, sed

D & nauium, inquit Seruius: vt, *toto descendit corpore pestis*.

SVNT MIHI BIS SEPTEM) Postquam rogauit Æolũ Iuno, vt sibi gratificatus, immissa tempestate Troianos in Italiam cursum tenentes affligeret, eorumque naues aut submergeret, aut alias in oras dissiparet, hoc si fecerit, præmium daturam se pollicetur. Conatur Æolum ea re corrumpere, qua non reges modò, sed omnino homines facilè ab officio transuersim aguntur. Voluptates enim blandissimæ dominæ, sæpe maiores animi partes à virtute detorquent, ait 2. de Offic. Cic. Tametsi non meram voluptatem, sed quod honestius est, immo honestissimum, ex illa voluptate prolẽ quoq; spõdet.

E Hoc versu *Connubio iungam stabili*, &c. multa contineri Seruius perspexit, quæ ad coniugij felicitatẽ pertineant. Nos aũt his quinque carminibus, *Sunt mihi*, & quæ sequuntur, res octò notauimus cõprehensas, quibus matrimonij beatitas æstimetur. Eius itaque prima laus est, quod connubium est, non scortatio, & vir maritus, mulier vxor est. Altera, si careat diuortio; propter amborum videlicet coniugum irruptum amorem, perennemq; concordiam. De qua suauiter Phocylides.

Στέργε τελῶ ἄλοχον. τί γὰρ ἡδύτερον ἢ ἄρειον,
Ἢ ὅταν ἀνὴρ ἐν γυνὴ φρονέῃ φίλα γήρα θ' ἄχρι,
Καὶ πόσις ἢ ἀλόχῳ, μηδ' ἐμπέσῃ ἀνδρὶ χαν νεῖκος;

Hue aptum est, quod ad Geminum scribit Plinius epistola 8. lib. 8. de Macrino dolente super vxoris obitu. Graue vulnus Macrinus noster accepit, amisit vxorem singularis exempli, etiam si olim fuisset. Vixit cum hac triginta nouem annis sine iurgio, sine offensa. Quam illa reuerentiam marito suo præstitit, cum ipsa summã mereretur? Tertia, si nullum intercedit adulterium, si sit, inquam, vxor viri sui propria ac peculiaris, ac nulli præterea mortalium obsequatur. Quarta, si, cui nupta est, ei studiosè, & promptè pa-

ptè pareat. Quo refertur illud *dicabo:* dicati quippe sunt ad alicuius obsequium traditi. Vox *connubij* primam laudem, *stabili* secundam, *propriam* cõtinet tertiam. Quamquam est nõ nemo, qui censeat, vocem *propriam* non ad adulterium, sed ad diuortium referẽdam, vt sit repetitio, siue expositio eius, quod præcedit, *Connubio iungam stabili.* Proprium enim, vt infrà dicemus, diuturum ac perpetuum est. *Dicabo*, vt diximus, quartam; quatuor verba, quatuor bona coniugij. Sed arbitror ex versu secundo, ex quarto, & quinto totidem alia posse colligi. Formam nuptæ egregiam *(quarum quæ forma pulcherrima.)* Diuturnitatem huius arctissimæ societatis *(omnes vt tecum meritis pro talibus annos Exigat.)* Fœcunditatem, & liberos præclari vultus. *(& pulchra faciat te prole parentem.)* Non satis est, quæ te faciat patrem, quæ tibi det liberos: sed formosos liberos, quales plerunq; ex non deformibus generantur. Hæc octo esse bona matrimonij, jisq; vniuersam prope eius fœlicitatem includi, facilè ex eorum contrarijs intelliges, quæ mala habentur, illamq; coniunctionem miseram, & infelicem reddunt. Quid enim infelicius, ac miserabilius eo coniugio, in quo vxor non est vxor, sed pellex, aut concubina potius, quia scilicet leges sacratæ vxorem eam habere non sinunt? In quo aut factum est, aut faciendum timetur diuortium? cum dicendum est, res tuas tibi habe? In quo aut viro mulier, aut mulieri vir de alienis amoribus per zelotypiam suspectus est? aut etiam torus nefario pellicatu sordidatur? In quo dominari, & præesse vult, quam & natura, & lex diuina subesse voluit? Quid ingratius, & iniucundius, quàm assiduo inuenustam, ac turpem intueri coniugem? quàm morte interueniente paucis post annis abrumpi illa gaudia? quàm nullos aspicere velut imagines sui liberos, sed quasi sterilem domi mulam pascere? quàm monstrosas demum progenerasse proles, quarum occursum quodammodo refugiant ciues? Cæterùm postqum hæc omnia, quæ enumerauimus, bona affuerint, adhuc duobus ad coniugij tranquillitatem maximè opus erit, nempe, vt vir surdus, vxor cæca sit: quod de felicitate matrimonij interrogatus Antonius Panormita respondit, vt narrat Iouian. de Obedient. lib. 2. hæc in extremo capite subijciens. Omnis igitur pæne rei vxoriæ molestia ortum habet ab obedientia, quæ totam sæpissime rem familiarem interuertit, conijcitq; ipsos patresfamiliâs in ærumnas quam grauissimas. Quamquam & aliquando viri ipsi sunt in culpa, dum aut pecuniæ cupiditate, aut ambitione capti præcipitãtur in nuptias, nescientes, nobilitatis, & amplæ dotis duo pessima mala socia esse, vxoris superbiam, & viri seruitudinem. Itaq; non iniuriâ apud Plautum nostrum veretur ille magnatem, dotatamque matronam ducere, ne sibi dicendum esset, Argentum accepi, dote imperium vendidi. Quare obedientiam quoq; annumeres: veruntamen eam ipsam nõ omisimus, quam verbo *dicabo* significari docuimus: potius vacuitatem suspicionis annumeremus, quãviri surditas, vxoris cæcitas συμβολικῶς significat. Conditiones plures colligantur, si lubet, ex Plutarchi præceptis connubialibus. De fælicitate matrimonij Christiani Tertullianus libr. 2. de cultu fœminarum. Vnde sufficiam ad enunciandam fælicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renuntiant, pater ratum habet? Quale iugum fidelium duorum, vnius speciei, vnius voti, vnius disciplinæ, & quæ sequuntur. Hanc autem orationem Iunonis prorsus imitatam ex oratione eiusdem Iunonis ad Somnum, Iliad. ξ. testificatur lib. 18. cap. 32. Turneb. Illic & Pasitheam vnam ex Gratiis pollicetur vxorem, si Iouem consopiuerit.

PRÆSTANTI CORPORE NYMPHÆ) Arist. 1. de arte dicendi, vnumquodq; à propriis, aptisque illi virtutibus laudandum præcipit, vt militem à fortitudine, ducem à peritia militari, animique magnitudine, sacerdotem à pietate, & castitate. Mulieris virtutes, quas natura corpori tribuit, formam esse vult, & magnitudinem: quas his duobus verbis poeta fuisse complexus videtur *præstanti corpore.* Nam corpus præstans esse dicitur, quod magnum, & pulchrum est, cum pulchritudo nisi in magno corpore, non sit. Pulchritudo (inquit Arist. 3. Ethic.) in magno corpore consistit: parui verò formosi sunt quidem, sed non pulchri Nascimb. * *Talem commendat Propert. lib. 2.*

Fulua coma est, longæq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

Quam sit verò acer ad coniugium stimulus venustas fœminæ, & sacris, & profanis exemplis notum est innumeris. Id quidem in vna Penelope ingenium Homeri cumulatè demonstrauit. Verissimè Afranius.

Formosa virgo est. dotis dimidium vocant
Isti, qui dotes negligunt vxorias.

A DEIOPEIAM) Prisci Latini Græcos sequuti auctores, frequentissimè vsi sunt pentasyllabis loco vltimo, quibus scatet Lucretius.

Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes. &,
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur. &,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur.

Quin etiam soluebant diphthongos, vocalesque simul coactas, vt, *Effice vt interea fera munera militiaï.* Aliquando & Horatius auribus hunc suis numerum exhibuit. *Olim qui magnis legionibus imperitarunt.* Virgilius non omnino reiecit. Nam præter hoc exemplum inuenies hæc quoque, sed omnia propria.

-----nec Thesea, Pirithoumq;,
B *-----his Laodamia.*
-----graue olentia centaurea.

Nihil est enim, quod non raritas approbet, auribus tædium, ac satietatem recusantibus, cum præsertim græca lingua numeris his mirificè lætetur. Sed tamen non debet raritas vacare diligentia. Iouian. Actio.

CONNVBIO IVNGAM STABILI) Cic. 2. Philipp. Curio te matrimonio stabili, ac certo locauit. De firmo certoq; coniugio, nec diuortio fortasse vnquam dirimendo dicitur. Sed, vt opinor, ita appellabant, velut quodam omine stabilitatem, & firmitatem matrimonio augurantes: cum præsertim nec nuptias contrahant, nisi spe permansionis, & diuturnitatis. Commodè dixit, iungam connubio: ipsa enim est pronuba, ipsa
C cui vincla iugalia curæ.

PROPRIAMQVE DICABO) Propria dicuntur, in quibus nemo alius quippiam iuris habet, & quæ perpetuam domino afferãt possessionem, qua ratione hoc dictum est à Virgilio, *Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo*, cum nuptias liberas à diuortio, & vendicatione alterius mariti polliceretur. Hoc quoq; 6. Æneid. *nimium vobis Romana propago Visa potens superi, propria hæc si dona fuissent.* Nam in commodatitiis temporaria possessio est. Nannius lib. 4. cap. 8.

OMNES VT TECVM AN. EXIGAT.) Exigere, significat agere, ait Nonius. Plaut. Capt. *Salue Tyndare. Et tu, cuius caussa hanc ærumnam exigo.* Lucil. *cum cognoneris, vitam sine cura exigas,* Philemon, & Baucis coniuges apud. Ouid. 8. Metamorph. deos orantes. *Et quoniam concordes egimus annos, Auferat hora duos eadem.* Terent. Hecyra.

D *Illiq; ex opto, vt reliquam vitam exigat.*
Cum eo viro, me qui sit fortunatior.

Vrbanè Plautus, dum in prologo Trinummi facit luxuriam Lesbonico adolescenti, qui rem paternam ista adiutrice perdiderat, Inopiam filiam suam pro vxore tradere, cum qua ætatem exigat.

Quoniam ei qui me aleret, nihil video esse reliqui,
Dedi meam natam, qui cum ætatem exigat.

Omnes annos secum coniuges exigunt, qui in stabili, fi-
E doque matrimonio ad summam senectutem ambo viuunt. Hoc Sara à Deo precabatur, quando Tobiæ iuniori iuncta fuit nuptiis. Miserere nobis domine, inquit, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.

PVLCHRA FACIAT TE PROLE PARENTEM) Iuno Iliad. ξ. vbi somno vnam ex Gratiis vxorem se daturam promittit, vtitur impudica voce, ὀπυέμεναι. Sane ὀπυίειν actum venereum significat aliquãdo, vt in 8. Iliad. de morte Gargythionis. Quod melius noster. Non solum pollicetur oblectationem, quod bestiarum est, sed prolem, cuius gratia matrimonium est institutum. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Tacitus Annal. 11. de Messalina, quæ viuo Claudio, palàm Silio nupsit. Haud sum ignarus fabulosum visum iri, tantum vllis mortalium securitatis fuisse

fuisse, in ciuitate omnium gnara, & nihil reticente: nedum Consulem designatum cum vxore principis, prædicta die, adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorũ liberorum caussa conuenisse. Hæc formula, inquit Lipsius, in nuptiis legitimis solemnis, ad cõiugij verum finẽ. Nec enim ob aliud, ait Augustinus, fœmina nubit, quã vt mater fiat. Vnde & matrimonium ominis caussa dictum. Id Græci definiunt, γάμον σύνοδον ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς κατὰ νόμον, ὅπῃ γνησίων τέκνων σπορᾶ. Et pulchrè Menander apud Clementem Alexandrinum. παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμι σοίγε τὴν ἐμαυτῆ θυγατέρα. Et Augustus senile quoddam coniugium iniustum pronuntiauit, quoniam non quærendorum liberorum caussa initum, ait Valerius lib. 7. cap. 7. In ipsis autem tabulis ea verba solita exprimi, testatur Augustinus lib. 14. Ciuitatis. Quid concubitus coniugalis, inquit, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum, procreandorum fit caussa liberorum? Adde & Sueton. Iulio, cap. 51.

ÆOLVS HÆC CONTRA) *Quod probati scriptores reliqui dicunt contra, Sallustius in Iugurthino dixit contra ea, dignum certè animaduersione. Romani pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare: euadere alij, alij succedere, ac murum modò suffodere, modò scalis aggredi: cupere prælium manibus facere. Contra ea oppidani in proximos saxa soluere.*] Immo & Cæsar 3. de bello ciuili. Contra ea Cæsar neque satis perterritis militibus confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat. Æmilius Probus frequenter. Præfat. Contra ea si quid aduersi accidisset. Et in Agesil. Contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum comparauit. Congessit hæc Lamb.

TVVS QVID OPTES EXPLORARE LABOR) Quod hìc Virgilius inducit Æolum ita Iunoni dicere, cùm se paratum ostendere velit, facere, quodcunque illa iusserit: nec posse aut debere vllum ipsius imperium detrectare, idem quod apud Euripidem Ione respondet vetus famulus illius familiæ, Creusæ: quæ se opera illius vti velle significarat in re non satis honesta, vel potius affini graui sceleri, ac nefario. Hæc igitur ipsius verba sunt, ostendi sibi volentis locum, ac modum illius rei peragendæ. Τῶν καὶ τὸ δεῦρ' ἄν, σὸν λέγειν: τολμᾶν δ' ἐμόν. Potest igitur facilè cognosci, huius etiam sententiæ exemplo, breuitas, & elegantia græci sermonis, qui paucioribus verbis idem expressit. Sed etiam auctoritate horum duorum locorum perspicitur, hanc orationem conuenire illis, qui paratos se ostendunt, cùm rogantur à potentioribus, facere aliquod improbum facinus: aliquo modo enim ita se purgant, & obscurè culpam illorum scelerum in auctores conferunt. Nam quod petierat etiam Iuno, sæuum erat, tantum periculum creare classi, & illam pænè mergere fluctibus, nullius culpæ conuictam, sed ob proprias tantum inimicitias, & odium. Victorius libro 29. capit. 4.

MIHI IVSS. CAP. F. EST) Pro, nefas est non capessere. λιτότης, vt notat Seruius.

TV MIHI QVODCVNQVE HOC REGNI) Iunonis erga se beneficia cum exaggeratione recenset, pro quorum magnitudine omnia se illi debere profitetur. Extenuat imperium suum, inquiens, *hoc regni*: quoque magis Iunonis potestatem, atque dignitatem extollat, vtitur repetitione ex adiunctione: quarum altera grauem, altera festiuam orationem reddit. Hìc etiam diligenter obseruandum, sapienter poetam fecisse, vt Aeolus Iunonis beneficia recenseret, quæ Iuno ipsa tacuerat. Nam personæ graues, atq; magnanimæ, quę in alios contulerint, libentius audiunt, quàm vt ipsę narrent aliis. Aristot. 4. Eth. Nascimb.

Ad hos versus, & qui præcesserunt de nympha Deiopeia, quam illi Iuno promisit, idonea fuerit imago Aeoli, quam sic describit libello de deorum imaginibus Albricus. Stabat in antro Aeolus, linea veste indutus, & præcinctus, tenens sub pedibus folles, in manu autem vtraque cornua: quæ ori admouens, ea sufflare, & ab vnoquoque cornuum sex ventos emittere videbatur. Et quia Iuno regnum ei dedisse fingitur, à dextris ei astans, septa nube, coronam ei imponebat. A sinistra verò eius nympha vmbilico tenus nuda extare è mari, quam ei coniugem Iuno pollicita est.

TEMPESTAT. POTENTEM) Sic lib. 3. *Dij maris, & terræ, tempestatumq; potentes.* Horat. Ode 3. lib. 1. *Sic te diua potens Cypri.* Id est, domina, more Græcorum, κρατοῦσα κύπρου. Sic Ode 5. *suspendisse potenti Vestimenta maris deo.* Ode vlt. Epod. *Phœbe, syluarumq; potens Diana.* Ex Lamb. in Horat. Adde ex Nemesian. eclog. 2. *Et nemorum Syluane potens.*

85 Hæc vbi dicta, cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus; ac venti velut agmine facto,
Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumq; à sedibus imis
Vnà Eurusq;, Notusq; ruunt, creberq; procellis
90 Africus: & vastos voluunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorq; virûm, stridorq; rudentum.
Eripiunt subitò nubes cælumq;, diemq;,
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther:
95 PRÆSENTEMQVE VIRIS INTENTANT OMNIA MORTEM.
Extemplò Æneæ soluuntur frigore membra.
Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert. O TERQVE QVATERQVE BEATI,
Queis ante ora patrum, Troiæ sub mœnibus altis,
100 Contigit oppetere. ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis

Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?
Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens
Sarpedon, vbi tot Simois correpta sub vndis
105 Scuta virûm, galeasq;, & fortia corpora voluit.

CAVVM CONVERSA CVSP.) Ipsum hunc locum, atq; adeo descriptionem Virgilianam tempestatis turbulẽtissimæ, & grauissimæ, conatus est imitari Valer. Flaccus Argonaut. lib. 1. Vt igitur ex collatione deteriorum, tantò clarius Maronis præstantiam cognoscamus, Flacci verba subiiciam. Dixerat, *At cuncti fremere intus, & æquora venti Poscere.* Hæc respondent illis superioribus, *Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.*

---tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades. Fundunt se carcere læti,
Thraces equi, Zephyrusq;, & nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus, crinemq; procellis
Hispidus, & multa flauus caput Eurus arena
Induxere hyemem, raucoq; ad littora tractu
Vnanimi freta curua ferunt, nec sola tridentis
Regna mouent, vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoq; premit nox omnia cælo.
Nauibus excussi remi, conuersaq; frontem
Puppis in obliquum resonos latus accipit ictus.
Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit, qui tum Minyis trepitantibus horror,
Cùm picei fulsere poli? pauidamq; coruscæ
Ante ratem cecidere faces? antennaq; læuo
Prona dehiscentem cornu cum sustulit vndam?

Lege quæ sequuntur, &, si per otium licet, particulatim omnia cum Maronianis confer: quæ quanto illustriora sint, oportet cæcum esse prorsus, qui non videat. Sed Maronem consequi cùm adhuc datum sit nemini, quò quis imitando ad eius excellentiam propius accesserit, hoc vtiq; se admirabiliorem præstabit.

MONT. IMP. IN LATVS) Impulsio montis in latus, quod & Quintilianus docet, sæuissimæ, ac certissimæ tempestatis futurę est indicium. Et quod cauũ montem dicit, physicam rationem attingit, quoniam concaua loca ventis facilè replentur: vnde & terræmotus quãdoq; fiunt. Nascimb.

QVA DATA PORTA RVVNT) Credidit antiquitas, Æolum ventos tenere clausos carcere, & patefacta ab eo porta, erumpere illos, terrasq; perflare. Itaque quia à cauis illis globis aqua plenis, quà foramẽ est, cùm indũtur in ignẽ, magna vis halitus effertur: propter eius irruptionem sunt Æolipylæ vocatæ, id est, Æoli portæ, de quibus Vitruuius lib. 1. cap. 6. Turneb. lib. 25. cap. 12.

TERRAS TVRBINE PERFLANT) Ieiuna plane interpretatio, per terras flant, quasi dictum sit eo tantum modo, quo illud, *Atq; rotis summas leuibus perlabitur vndas*, id est, per vndas labitur, more Græcorum scilicet, præpositionem casus verbo adiungentium. ὀπιφαίνεται αὐτῷ, pro, ἐπ' αὐτῷ, Inapparet ipsi, pro, in ipso apparet. Vitiosa est, inquam, interpretatio, non enim flatum longè lateque vagantem: sed eius vehementiam, atque impetum, ad terrarum spacia permiscenda, ac perturbanda effusum indicare hoc verbo voluit. Modicius.

INCVBVERE MARI) Hoc verbo impetus, & conatus ventorum in mari concitando exprimitur: neque enim illud ab imis sedibus potuissent euertere, nisi incubuissent ad eam rem penitus.

CREBERQVE PROCELLIS AFRICVS) Africus ab occasu hyberno spirat, Arist. 2. μετεώρ. opponitur-

A que Cæciæ linea recta, ab æstiuo flanti, Zephyroq; seu Fauonio proximus est. Hoc loco Virgilius Africũ dixit pro Zephyro, quẽ nominat Odyss. 2. Homer. Σὺν δ' Εὖρός τε νότος τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε δυσαής. Vbi Homerus motum duntaxat, noster autem, cum *ruunt* dixit, etiam occupationem significauit. Vt autem notat Strabo lib. 5. apud Homerum Zephyrus non est Fauonius, sed is, quem nunc Maro vocat Africum. Sic & infra, *Eurum ad se, Zephyrumq; vocat*, de Africo accipiendum est: aut quod incredibile dictu est, ventum non antè appellatum nominat. Turneb. lib. 18. cap. 32. * *Horatius item cum scripsit Ode 1. libr. 1.* Luctantem Icariis fluctibus Africum, *quid nisi procellosum videtur nominasse? Venti quatuor sunt, inquit Seneca Natural. lib. 5. cap. 16. in ortum, in occasum, meridiem, septentrionemq; diuisi.*
B *Cæteri quos variis nominibus appellamus, his applicantur.*

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit,
Persidaq;, & radiis iuga subdita matutinis.
Vesper, & occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro. Scythiam septemq; triones.
Horrifer inuasit Boreas. Contraria tellus
Nubibus assiduis, pluuioq; madescit ab Austro.

Vel, si breuius illos complecti mauis, in vnam tempestatem (quod fieri nullo modo potest) congregentur. Vnà Eurusq; Notusq; ruunt, creberque procellis Africus. *Et qui locum in illa rixa non habuit, Aquilo. Lege totum caput: & insuper Vitruuij cap. 6. libr. 1. & Plin. lib. 2. à cap. 45. vsq; ad 50. & Gell. lib. 2. cap. 22. Vtilitates ventorum multas enumerat Seneca Natural. lib. 5. cap. 18.*

VASTOS VOLVVNT AD LITTORA FLVCTVS) Lucret. lib. 2.

C *Vt mare cum magni commorunt æquora venti,*
Vertitur in canos candenti marmore fluctus

Vasti fluctus sunt immensi, ingentes, decumani.

INSEQVITVR CLAMORQVE VIRVM) In hoc versu singulæ voces litteram habent asperam. Namq; aliarum principium, aliarum finis, aliarum & principiũ, & pausa trahit secum asperitatem litteræ rigidioris, qua multiplicata horror quasi quidam gignitur loco illi debitus. Ipsæ quoque inclinatiuæ particulæ, dum accentus ad se rapiunt, horrori etiam ipsi non parum adiungunt, clamorque, stridorque. Quid quod in tempestate obscuritas terrorem auget? Virûm, & rudentum vltimæ, sonant etiam nescio quid obscurum. Iouian. Actio.
D * *Quid mirum, tempestate commota exoriri clamores nautarum, vectorumq; sese ad diuersa officia in præsenti periculo cohortantium? Stridere etiam funes nauticos dum vela contrahuntur, & fiunt, quæ res tum postulat?*

STRIDORQVE RVDENTVM) Recte stridor, ex nimio enim stridore ita nuncupati sunt illi funes nautici, quod videantur scilicet rudere.

ERIP. SVB NVB. CAELVMQ. DIEMQ.) Lib. 3. *Iouoluêre diem nimbi, & nox humida cælum Abstulit*, vbi similiter luculenta est grandis cuiusdam tempestatis descriptio. Cum his autem duobus versibus, & illis, quorũ iam principium adduxi è lib. 3. comparemus licet nonnullos è lib. 6. Lucret. vbi ille fulmina cælo sereno gigni negat, & ab ipsa sensus experientia probat, cælo nubibus
E planè operto, ac turbido fieri.

Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt aera nubes
Vndiq;, vti tenebras omnes Acherontaream
Liquisse, & magnas cæli complesse ruinas:
Vsq; adeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent atræ formidinis ora supernè,
Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.

Vide

Vide & lib.4. *Præterea modò cùm fuerit liquidissima cæli Tempestas, &c.* Descripsit tempestatē multis admodum versibus Naso Metamorph.libr.11. quam si cum Maroniana cōtuleris, hanc vt breuissimam, ita euidentissimā, grauissimamq; confitebere. De qua Scalig. Poet. lib.3. cap 4.adeo luculentam esse, vt ne à natura quidem illustrius committi queat. Eandem ponderat idem lib.5.ca. 48.& cum Ouidiana, Lucanicaq; confert diligenter lib. eodem, cap.12. Luxuriat Ouid.suo more videlicet: locum indicabo. *Cùm mare sub noctem tumidis albescere cœpit Fluctibus.* De istiusmodi autem cæli obscuratione, cùm atræ nubes interpositæ, lunæ aspectum omnem adimunt, ipsamq; noctem longè tenebrosiorem faciūt. Horat. Ode 16.lib.2.

Otium diuos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit lunam, neq; certa fulgent
Sidera nautis.

Profert Muretus quoq; lib.4. cap.6. haud illepidam descriptionem ex Varronis Marcipore, castigatis à se versiculis. Sed cùm ille vir magnus tres primos, pariterq; tres extremos prætermiserit, pretium fore duco, totum carmen, vt in Appendicem Virgilianam ab eruditissimo Ioseph.Scalig.relatum legitur, in medium proponere.

Repentè noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer feruidis latè ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet,
Nubes aquales frigido velo leues
Cæli cauernas aureas subduxerant:
Aquam vomentes inferam mortalibus,
Ventiq; frigido se ab axe eruperant.
Phrenetici septentrionum filij,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.
At nos caduci naufragij ciconiæ,
Quantum bipennis fulminis plumas vapos
Percussit altè in veste in terram cecidimus.

Et apud.M. Tullium lib.1.de diuinat.èveteri poeta quodam hoc recitatur, è Pacuuio forsitan.

Tenebræ conduplicantur: marisq;, & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit,
Grando mista imbri largissimo subita præcipitans cadit,
Vndiq; omnes venti erumpunt, sæui existunt turbines.
Feruet æstu pelagus.

Adiiciamus adhuc Statij ex libr. 5. Thebaid. vt vberior queat fieri vnius cum tam multis comparatio.

——inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies, miscet tenebras: quis protinus vnda
Concolor, obnixi lacerant caua nubila venti,
Diripiuntq; fretum, nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumq; Notis portantibus æquor
Pendet, & arquato iam iam prope sidera dorso
Frangitur.

Cui tantum est otij, consideret etiam illam Senecæ in Agamemnone act.3.cuius hoc principium, *Agitata ventis vnda venturis tumet*, &c.

Quod verò noster vates in hac tam admiranda hypotyposi semper indicādi modo vsus est, id ad amplificationem rei, exaggerationemq; inprimis valere non est dubium: magis enim sēper quæ instant, & supra caput sunt, quàm quæ iam præterierunt, commouere, & concutere homines solent.

INTON.POLI) Præpositio hic significatum auget, q̃ aliâs minuit. Ergo intonuere, id est, vehemēter tonuere.

CREB.MIC.IGN.ÆTHER) Periphrasis fulgurū, seu fulgetrorum. Æther dixit, pro aer, verbū grauius, & magis sonorum ponendo, vt seruiret maiestati carminis heroici. Corrad.

INTENTANT OMNIA MORT.) Catull. *Ostentant omnia lethum.* Hoc à Catullo quidem accepit Virgilius, sed grandius fecit.

EXTEMP. ÆNEÆ SOLVVNTVR) Extemplò est continuò, inquit Varro de ling.lat.lib.6. Est autem, vt ibidem notat Scalig.F.in Coniectan. verbum sacrorum, sicut *Ilicet* iudiciorum. Vt enim hoc dimisso senatu, sic & illud sacrificio patrato à pręcone pronuntiabatur: quo significabatur, vt exirent ex templo. Quod quia citò fiebat, inde pro citò, & properè sumi cœptum est. Cur frigus, & tremor membra occupet in timore, caussa physica redditur, nempe hæc. Vbi res terribilis sensui obiecta est, spiritus & sanguis repentè ad cor fouendum, tanquā ad fontem vitalitatis congregantur. Inde artus extremi maximè, à sanguine, spiritibusque, quæ sunt natiui caloris veluti duo vehicula, destituti, frigore, pallore, ac tremore corripiuntur. Quamobrem autem sapiens in periculis, & tempestatibus commoueatur, ac timeat, explicat caussam secundum opinionem Epicteti Gell.lib.19. ca.1.vbi faceta narratur historia de Stoico quodam philosopho, quem vnà cum cæteris eadem in naui tempestas iactabat.

Aiunt tamen quidam explanatores, Æneam hoc loco, vt fortem, & gloriæ cupidum virum, non timuisse mortem vllo modo, sed genus mortis, omni honore & gloria vacuum. Satis enim illa, *Mene Iliacis occumbere campis Non potuisse, &c.* mori paratum fuisse, sed in acie potius, quàm inundis significant. Itaq; non solùm phantasia commouetur, vt Stoicus ille sapiens, verùm re ipsa, cui συγκατάθεται. Iuuat adscribere, quæ à Iouiano super his Virgilianis disseruntur lib.1.de Fortitud. Quorsum hæc finguntur à poeta in viri, ducisq; fortissimi persona, vt quem hostiles tot congressus nunquam fregissent, præruptus ille aquæ mons tam humiliter atque infractè de sua, suorumq; coegerit salute desperare? an quod illud moriendi genus nullum esset decus allaturum? nec virtuti suæ vllum sentiret locum inter transtra, remosq; relictum? Itaq; nō fert grauato animo mori, sed quod sic moriendum esset. Idem dico de Hippomedonte apud Statium lib.9. Thebaid. Is enim diu inter aquas colluctatus, cùm tandem à torrente raperetur, exclamat, queritur, deos incusat, quod tam indignè secum ageretur.

——fluuiòne (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesq; lacus, & stagna subibo,
Ceu pecoris custos subitò torrentis iniquis?
Interceptus aquis? Ideone occumbere ferro
Non merui?

Et nonnullis interiectis: Et viri tamen fortes in mari deprehensi à tempestatibus, non ita erunt consternati, vt humiles, demissiq; appareant. Tolerabunt itaq; procellas, non eo tamen, quo nautæ animo: qui cùm ferendis tempestatibus sint assueti, & bene sperant, se inuicē confirmantes, & suum interim munus exequuntur. Cùm illi, vt parum assueti, ac inexperti, de salutē subinde desperent, ac tale mortis genus quàm molestissimè ferant, cū etiam intelligant, nullam in eo se dignam operam nauare posse.

Idem quod Iouianus, sentit Scalig. Poet.lib.3. cap.12. Disserit quædam huc etiam pertinentia Nannius lib.7. cap.2. Sic apud Curtium lib.3. cùm Alexāder in Cydnum amnem, qui Tarsum Ciciliæ interfluit, calidi corporis abluendi descendisset, moxq; per artus ita obriguisset, vt pænè efflaret animam, morienti similem ministri in tabernaculum portant, cum lachrymis conquerentes, in tanto impetu, cursuq; rerum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum regem, non in acie saltem, non ab hoste deuictum, sed abluentem aqua corpus ereptum esse, &

extinctum. Et infrà. Animi ægritudo autem corpus vrgebat. Quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nuntiabatur. Vinctum ergo se tradi, & tantam victoriam eripi sibi è manibus, obscuraq; & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. * *Alexander item Seuerus Imp. vt narrat Lamprid. cùm à mathematico audisset, se gladio barbarico periturum, lætatus est, quod sibi bellicam & imperatoriam mortem imminere crederet, tantumq; animi habuit, vt putaret se diis comparandum, si in bello periret. Sic Ouid. eleg. 2. lib. 1. Trist. naufragium deprecatur, non propter mortem, sed genus mortis inglorium, & omni solatio carens. Carmina hæc sunt.*

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
Est aliquid fatoq; suo, ferroque cadentem
In solita moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

DVPLICES TEND. AD SID. PALMAS) Heroes manibus in cælum sublatis Iouem, cæterosque deos cælestes precari solebant: marinos, ad mare proiectis: manes, & inferos, terra percussa. Primi moris & hoc exemplum est, & illud è 3. *tendoq; supinas Ad cælum cum voce manus.* Et in 4. de Hiarba. *Multa Iouem manibus supplex orasse supinis.* Homer. Odyss. 1. ἔυχετο δ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀσταφίδεντα. Secundi exemplum occurrit hoc ex 5. Æneid.

Ni palmas ponto tendens vtrasq; Cloanthus,
Fudisset q; preces, diuosq; in vota vocasset.
Dij quibus imperium pelagi.

Postremi sunt hæc. Euripid. Hecuba. ὦ χθόνιοι θεοὶ, σώσατε παῖδ' ἐμὸν, ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν, &c. Ad quem locum vetus interpres notat, histrionem, cùm hæc verba loqueretur, terram pulsasse. M. Tull. Tuscul. 2. Tum Cleanthem, cùm pede terram pede percussisset, versum ex Epigonis dixisse ferunt, *Audisne hæc Amphiarae sub terram abdite?* Zenonem significabat, à quo illum degenerare dolebat. Lamb. in Horat. * *Lucretius dixit, pandere palmas, lib. 5.* Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas Ante deûm delubra.

O TERQVE QVATERQVE BEATI) Terque, quaterq; beatos Græci vna voce τεισμακαρείους dicunt. Brodæus lib. 2. cap. 1. illud ex Eustathio affert, τὸ ὄ, καὶ τετράκις, ἀφελῶς εἴρηται, καὶ πρὸς οὐδὲν μέγα. Tibull. vt Virgilius, *O felicem illum terq; quaterq; diem.* Horatius. *Felices ter & amplius, Quos irrupta tenet copula.* Id est, O ter quaterque felices, si quid tamen ad hunc felicitatis gradum addi potest. Macrobius in somnium Scip. lib. 1. cap. 6. postquam numerum septenarium perfectissimum esse docuit, & de eius vi ac potestate multa verba fecit. Vnde Virgilius, inquit, nullius disciplinæ expers, & per omnia beatos exprimere volens, ait, *ô terq; quaterq; beati.*

Septenarium numerum maxima ingenia mirari non desinunt: siquidem totus impar numerus primus ternarius est, totus par quaternarius, ex quibus duobus consurgit septenarius: ideo pro vniuerso sæpe ponitur: sicut est: septies in die cadet iustus, & resurget: id est, quotiescunque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, sed de perturbationibus, leuioribusq; culpis ad humilitatem perducentibus intelligi debet. Et, Septies in die laudabo te, quod alibi alio modo dictum est: semper laus eius in ore meo. Et multa eiusmodi in diuinis auctoribus reperiũtur, in quibus septenarius pro cuiusq; rei numerositate poni solet. Propterea eodem sanctus sæpe signatur Spiritus. Hinc est illud propheticum S. Augustino interprete. Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum septuplum. Et in Euang. S. Lucas scribit de Magdalena septẽ prosiluisse dæmona. Quo fit, vt Homericum illud ad hunc ferè sensum interpreter, etiamsi Strabo grauissimus auctor aliter sensit ac docuit. Τεὶς μάκαρες δαναοὶ καὶ τέτρακις, οἵ τοτ' ἄολντο. Quod extulit his verbis Virgilius. *O terq; quaterq; beati*, &c. Rhodig. lib. 22. cap. 12. * *Tamen non sit piaculare, credo, affirmare, poetam & in hoc ὑπερβάλλειν, vt in aliis centum millibus, esseq; numerum finitum pro infinito, vt & Seruio placet.*

O DAN. FORTISS. TYDIDE) Homerus Diomedem κρατερὸν ἀχαιῶν vocat, quò videtur allusisse Virgilius. Fortitudo, fortis, fortissimus, quamquam ferè ad animum, & virtutem adhibentur, tamen nonnunquam etiam in corpore, & viribus magnis dicuntur. Cic. 1. Off. Neque vlla re longius absumus à natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, vt in equis, in leonibus. Sed hic locus est ambiguus: & Ennius cùm dixit, *Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit olympia*, intellexit generosum, & ob similitudinem quãdam, magnanimum equum. Clarior est ille Cesaris belli Gall. lib. 1. cap. 11. totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi, id est, valentissimi, ac robustissimi. Dixit etiam 2. belli ciuil. ligna fortissima.

MENE ILIAC. OCCVMB. CAMP. NON POT.) De oratione per modũ infinitum diximus suprà, *Mene incepto desistere victam?* Similis querimonia est Scipionis Cos. apud Sil. lib. 4. in flumine Trebia. *Ingrauat ad cœlum sublatis Scipio palmis: Dij patrij*, &c. Sed cur non potuit, quemadmodum optat, ad muros patriæ, Diomedis nobilissimi, bellicosissimique ducis manu occumbere? Quoniam Venus mater, & Apollo Troianorum tutelaris eum præsenti discrimini subduxerunt, vt scriptum extat Iliad. 5.

TVAQVE DEXTRA) Tam forti & felici: qua mihi ἰσχύν, Veneri χεῖρα, Marti κρεῶνα vulnerasti, & tot Troianos interfecisti. Emphasis est. Corrad.

SÆVVS VBI HECTOR) Sæuus valet veteribus durus, immitis, asper, violentus, vehemens, acer, animosus, fortis: & vt pro vehementi fortis, ita pro forti sæuus ponitur, in bonam partẽ. Sic Lucr. sęuum bellum dixit, vt Virgil. lib. 10. durum. Lucil. vtrumque lib. 30. *Et sæuo ac duro in bello multò optimus hostis.* Idem Virgilius sæuas tempestates dicit, vt Lucretius sæuas procellas. Et Cicer. ventus sæuus, turbines sæui. Eleganter etiam Lucret. sæuas secures magistratuum Rom. id est, inexorabiles. Gifan. in Lucret.

ÆACIDÆ TELO) Æacidarum, atque adeo ipsius Æaci, vnde genus illis, non vulgaris laudatio reperitur apud Isocr. in Euagora: quàm vt Symbolis nostris commodaturã, decreui ad verbum transcribere. ὁμολογεῖται μὲν γὰρ τοὺς ἀπὸ διὸς εὐγενεστάτους τῶν ἡμιθέων εἶναι, &c. nolo græcis ad verbum ponendis molestiam generare eius linguæ imperitioribus: quamobrem etiam alibi sæpe mihi tempero. Etsi miror valde, quomodo quisquam de litteratis æquo animo eam ignorare possit, vt non vel senex cum Catone sibi discendam statuat. Sed ad Isocratem reuertamur, cuius verba latinè sonant ita. Nam in confesso est, oriundos à Ioue, semideorum esse nobilissimos: inter hos autem, nemo est, quin Æacidis principatum deferat. In aliis enim familiis alios præstantiores, alios deteriores inueniemus: hi verò suis temporibus omnes omnium fuere celeberrimi. Æacus enim, qui & Iouis filius, & generis Teucridarum habetur auctor, tantum excelluit, vt siccitate premente Græciam, multisque mortalibus extinctis, cùm iam nihil ad magnitudinem calamitatis posset accedere, magistratus vrbium supplices eum adierint: existimantes se per eius nobilitatem, & pietatem, celerrimè vrgentium malorum à diis remedium impetraturos. Salutem porrò adepti, votorumque omnium facti compotes, in Ægina templum omnium Græcorum nomine ædificarunt, quo in loco votum ille nuncuparat. Is igitur & dum

dum vixit, inter homines maxima ſemper gloria fuit: & A post obitum Plutoni, & Proſerpinæ, maximis honoribus præditus aſſidere perhibetur. Huius filij fuerunt Telamon, & Peleus: quorum alter expeditionis Herculanæ, contra Laomedontem ſuſceptæ ſocius, primas virtute meruit: Peleus autem re contra centauros bene geſta, & multis aliis pugnis ſpectatus, Thetidis Nereidos, mortalis ipſe, immortalis coniugio potitus eſt: & ſolius huius ex omni vetuſtatis memoria in nuptiis hymenæum deos cecinisſe memoriæ proditum eſt. Hi ambo filios habuerunt, Telamon Aiacem, Teucrum: Peleus Achillem: qui maximum, & clariſſimum virtutis ſuæ ſpecimen ediderunt. Nec enim in ſuis vrbibus tantum principem locum tenuere, nec ijs in locis, quæ incoluerunt: ſed expeditione à Græcis ſuſcepta contra barbaros, & multis vtrinq; congregatis, quum nullus vir nominatus mãſiſſet domi: in illis periculis vt Achilles omnibus antecelluit, ſic Aiax ſecundum ab eo virtutis locum obtinuit. Teucer vero & horum cognatione dignus, & nemine cæterorum inferior, quum in expugnanda Troia ſtrenuam operam nauaſſet, Cyprum aduectus, & Salaminam condidit, prioris ei patriæ nomine impoſito: & eam quæ nunc regnat familiam reliquit.

VBI HECTOR, VBI ING. SARPED.) Hoſce duos potiſſimùm nominat, quia vult cum his comparari, quorum alter fortis, alter dei, id eſt, Iouis eſſet filius: & ipſe fortis erat, & filius deæ Veneris. Corrad. Sarpedon fuit filius Iouis, frater Minois & Rhadamanthi. Is cognominem ſibi filium genuit hunc Sarpedonem, quẽ tamen ipſum quoq; ſunt qui à Ioue procreatum dicunt. Diodorus lib. 5. cap. 15. De eodem Tryphiodorus,

Fundebant Lycij lacrymas Sarpedone cæſo,
Freta Iouis thalamis quem mater ad Ilion altum
Miſerat, auxiliũ vt Teucris, ſocia armaq; ferret,
Clauſurum dulcem Patrocli vulnere vitam.

Donis ampliſſimis, & duplicatis ſibi eum Priamus adiunxit, ideo nec prece, nec precibus Phalidis Sidoniorũ regis adduci potuit, vt Græcorũ claſſem ſequeretur. Dictys lib. 1. Epitaphiũ eius apud Auſonium eſt eiuſmodi.

Sarpedon Lycius, genitus Ioue, numine patris
Sperabam cælum, ſed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis. Prô ferrea fata.
Et patitur luctum, qui prohibere poteſt.

VBI TOT SIMOIS CORREPTA) Locus hic de Simoente, ex initio 2. Iliad. petitus eſt.

Καὶ σιμόεις, ὅθι πολλὰ βοάγεια, καὶ τρυφάλειαι
Κάππεσον ἐν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν.

Pomponius Mela li. 1. cap. 18. Huc ab Idæo mõte demiſſus Scamãder & Simois, fama quã natura maiora flumina.

SVB VNDIS) Legitur in quibuſdam *ſub vndas*. Tum accuſatiuus hîc ad vocem *correpta*, pertinebit, correpta ſub vndas, voluit.

FORTIA CORPORA) Quid hac figura tritius? fortium virorum corpora, adiunctum pro ſubiecto.

Talia iactanti ſtridens Aquilone procella
Velum aduerſa ferit, fluctusq; ad ſidera tollit.
Franguntur remi: tum prora auertit, & vndis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
110 Hi ſummo influctu pendent, his vnda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
(Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari ſummo) tres Eurus ab alto
115 In breuia & ſyrtes vrget (mirabile viſu)
Illiditq; vadis, atq; aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit. excutitur, pronusq; magiſter
120 Voluitur in caput: aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat ęquore vortex.
APPARENT RARI NANTES IN GVRGITE VASTO:
Arma virûm, tabulæq;, & Troïa gaza per vndas.
Iam validam Ilionêi nauem, iam fortis Achatæ,
125 Et qua vectus Abas, & qua grandæuus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisq; fatiſcunt.

TALIA IACTANTI STRIDENS) *Fruſtra effundenti, quippe quibus nihil proficeret. Æneid. 2.* Talia iactabam, & furiata mente ferebar. *Eclog. 2.* ibi hæc incondita ſolus Montibus & ſyluis ſtudio iactabat inani. *Ex hũc & aliis præterea locis diſcas licet, in voce iactare, fruſtrationis ſignificatũ ineſſe.*] Redit ad tempeſtatem, & quod antea communiter complexus fuerat, nunc ſeparatim deſcribit, & primùm quid Æneæ, deinde quid ſociorũ eius nauibus contigerit, perſpicua narratione declarat. Qua in re omnia illa breui oratione C complexus fuiſſe videtur, quæ cum Epici, tum Tragici poetæ, ex inſtitutione poeticę artis vno pathetico poemate cõplecti debẽt: cõmiſerationẽ, horrorẽ, admirationẽ, atrocitatẽ. Nam cum Æneæ velum feriri, remos frangi, aliorumq; naues alias in ſcopulos, alias in ſyrtes impelli dicit, miſericordiam mouet. Vbi verò illos fluctu pendentes, hos in imũ deiectos depingit, horrorẽ incutit. Cum autẽ cumulum aquæ quaſi mõtẽ altiſſimũ ſubſequutum, fluctusq; ad ſidera ſublatos, & terrã inter vndas apet-

das apertã fuisse memorat admirationẽ parit. Postremò, dum rem totam ita describit, vt ob oculos nostros fieri videatur, atrocitatem quandam nobis intuendam, inspiciendamque proponit. Nascimb.

FRANGVNTVR REMI) Remis igitur, & velis nauigabant.

PRORA AVERTIT) Secundum Herodianum prora vocatur quasi πρόιρα, quòd præcedat quasi. Prora item quia prorsum prospicit, & est pars nauis anterior, à προορᾶν, id est, à prospiciendo. A prora deflectuntur proreus, & proreta, qui in prora ventos captat. Verbum ipsum est προρατεύειν, proretam agere.

AQVÆ MONS) In fine delectant monosyllaba, dummodo rarò fiat: & præponendus est dactylus, qui eo in loco idem habet instar ad tarditatem temperandam, quàm ad moderandam in illo ab initio celeritatem spondeus. Initio tamen facto à monosyllaba, sequitur. *Sic fatur lacrymans.* Hìc præit: vt item in illis. *Fractæ vires, auersa deæ mens. Et, ruit Oceano nox.* Et, *diuûm pater, atq; hominum rex.* Sed nec Lucretius est veritus spõdeum præmittere, cum dixit: *& ingrati genitoribus inuenti sunt.* Iouian. Actio. * *Montes aquarum est legere apud Ouidium quoq;. Metamorph. lib. 15.*

Cum mare surrexit, cumulusq; immanis aquarum
In montis speciem curuari, & crescere visus,
Et dare mugitus, &c.

Et in Tristibus, qui versus iam iam producetur.

HI SVMMO I. F. P. HIS VNDA DEHIS.) Lib. 3. Æneid.

Tollimur in cælum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus vnda.

Ouid. eleg. 2. lib. 1. Trist.

Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum?
Iam iam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles?
Iam iam tacturas tartara nigra putes.

Habet & illud Lucani quandã huius loci imaginẽ, lib. 5.

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è summis præceps mare, cumq; tumentes
Rursus hiant vndæ, vix eminet æquore malus:
Nubila tanguntur velis, & terra carina.

TRES NOTVS) Quare appellarunt Notum vẽtum à meridie flantem? vtrum quia ventus est humidissimus, & pluuias, humiditatesque, νοτίδας concitat? An potius νοτὶς, id est humor, à Noto deductum fuit? Notus verò id nominis fuit sortitus, quod ex inferiore, & occulto spiret loco, tanquam sit νέατος, id est, imus quispiam, secundum Plutarchum. Nam globi partes ad meridiem secundum nostram habitationem, vbi sol nunquam vertici nostro imminet, extremam habẽt declinationem. Camerar. Decur. 2. de orig. ven. problemat. 10.

SAXA LATENTIA) Non latebant aliâs, tum latebant, propter tempestatem scilicet, & tenebras densissimas.

MED. Q. IN FLVCT. ARAS) Aræ fuerunt propitiæ 9. inter Sardiniam, & Africam celebres, icto ibi inter Afros, & Romanos fœdere, de quibus Lucan. lib. 8.

——— augustius aris
Victoris Lybico pulsatur in æquore saxum
Tarpeiis.

Quo quidem è loco saxa illa magna religione, & veneratione fuisse culta colligitur. Hæc Turneb. lib. 26. cap. 23. Aras vocarunt Itali hosce scopulos, quòd cum ad aras, seu in templis fœdera soleant ferire, hi scopuli Romanis, & Carthaginensibus pro aris fuerint.

IN BREVIA, ET SYRTES VRGET) Quæ Latini breuia nominant, vadosa quædam in mari spatia, ea Græci βραχέα, &c. vide Brod. lib. 6. cap. 24. Sallustius in bello Iugurthino duas syrtes ponit, maiorem & minorem, atque ait à tractu nominatas. Eas describit in hunc modum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terræ prælta sunt: cætera, vti sors tulit, alta: alia in tempestate vadosa. Nam vbi mare magnum esse, & sæuire ventis cæpit, limum, arenamque, & saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur: syrtes à tractu nominatæ. De syrtibus multa Strabo in extremo lib. 17. vbi earum pericula exponit. Item Dionysius de situ orbis, & eius interpres Eustathius. Syrtim vnam intelligit poeta, quæ multis passuum millibus separantur. Vtitur tamẽ numero iure suo multitudinis: siue vt rem magis augeat.

Sed Corrado videtur hìc locorum imperitus Maro, quod Eurus spiret ab oriente: nec possit vrgere naues in syrtes, quæ & ipsæ sunt ad orientem. Quem errorem hausit à Donato, qui parcius est locutus. Situs, & positio à Dialecticis in relatione statuuntur. Itaque eadem columna, quæ mihi dextra est, tibi sinistra potest esse. Italiam Græci habent ad occidentem, Hispani ad orientem. Sic venti septentrionales habent syrtes ad meridiem, Eurus ad occidentem, Africus ad orientem. Non videtur ergo quare Eurus non possit naues ex alto in syrtes impellere. Modicius cap. 21.

ILLIDITQVE VADIS) Vada sunt loca in mari periculosissima, in quibus hærentes naues sæpe dissoluuntur, & perfringuntur. Sic lib. 10.

Namq; inflicta vadis dorso dum pendet iniquo
Anceps, sustentata diu, fluctusq; fatigat,
Soluitur, atq; viros mediis exponit in vndis.

IPSIVS ANTE OCVLOS) Hoc ad dolorem Æneæ maius fuit atque acerbius, quod eo vidente excussus est rector, & nauis in profundum hausta. Longe etenim vehementius afficiunt in vtramque partem quæ videntur, quàm quæ audiuntur. Horat. ad Pisones. *Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.* Cicero, oculi augent dolorem. Sic Priamus lib. 2. atrocitatem facinoris in Pyrrho etiam ex hoc loco amplificat, *qui nati coram me cernere lethum Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.*

INGENS A VERTICE PONTVS) Magna pars ponti, non vniuersus pontus. Hunc locum videtur mihi Seruius non intellexisse, nec interpretes alij, quos mihi saltem videre contigit. Id vt liqueat, addemus Seruij verba. A vertice, aut à puppi, quę vertex nauis est: aut ab aquilone, qui flat à mundi vertice, hoc est, Septentrione, vt ipse alibi. *Hic vertex nobis semper sublimis.* Hactenus ille. Quî quæso pontus in puppim ferit, si à puppi (quam ipse verticem interpretatur) feriat? planè id absonum, & cum natura pugnans. Iam quod secundò verticem aquilonem exponit, non tam ridiculum, nequaquam tamen verum est. Mirorque Seruium illum accusatiuum *vnam* in constructione verborum non respexisse: pontum scilicet vnam nauim à vertice in puppim ferire. Describit autem Virgilius mirabilem subuersionem nauis, & quæ vix vnquam, nisi in sæuissimis tempestatibus contingere solet. Vndas scilicet sublata in altum prora, nauem in puppim statuisse, adeo vt gubernator, quum pedes illi in altum tollerentur, pronus in caput necessariò excideret. Nec abludit ab ista imagine equus Mezentij.

Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumq; equitem super ipse sequutus
Implicat, eiectoq; incumbit.

Liuius lib. 4. secundi belli Punici. Ferrea manus firmæ catenæ

catenæ illigata, quum iniecta prora esset, graui libramẽto plumbi reuelleret ad solum, suspensa prora nauim in puppim statuebat. Nannius lib. 7. cap. 3.

Brodæus hoc modo enucleat. *Ingens à vertice pontus in puppim ferit*, id est, fluctus percusso gubernatoris capitis vertice in puppim ingruit. Ex Odyss. ε. Ὡς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασε μέγα κῦμα κατ' ἄκρης δεινὸν ἐπεσσύμενον. Eustathius. ἀντὶ δ' ἔπληξε κατὰ τῆς κεφαλῆς. Modicius isto modo. Astrologi cogitant in cælo punctum, quod suprà caput hominis immineat: à quo linea perpendicularis in nostrum verticem, & in cuiusuis rei ducatur, Arabes Zenith vocant, nostri punctum verticale. Quæ ex alto per eam lineam cadunt, dicuntur ad perpendiculum cadere. Virgilius dixit, à vertice ferire, si vnda in altum erecta & sublata, reflexa obliquo lapsu à dextra parte nauim feriat in puppim, resilit in sinistram partẽ, extra nauim, quàm non submergit. Si recto lapsu in puppim feriat, toto pondere, totaque aquarum mole incumbens, extra non resiliens puppim deprimit, & nauim submergit, quod naui Orontis accidisse existimamus.

MAGISTER) Leucaspis, vt est lib. 6.

VOLVITVR IN CAPVT) It præceps per caput, vt Catull. ad coloniam. ὀπὶ κεφαλὴν, Lucian. Hæc verò pars carminis à reliqua parte diuellitur, vt magister è naui deiicitur, & diuellitur, sensu perfecto, & pede finito. Corrad.

ILLAM TER FLVCTVS IBIDEM) Sæpe apud poetas cum Græcos, tum Latinos τεὶς, & ter vsurpatum videas pro multum & sæpe. Horat. Ode 28. libr. 1. *licebit iniecto ter puluere curras.* Ode 17. libr. 2. *Lætum theatris ter crepuit sonum.* Ode 3. lib. 3. *Gaudet inuisam pepulisse fossor Ter pede terram.* Ode 22. *Quæ laborantes vtero puellas Ter vocata audis.* Atque hoc ex eo natum, quod numero ternario in sacris, in rebus diuinis, atque adeo in carminibus, & excantationibus vtebantur, tanquam naturæ diuinæ accommodatissimo, & gratissimo. Etiam oratores non repudiant. Demosthenes περὶ παραπρεσβ. τεὶς, οὐχ' ἅπαξ ἀπολωλέναι δίκαιον. Id est, dignus, qui ter, non semel moriatur.

RAPIDVS VORAT VORTEX) Propriè rapidus, rapit enim secum vortex. Aristoteles vbi de vortice loquitur, dixit, καταπίνει. Verùm hoc verbum *vorat*, grauius est, quàm bibit, quare eo poeta vti maluit. Corrad.

APPAR. RARI NANT. IN GVR. VASTO) Dixit raros, & contrà *in vasto gurgite*, qua voce indicauit maris impetum. Neque enim verum est, quod ait Seruius, hic esse tapinosin: id est, rei ingentis humilem descriptionem, atque idcirco addidisse *vasto*, quia gurges aquam pusillam significat: non ita est: sed gurges quamcunq; aquæ cuiuscunq; celeritatẽ designat, γοργός. Numerus verò spondaicus pingit ipsam natandi difficultatem. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Sed hallucinatur fortasse Scalig. Quæ nam enim est maris celeritas, vt rectè, proprieque gurgitem vocauerit? Flumen videmus dici rapidum, ei tribui cursum, mari non memini. Gurges, inquit, Isidor. lib. 13. propriè locus altus in flumine. Dicamus ergo cum Seruio, hic ταπείνωσιν esse, gurges pro mari. Tali etiam Propertius vsus, lib. 2. eleg. 26. de mari Ionio, appellat enim rorem: quo, quid humilius?

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus.

Paulo post nominat gurgitem.

At tu vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.

Rursus Maro lib. 3. Æneid. *magnaq; surgunt Æquora, dispersi iactamur gurgite vasto.* Georg. 4. *Est in Carpathio Neptuni gurgite vates.* Catull. de nupt. canentem gurgitem, propter spumas scilicet ab Argo naui excitatas. Locus hic est.

Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaq; remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri canenti è gurgite vultus.

Cæterùm duos hosce versus *Apparent, & Arma virũm*, de naui Orontis esse accipiendos quis dubitet?

Videtur porrò hic versus *Apparent rari*, &c. quod monet Chiliastes, subolere prouerbium, de re quapiam difficili, quam nisi pauci, atque illi quidem sapientes extricare non possunt. Vsurparet eundem quispiam, & melius de amplo gymnasio, in quo pauci discipuli: & de exercitu paruo in latissimo campo, &c.

TROIA GAZA) Gaza, inquit Hesychius, πόλις. Φοῖνιξ ὁ πέρσαις βασίλειον, ἢ οἱ ἐκ τῶν πολλῶν φερόμενοι φόρεσι, ἢ τὰ τίμια. M. Tullius, qui ab auro, gazaque regia manus abstinuissent. Et Offic. 2. omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus. Horat. Ode 16. lib. 2.

Non enim gaza, neq; consularis
Summouet lictor miseros tumultus,

Notauit hos locos Lamb. in Horat. **De notione huius verbi gaza sic scriptum reperio apud Pomp. Melam lib 1. cap. 11. Cæterũ in Palæstina est ingens, & munita admodum Gaza (sic Persæ ararium vocãt) & inde nomen est, quod cum Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli & opes, & pecuniam intulerat.*

ILIONEI NAVEM) συνεκφώνησις, siue συνίζησις est, pro Ilionei. Sic Eclog. 6. *Aut vt mutatos Terei narrauerit artus.* & alibi.

VICIT HYEMS) Non quidem demersit, sed ita aquis compleuit, vt vix extarent vectores, laxis videlicet laterum compagibus. Vocabulo hyems non modo quartam anni tempestatem, sed turbines etiam, imbres, grandines, procellas, quamquam frequentius tempestatem, id est, turbulentissimum cœli statũ poetæ crebrò appellant, vt hic, & infra, *Emissamq; hyemem sensit Neptunus.* Et lib. 5.

Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hyemẽq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Item lib. 2. *sæpè illos aspera ponti Interclusit hyems.* Ouid. 11. Metamorph. in descriptione tempestatis. *Aspera crescit hyems.* Flaccus lib. 1. Argonaut. *Scio me cunctis è gentibus vnum Illicitas tentare, vias, hyememq; mereri.* Claudian. de Theodosio aduersus Eugenium tyrannum ducente.

O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

ACCIP. INIMICVM IMB.) Inimicus imber est inimica aqua. Inimica autem, quia classem videbatur demersura. Consuetudo, inquit Nonius, induxit, imbrem solùm dici agmen cælestium aquarum, & pluuiarum, cũ tamen auctoritas variet, significetq; omnem humorem aqueum. Lucret. *Ex igni, terra, atq; anima nascuntur, & imbri.*

Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamq; hyemem sensit Neptunus, & imis
130 Stagna refusa vadis: grauiter commotus, & alto

Prospi-

Prospiciens, summa placidum caput extulit vnda.
Disiectam Æneæ toto videt æquore classem,
Fluctibus oppressos Troas, cæliq; ruina.
Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ:
135 Eurum ad se, Zephyrumq; vocat, dehinc talia fatur.
TANTANE VOS GENERIS TENVIT FIDVCIA VESTRI?
Iam cælum, terramq; meo sine numine, venti,
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
QVOS EGO. SED MOTOS PRÆSTAT COMPONERE FLVCTVS:
140 POST MIHI NON SIMILI POENA COMMISSA LVETIS.
Maturate fugam: regiq; hæc dicite vestro,
NON ILLI IMPERIVM PELAGI, SÆVVMQVE TRIDENTEM,
SED MIHI SORTE DATVM. tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se iactet in aula
145 Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

INTEREA MAGNO) Totum hunc locum de Neptuno regnum suum componente, considerans Iouian. de Obedient. lib. 5. ita scriptum reliquit. In Neptuno supremi magistratus, qui exortam comprimere seditionē velit, persona exprimitur. Isq; vbi turbari, ac misceri videt omnia, statim auctores seditionis *Eurum ad se, Zephyrumq; vocat, dehinc talia fatur: Tantáne vos generis, &c.* Quæ quidem, aliáque vbi dixit, tum dicto citius tumida æquora placat, collectasque fugat nubes, &c. Et quia pulsis turbulentis ciuibus, sua vrbi tranquillitas restituitur, tum

Cimothoe simul, & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naues scopulo, leuat ipse tridenti, &c.

Et verò poetæ non tam nostra ad deos trāsferunt, quam illos nobis exempla proponunt, & vel confirmare res hominum, vel improbare hac ratione volunt. Qui quasi rempub. aliquam instituant, hos bellis præficiunt, maritimis rebus illos, aliisq; muneribus alios: supremum autem Iouem faciunt, cui & senatum decernunt, & assessores dant deos.

MAGNO MISC. MVR. PONT.) Alliteratio, ma, mi, mu. Et solet in tempestate maris murmur existere. Ideo mare Græcis ἠχήεσσα, ἀλάσον, πολύφλοισβος. Corrad. Adde ex Lucret. lib. 1. *sæuitq; minaci murmure pontus.* Suprà. *magno cum murmure montis.*

EMISS. HYEM. SENS. NEPTVN.) Sensit hyemem ab Æolo emissam, id est, ventos, vnde procellæ, & imbres, quales hyberno tempore: sensit, inquam, vt optimus magistratus, & Rex. Reges enim plures oculos, plures aures, & longas manus habere dicuntur, vt vigilent, sentiant, & ita curent, ne quid in regno tumultus excitetur: &, si fortè excitetur, auctores tumultus castigent, atque omnia tranquilla reddant. Quæ quidem nunc omnia facit Neptunus, præter illud, quòd ventos non punit, vt cupiebat, quia pœnam differendam censuit, vt Troianis periculosè laborantibus succurratur. Corrad. Cic. de natur. deor. lib. 2. Vt à portu Portunus, sic Neptunus à nando, prioribus litteris paulum immutatis. Melius Varro lib. 4. Neptunus, quod mare terras obnubit. Ciceronis locus videtur corruptus, scribendumq; à nubendo, vel à nuptu. Res auctor est, & Cicero ipse, qui comparat Neptuni etymon cum Portuni. Stolidus aliquis, qui nubendi verbum non nisi in coniugiis nouerat, malè correxit. Lipsius Saturnal. lib. 1. cap. 2. De veriloquio vocis Neptunus, & græcæ ἐ ποσιδῶν, Gyrald. Syntag. 5.

IMIS STAG. REF. VAD.) Suprà enim dictum, *Incubuere mari, totumq; à sedibus imis Vnà Euruq;, Notusq; ruunt.* Intelligimus hinc, deorum marinorum domicilia esse in imis gurgitibus & vadis, & in imis pumicibus, & speluncis, antrisque maris habitare putabantur, vt & lib. 4. Georg. ad finem, vbi Aristæus Cyrenen matrem suam conuenit. Et Manil. lib. 5. ait. *ipsumq; sub antris Nerea, & æquoreas conantur visere nymphas.* Neptunus igitur sensit commotam esse tempestatem, mari ab imis vadis agitato, & euerso, seu in imis, profundisq; vadis refusa aqua, & agitata. In imis, profundisque vadis refusam, agitatam, & turbatam aquam, & quasi ab imo totum mare euersum sensit Neptunus. Turneb. lib. 12. cap. 12. & lib. 18. cap. 32.

ALTO PROSPIC.) Ambiguum est, *alto prospiciens.* Aut enim è mari erigens caput: aut mari prouidens, id est, consulens. Quemadmodum verò placidum caput, si grauiter commotus? irascitur ventis, propitius est Troianis. Non igitur sunt pugnantia. Seruius.

DISIECTAM CLASSEM TOTO ÆQV.) Suprà, *aut disijce corpora ponto,* quod de nauibus quoque, non hominibus tantum accipiendum docebamus. Classis hæc 20. nauium fuit.

CÆLIQ. RVINA) Quam ἐμφατικῶς *cæli ruina?* Siquidem vi tempestatis, tonitruorum, imbrium, grandinum, ventorumque de cælo præcipitantium, simul cælum in miseros Troianos ruere, illosque opprimere videbatur. De largis imbribus Martialis lib. 3. *Imbribus immodicis cælum nam forte ruebat.* Timere autem ne cęlum ruat, est frustra timere. Germanorum, Gallorumue legati, cùm responderent Alexandro interroganti, quid maximè metuerent: metuere se, ne cælum rueret, se omni prorsus metu eius potentiæ expeditos esse indicare voluerunt.

TANTANE VOS GENERIS) *Studiosè verba Virgilij imitatus est magnus poeta Claudianus. Itaq; hoc carmen ita suum fecit de bello Gildonico,* Tantáne deuinctos tenuit fiducia Mauros? *Rursum de bello Getico.* Tantáne vos, inquit, Getici fiducia belli Erigit?] Neptuni oratio in ventos partim increpatoria, partim comminatoria, partim etiam expostulatoria est. Ab increpatione inchoat, nulla seruata exordij ratione, atque lege: non enim decet iratos sermonem suum ratione exordiri, sed ex abrupto, & cum impetu quodā animi, ac vocis verba proferre. Primùm igitur ventos grauiter increpat, deturpatque à genere, quia ab Astræo

gigante

gigante, & Aurora originem ducunt: deinde illis supplicium minatur. Hæc vero increpatio à caussa ducta est, impellente ad iniuriam: quæ est confidentia generis, vnde arguit ventos natura prauos, qui pessimo genere orti sint, cuius confidentia aliena etiam inuadere non dubitant.

TENVIT FIDVCIA) Fiduciam posuit pro confidentia. Illa enim in bonis, hæc in malis dicitur, vt notum est latinè scientibus.

CÆLVM, TERRAMQVE MISCERE) Cælum terræ miscere, adagium satis protritum, significat omnia conari, & quò iure quà iniuria velle optata consequi, aut perficere. Terras quidem principiò perflabant turbine isti venti: nunc autem cum pelagus propemodum euertant, tantamque vim procellarum cælestium exsuscitent, aptius mare cælo, quam terram miscere dicerentur, quod etiam in prouerbiis, eodem sensu, quo prius illud adhibetur. Veruntamen non potuisset hoc posterius isto loco pari Venere vsurpari, nec tantam ἐνάργειαν habuisset. Hoc meum qualecunque νόημα sub calamo currente natum, cum lectore communicare visum est.

Quærit Seruius, quamobrem de cælo, & terra queratur Neptunus, & non de aqua sola, quod eius regnum est. Respondet. Quoniam hæc numina, licet habeant imperia diuisa, tamen totius regni videntur habere potestatem. Lege quæ sequuntur. Potest etiam videri, vt sentit Corrad. Neptunus omnia elementa esse complexus: vt per cælum æthera, & aërem comprehendat, deinde per terram significet aquam, in qua moles, quas ait, tollantur.

MEO SINE NVM. VENTI) Me non annuente, me inconsulto, sine meo concessu. In voce autem venti, inest contemptio aperta cum indignatione, quasi dicat, cum sitis res inanissima, & leuissima.

QVOS EGO. SED MOTOS) Ponitur à M. Tullio figura quædam, neque nominatur. Cum, inquit, plus intelligitur, quam dicitur. Quintilianus emphasin interpretatur. Cæterùm emphasis non vniusmodi est. Interdum namque talis est, vt, *Quos ego.* Emphasis est hîc in pronomine, cuius significatio angusta in ostensione est: sic enim latinè græca illa vox dabitur nobis. Ex his porrò angustiis effusum erit significatum ad illa. Ego Neptunus maris deus, cuius potentia tanta est, vt etiam ventos castigare possim: præsertim ex Thaletis sententia, qui aquam omnium rerum, nedum ventorum elementum profitebatur. Et sanè ventus si vapor, aut à vapore est: & vapor siue exhalatio inter aerem, & aquam affinis vtriq; natura quadam, non temere aquarum numen explicat vim suam sub offensione suæ personæ per pronomen, ego. Nonnunquam vero fit multis verbis appositis ad efficaciam. Quid enim aliud est, Hectorei socij, nisi, vt quemadmodum hortatur, insurgant remis, id est, fortissimi? Nec minoris est in tertia persona, tanquam de alio, apposito nomine, non pronomine. Vt in 5. *quæ munera Niso Digna dabis, primam merui qui laude coronam?* Scalig. Poet. lib. 3. cap. 79.

Sed alij versum hunc incuriosius perpendentes, aiunt esse figuram ἀποσιώπησιν, quam Cicero Reticentiam, & Præcisionem vocet. Huius aliud genus esse ἀπαδὲς, cum aut interuentu alterius sermo abrumpitur: aut cum vno tacente, sermonem adimplet alter, vt fieri solet apud Comicos. Aliud παδητικὸν & oratorium, id fieri modis vsitatis quatuor. Vel cum vehementem animi motum vox non sequitur, vt apud Terentium Chremes interrogatus, quare filiam Cliniæ spondere nollet, inquit. *Quamobrem, me rogas? homini.* Plaut. Amphit. *Quem pol ego iam scipione.* Vel cum sermo præciditur, cum transitione ad rem aliam. Aliter si facias. Sed reprimam me. In quo genere est locus Virgilij, quem tractamus. Et ille Terent. *quem quidem ego si sensero. Sed quid opus est verbis?* Vel cum non fit transitus, sed in proposito manetur. *Tam ob paruulam rem pene ex patria? turpe dictu.* Vel cum abrumpitur oratio, sed tamen cum communicatione consilij, aut sui excusatione. *Quid facias? vt homo est, ita morem geras.* Vide Donat. in illud And. Actu. 4. *Si pol nõ Glycerio omnia hæc.* Idẽ illud Pamphili, cum Dauo irasceretur seruo, à quo delusus fuerat,

------hei mihi,
Cur non habeo spatium, vt de te sumam supplicium, vt volo?
Namq; hoc tempus præcauere mihi me, non te vlciscisinit,

tale esse pronuntiat, quale nostrum hoc, *præstat motos componere fluctus.*

NON SIMILI POENA) Nunc enim verbis duntaxat vos vlciscor, tantum increpo, quæ tam grauiter offendentibus, & tam audacibus nebulonibus vobis nimis parua est pœna. Sed me salus Troianorum non sinit in hoc scelere vestro persequendo vltrà immorari. Si quid huiuscemodi in posterũ, sentietis quẽ læseritis.

MATVRATE FVGAM) Gell. lib. 10. cap. 11. ex Nigidio docet, maturè id esse, quod neq; citius est, neque serius, sed medium quiddam, & temperatum. Quoniam autem id, quod non segniter fiebat, maturè fieri dicebatur, progressa plurimum est verbi significatio: & non iam quod segnius, sed quod festinantius fit, id fieri maturè dicitur. Nigidianum porrò rei atque verbi temperamentum D. Augustus duobus verbis græcis elegantissimè exprimebat. Nam & dicere in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse aiunt σπεῦδε βραδέως. per quod monebat, vt ad rem agendam adhiberetur simul & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas: ex quibus duobus fit maturitas. Hinc puto intelligi, quid voluerit Neptunus, cum dixit. *Maturate fugam:* nec serius, nec citius, ne impetus discedentiũ non minus Troianis, quam ipsa perseuerantium sæuitia noceat. Eadem Macrob. lib. 6. Saturnal. cap. 8. Atqui Turneb. lib. 12. cap. 12. non agnoscit illam subtilitatem, quã afferunt veteres Grãmatici, & maturare fugã, existimat esse festinare, discedere, atq; properare, vt dicere solebant: maturat ab vrbe proficisci: & Cic. dixit, maturare mortẽ eodẽ modo.

SÆVVMQVE TRIDENTEM) Sæuum interpretare potentem, μετωνυμικῶς. Tridens τρίαινα Græcis, Neptuni telum est, quo non solum mare, sed etiam terram moueat. Itaq; mari turbato, Æolus tempestatis illius concitator videtur vsurpasse tridentem. Turneb. lib. 18. cap. 32. A tridente quod eius quasi sceptrum est, Græci vocant τριαινοῦχον. Sed & εὐτριαίνης interdum dictus est, hoc est, tridente, & fuscina bonus. Vide Gyrald. Syntag. 5. in Neptuno. Ouid. 11. Metamorph. *Cumq; tridentigero tumidi genitore profundi.* Quod cuiq; deo telũ, & armorum genus, quidam poeta vetus his versibus docuit, cuius me monuit tridens Neptuni.

Fulmen habet mundi dominiu, tenet illud apertè
Nec datur æquoreo fuscina tecta deo.
Nec Mauors illum, per quem valet, occulit ensem:
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clamne solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosa robora claua?
Sub tunica virgam num deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso,
Quis te celatu cum face vidit Amor?

SED MIHI SORTE DATVM) Quod sibi tridentem, & imperium pelagi sorte datum affirmat, inde poetis rector pelagi, aquarum, salis dominus. Plauto in Trinum. Salsipotens Iouis frater, vt Ouid. 1. Metamorph. Cæruleus frater. Fabulantur poetę, Iouem, Neptunum, Plutonem Saturni filios mundum quondam inter se, velut hæreditatem partitos: ita quidem, vt Ioui cælum, seu supera, Neptuno maria, (idcirco regna secunda Senecæ in Medea, quia secunda sorte ei obtigerunt, cùm prima esset Iouis. Apud Lucan. lib. 4. sors secunda) Plutoni infera obuenerint. De hoc fertur distichon vetus, & elegans.

Iupiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto
Regna paterna tenent, tres tria, quisq; suum.

De hac ipsa sortitione apud Homer. Neptunus Iliad. 15. τρεῖς γὰρ τ' ἐκ κόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, &c. Tangit eãdem Tibull. lib. 3. eleg. 5.

Parcite, pallentes vmbras quicunq; tenetis,
Duraq; sortiti tertia regna dei.

Disseremus de eadem libr. 10. ibi. *Nunc etiam manes (hæc intentata manebat Sors rerum) mouet.* Terra, dices, cui cessit? in commune relictam sunt qui tradãt. Iunoni quidem arces, & regna terrarum cessisse dicunt, de qua nihil apud quempiam maiorum gentium scriptorẽ adhuc legimus. Lactant. lib. 1. cap. 11. vnde hæc fabula nata, & quænam eius cõminiscendæ occasio fuerit demonstrat: quomodo scilicet rei veritas obliqua figuratione, vt ipse loquitur, obscurata, inuoluta, ac tecta sit. Eius originem narrat etiam Diodor. lib. 5. cap. 5. Plutarch. in vita Homeri sortitionem hanc φυσικῶς explanat. ✠

TEN. ILLE IMM. SAXA Suprà. *molemq; & montes insuper altos Imposuit.*

ILL. SE IACT. IN AVL.) Aeoli habitationem non absurdè vocasse aulam notat Rhodigin. lib. 12. cap. 5. Vocatur enim aula locus, qui perflatum habet, & hoc nomine apud Homerum semper hypæthra, id est, subdialia intelliguntur. Vnde διαυλωνίζειν dicimus, quùm vtrinque perflatur regio aliqua. * *Sed videtur per ludibrium ita vocasse, cùm statim vocet carcerem: quomodo etiam suprà, cùm de eius in ventos potestate loqueretur, dixit,* vinclis, & carcere frænat. *Cum hoc dicto Neptuni comparat illud Thrasonis in Eunucho Donat.* Eóne es ferox, quia imperium habes in belluas?

CLAVSO CARCERE REGNET) Summus contemptus. Quale regnum? primùm in ventos, deinde in captiuos, quos si velit, emittere non possit. Suprà quippe lectum est, *regemq; dedit, qui fœdere certo Et premere, & laxas sciret dare iussus habenas.* Melius certè custos carceris, quàm rex diceretur. ✠

Sic ait, & DICTO CITIVS tumida æquora placat,
Collectasq; fugat nubes, solemq; reducit.
Cymothoe simul, & Triton adnixus acuto
Detrudunt naues scopulo: leuat ipse tridenti,
Et vastas aperit syrtes, & temperat æquor,
Atq; rotis summas leuibus perlabitur vndas.
Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, SÆVITQVE ANIMIS IGNOBILE VVLGVS,
Iamq; faces, & saxa volant, FVROR ARMA MINISTRAT:
Tum pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, ARRECTISQVE AVRIBVS ASTANT:
ILLE REGIT DICTIS ANIMOS, ET PECTORA MVLCET:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cæloq; inuectus aperto
Flectit equos, curruq; volans dat lora secundo.

ET DICTO CIT. TVM. ÆQ. PLA.) Peripetia est, quæ admirationem habet: mirum est enim vel ipsis Troianis, ex tanta procella tam repente liberari, & æquor tam turgidum, ac tantopere concitatum tam subitò placari, atque quiescere. Qua ex re illud colligitur, quod rhetores præcipiunt, habendam esse vbique temporis, ac personarum rationem. Nam quia periclitantibus Troianis citò subueniendum fuerat, hic Neptunum facit celeriter maria placantem: in quinto verò, vbi nullum mortis periculum Troianis impendet, hoc otiosius agit, & latius oratione vagatur. Igitur ad designandam facti celeritatem dixit poeta, *dicto citius.* Nam vbi quis citra moram id re præstat, quod verbis est pollicitus, Latini non absque prouerbiali specie, dicto citius dicunt, id est, illico, postquam dixeris: sumptumque apparet ex Homero Iliad. Λ. αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθον ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον. Nascimb.

Dicunt etiam Latini, quod idem valet, ex Terentio, dictum ac factum. Græci ἅμ' ἕπος, ἅμ' ἔργον. Et αὐτοβοεί. Vide Chiliad. Quemadmodum mare tranquillet Neptunus apud Flaccum Argonaut. libr. 1. ad normam Virgilij, tu ipse cum volueris leges, initium ponam. *cum subitò trifida Neptunus in hasta Cæruleum fundo caput extulit.* Non ineptè mare diciturplacari, siquidem & irasci, & quod eodem pertinet, tumescere: nam qui irascuntur tumescunt, vnde & tumere pro, in ira esse, seu irasci reperies alicubi apud scriptores classicos. Horat. Ode 2. Epod. *Nec horret iratum mare.* Idem Ode. 9. libr. 3. *Iracundior Adria.* Ode. 3. lib. 1. *Qui vidit mare turgidum.* Æneid. libr. 3. *Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.* Georg. 1. *aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere.* Et lib. 2. *qua vi maria alta tumescant.* Quin & fluctus placari dicunt Latinitatis cõditores. Cic. ad Att. ep. 3. lib. 6. Qui autem locus erit nobis tutus, vt iam placatis vtamur fluctibus? ✠

Tumida æquora placat, hiatus est in quinto pede. Quoties autem fit in quarto, quinto, etiam in 6. pede, & versus ipse mirificè assurgit, quadam etiam cum magnitudine, & rara quædam inde comparatur numeris ipsis dignitas. Talia sunt.

Fundamenta locant alij, immanesq; columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Et vero

Et vera incessu patuit dea. Ille vbi matrem
Agnouit, tali fugientem est voce sequutus.
Omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos.
Sæuus vbi Æacidæ telo iacet Hector, vbi ingens.

Iouian. Actio. * *Huic de tumido æquore placato, & de collectis, fugatisq; nubibus germani sunt duo illi versus de lib. 5.*

Subsidunt vndæ, tumidumque sub axe tonante
Sternitur æquor aquis, fugiunt vasto æthere nimbi.

COLLECTASQVE FVGAT NVBES) Aut colligit, & deinde fugat: aut ante à ventis collectas fugat, & dissipat. Seruius.

CYMOTHOE SIMVL, ET TRITON) Duo simul ante descripserat, maris procellam, cælique tempestatem: ideo nunc placidum factum ait esse æquor, & serenatum cælum. Tertium relinquebatur, vt naues, quæ in scopulum, & syttes vi tempestatis impulsæ fuerant, leuarentur. Quocirca Neptunus Cymothoen, & Tritonem ad eas è saxis detrudendas mittit, ipse etiam in partem laboris venit. Nascimb.

Vna ex nymphis Cymothoe, filia Doridis, & Nerei. Hanc potissimùm posuit, quòd opus erat ministra veloci, quæ per vndas curreret, vt Cymothoe verti potest. Triton Neptuni buccinator, vt testatur Ouid. 1. Metamorph. Huius superior pars corporis, ad vmbilicum vsque fuit hominis: at inferior vsque ad caudam, delphini. duos pedes priores equinos habuisse dicitur, caudamque duplicem, in lunæ formam. Vide plura apud Natalem Com. lib. 8. cap. 3. & Gyrald. Syntag. 5.

APERIT SYRTES) Mitigat, placat, vt exponit Nonius: vel simpliciter, aperit, vt ex his naues exire possint.

ROTIS SVMMAS PERLABITVR VNDAS) Veteres interdum non addebant præpositionem, si ea iam esset in verbo composito, vt, adigere arbitrum potius, quàm adigere ad arbitrum, & adigere iusiurandum. Propugnat nugis apud Horatium. Lucret. lib. 1. *An pecudes alias diuinitus insinuet se.* Et lib. 2. *Hoc etiam magis hæc animum te aduertere par est.* Nascimbæn. & alij.

AC VELVTI MAGNO IN POP. CVM SÆPE) Atrocissimam tempestatem in tranquillum collatam narrans, idonea, & festiua comparatione rem illustrat. Mari enim amplissimam ciuitatem: vastis fluctibus magnum, seu frequentem populum coeuntem, & plateas concursationibus implentem: nubibus cæcis (vnde ponto nox atra incubat) seditiosas illas cogitationes, & turbulentos animorum motus: ignibus, imbribus, tonitribus, ventis, faces, & saxa, & telorum omne genus, quæ ad ædes magistratuum petendas, oppugnandasq; furore & amentia præceps animus suggerit, bellissimè componit. Ipsum autem Neptunum rectorem pelagi, qui dicto citius tumultum omnem regni sui compressit, atq; compescuit, nubium globos dissipauit, solis vultum nitidissimum reduxit, oratori, seu graui viro, prudenti ac diserto fuisse similem asserit. Quo conspecto (quoniam eximia est illius propter morum integritatē & dicendi facultatem auctoritas) cateruas condensantis, & immanè frementis populi audacia, & importunitas fracta desinit: nec ad exitum scelera meditata perducuntur. Nonnulli Maronem his carminibus M. Tull. præcipuè, propter compositam inter equites ac plebem discordiam, seditionemq; Roscij caussa in theatro excitatā laudare voluisse coniectāt. Et cùm possit pariter ad Menenium Agrippam, M. Valerium, M. Popilium, & quosdam alios Romanos accommodari, nihilominus illis Ciceronē insinuari placet. Potuisse hoc factum Ciceronis etiā videre Virgilium. Insuper tam multa ab eo mutuatū vt ἀχαριστίας crimen incurrere potuerit, si non alicubi de tanto viro prædicasset quocunq; modo, omisso eius nomine, propter Augustum scilicet. Pulchrum sanè, si minus verum, hoc δίγνωμα. Tui iudicij esto.

Obiter id quoq; annotemus, in hoc versu parēthesin esse, idq; in verbo *sæpe*. Ita enim sententia est ordinanda. Ac veluti magno in populo quū coorta est seditio sæpe: nimirum vt sæpe fit: quod clarius patebit, si versum ad istum modum legas. *Ac veluti magno in populo quum (vt sæpe) coorta est Seditio.* Nannius lib. 7. cap. 4.

SEDITIO) Seditionis proprietas è M. Tull. manifesta est lib. de repub. 6. Eoq; in dissensione ciuium, quod seorsim eunt alij ad alios, seditio dicitur. Nonius. & Isid.

SÆVIT Q. ANIM. IGNOB. VVLG.) Cætera vitia singulos corripiunt: hic vnus affectus est, qui interdum publicè concipitur. Nunquā vniuersus populus vnius fœminæ amore flagrauit. Nec in pecuniā, aut lucrum tota ciuitas spem suam misit. Ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum. Sæpe in iram vno agmine itum est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusq; consensere: & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Seneca de Ira lib. 3. cap. 2. * *In Monostichis.*

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστὶν, οὐκ ἔχει νοῦν.
Robusta res est populus, at mentis caret.

IAMQ. FACES VOL.) In generibus telorum numerantur faces, id est, vrentes quædā hastulæ, è picea, tæda, larice, & si quod tale genus. Stat. lib. 5. *vstæq; sudes, fractiq; molares, Spiculaq;, & multa crinitum missile flamma.* Lucan. in Pharsal. *inde sagittæ, Inde faces, & saxa volant.* Silius in pugna Cannensi. *Hi sude pugnant, Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili.* Xenophon de suis Græcis. τοξεύματα, σφενδόναι, λίθοι, ἦσαν δὲ οἱ καὶ πῦρ προσέφερον. Sagittæ, fundæ, lapides. Erant autem qui & ignem præferrent. Heliod. Æthiop. 1. de Ægyptiis. ἕτερος ξύλῳ κατεαγὼς, ὁ δὲ δάλῳ κατέφλεκτο. Alius ligno percussus, iste face adustus erat. Hæc Lipsius Poliorceticōn lib. 4. dial. 4.

ET SAXA) De lapidatione accipiendum. Nonnunquam in principes viros pop. Rom. conspiratione inita, & seditione excitata impetum faciēs, lapidibus eos persequebatur. Cicero non vno loco de ista lapidatione loquitur. Porro de varia notione verborum istorum, lapidare, lapidatio, item quid elapidare, dilapidare, lapidescere, Crinit. lib. 25. cap. 6.

FVR. ARMA MINIST.) Hoc ipsum è Græco sermone fluxit: hæc enim verba à vetere scriptore prolata leguntur apud interpretem Homeri Eustathium pluribus locis. τὸ ἀδρανὲς ὄργανον ὅπλον ἐστὶν ἀχορηγήτου θυμοῦ. Verum etiam idem in tragœdia verbis aliis dictum fuerat, vt Basilius pius auctor testatur, qui tamē simpliciter hoc prolatum non probat: at correctione putat indigere. Id autē nisi primus pes deesset, integro senario editum foret. Absolutā verò sententia ita illic pronuntiatum fuerat. ἐπ' ἐχθρῶν θυμὸς ὁπλίζει χέρα. Victor. lib. 8. cap. 15.

Cur quæuis arma furentibus idonea videantur, seu quamobrem furore, & iracundia inflammati, quod primum possunt, pro telo arripiant ad se vlciscendos, caussam Virgil. ipse lib. 2. Æneid. prudēter ponit, quia *furor, iraq;* (subita intellige) *mentem Præcipitant.* Quoniam igitur tum mente sunt emota, quid mirum, eos armis non armis pugnare acerrimè ac sæuissimè? Ait tamen Caius Iurecons. tit. de verb. signific. armorum appellatione non vtiq; tantum scuta, & gladios, & galeas significari, sed & fustes, & lapides. Philosophus quidam nomine Eurylochus, seruo factus iratior, eum rapto veru cum affixis carnibus per publicū est insecutus. quid hoc dici potest

φιλοσοφικώτερον? Noui patrem familiàs, qui ipso in accubitu, ob rem minimam in vxorem efferuescens, à mensa se proripientem pane apposito peteret. Pueri quidem iracundia stimulante, tanquam bestiæ, dentibus, & vnguibus sæuiunt in eos, à quibus læsi sunt. In conuiuio nuptiali apud Ouid. 5. Metamorph. Perseus Eurithum non admoto petit ense, sed altis

Extantem signis, multaq; in pondere massæ
Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infligitq; viro.

Similia armorum genera in furentibus inueniet, qui excutere aliquantum memoriam suam, & eam deposita reposcere non grauabitur.

TVM PIETATE GRAVEM ET MERIT. &c.) Versus isti mihi quid Ennianum, aut Lucillianum sapere videntur, præsertim illud carmen, *Tum pietate grauem, & meritis si fortè virũ quem*, & numero, & sono inconditum est. Monosyllaba enim voce, sine vlla legitima caussa hexametrum claudere, idq; per apostrophen, omnino intolerabile videtur. Deinde in ὁμοιοτελεύτοις illis, *grauem*, &, *virum quem*, inamœna παρήχησις est, nec concinnior, quàm illa Ouidiana, *Quot cælum stellas, tot habet tua Roma puellas.* Ennianos autem versus suo operi Maronem inspersisse, etiam Macrobius auctor est, qui multa eius generis collegit. Et Seneca, qui id Virgilium ait tribuisse auribus sæculi sui, quo Ennius erat apud plerosq; in miris deliciis, ac proinde Virgilium non suo iudicio, sed alienis emblematis horridiorẽ, & incultiorem videri. Cuiuscunque autem iste versus est, Græcorum phrasin imitatus est: illi enim τίνα, cùm non interrogatiuum, sed infinitum est, appellatiuis subiiciunt.

Quàm cognata sunt his illa Iuuenal. satyr. 10. de principe Oratorum Græciæ Demosthene?

——sæuus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.

Omnium eruditorum opinione, Virgilius oratorem exprimit, quem Cato postulat esse virum bonum, dicendi peritum. Citat Quintilianus libr. 12. cap. 2. in quo docere nititur, eum qui sit orator, non solùm bonum esse virum oportere: sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Præter alia argumenta hunc quoque Maronis locum adhibet. Atq; ego haud scio, an vlla horum poetæ verborum luculẽtior, & illustrior declaratio possit inueniri ea, quam 1. de Orat. legimus. Vbi L. Crassus de laudibus eloquentiæ, & eloquentis sic inter cætera. *Quid enim aut tam iucundum cognitu, atque auditu, quam sapientibus sententiis, grauibusq; verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quàm hominum animos vnius oratione conuerti? Quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? Oratoris est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia: eiusdem & languentis populi incitatio, & effrænati moderatio.* Ibid. post pauca interiecta. *Sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione, & sapientia, non solum ipsius dgnitatem, sed & priuatorum plurimorum, & vniuersæ reipub. salutem maximè contineri.* Bene autem lib. 3. idem Crassus admonet, quò maior sit eloquentiæ vis, hoc magis probitati iungendam, summęq; prudentiæ, quarum virtutem expertibus si dicendi copiam tradiderimus, nõ eos quidem oratores effecerimns, sed furentibus quędam arma dederimus. Ipsemet Cic. in Bruto de M. Popilio, qui cũ Cos. esset, eodemq; tẽpore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatioue, & seditione nuntiata, vt erat læ-

A na amictus, ita venit in concionem, seditionemq; cùm auctoritate, tum oratione sedauit. In cuius loci explicatione vir ingenio, & doctrina præstans Sebast. Corrad. Maronis hosce versus adducens, ostendit illa, *Tum pietate grauem, & meritis*, &c. ad auctoritatem pertinere, quæ facit audientiam. Illa, *ille regit dictis animos*, &c. ad orationem, quæ assequitur quod volumus. Et auctoritas potissimùm ex bonitate morum, non ex vsu dicendi cõparatur. Huc etiam quadrant illa ex eodem Ciceronis commẽtario de clar. orator. Quod si fuit in repub. tempus vllum, cùm extorquere arma posset è manibus iratorum ciuium boni ciuis auctoritas, & oratio. Et Persius satyr. 4. cùm agit de officio Rectoris, siue Principis, elo-
B quẽtiam quoq; in eo ad tumultum populi comprimendum requirit.

Ergo vbi commota feruet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus: quid deinde loquere? Quirites,
Hoc puto non iustum est: illud malè, rectius istud.

Bene igitur Plutarchus libr. de ciuili institut. Menandrum reprehendit, qui mores dicentis, non orationem persuadere dixit. Non est quidem rhetorica suadendi opifex, sed adiutrix. Vtrumq; est, quod rem efficit, mores & oratio, Nisi quispiam dicat, nauem à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoque: & equitem esse, qui equum in gyros versat, non etiam frenum. Reges illi
C magni, & Ioue sati (vt inquit Homerus) tametsi sceptris, & purpura nobiles, satellitibus constipati, deorum demum oraculis inflati, & tumidi, vulgus territare soliti, ac sibi subiicere, volebant tamen verborum oratores effici, gratiamque dicendi nequaquam aspernabantur, conciones, in quibus clari solent effici viri, non negligebant, &c.

Duplicem intelligas oratorem, inquit Scalig. Poet. lib. 3. cap. 16. alterum virum bonum, prudentem, sapientem: cuius consilio, atque oratione vniuersus reipub. status temperatur. Talem intellexit hìc diuinus vates. Tales celebrauit Ennius Lælium, Cethegum, & Ælium Sextum tribus diuersis locis. De Lælio, *mitis sapientia Læli.* De Ælio mira illa, *Egregiè cordatus homo catus*
D *Ælius Sextus.* De Cethego. *Additur orator Cornelius suauiloquenti Ore Cethegus.* Duos sibi finxit maximus poeta, Ilioneum, & Venulum: quorum sapientiam atq; facundiam ex vtriusque orationibus intelligere poteris. Alterum genus oratoris nomine tantum, non re. Neque enim dignus est, qui cum illo quidquam commune habeat: sed fori tintinnabula potius, aliarum fortunarum atque capitis mercatores, ac potius mangones. Quæ monstra generis humani alit apud nos natura, vt inter superos ostentet diram specie tartari inferni. Vulturij, Harpyiæque, crumenimulgæ, qui nec sanguine quidem miserorum exsaturari queant.

VIRVM QVEM CONSPEXERE) Aut prætereuntem
E forte, aut accurrentem etiam ad seditionum fluctus comprimendos.

ARRECT. AVRIBVS ASTANT) Ducta metaphora ab animantibus, quarũ plerisq; mos est, si quando quid eminus audierint, aures surrigere. Nam vni animãtium homini natura dedit auriculas immobiles. Plinius tradit hoc esse peculiare ceruis, vt cũ aures surrexerint, nihil sit illis auritius: rursus, vbi demiserint, nihil surdius. Aristot. itẽ lib. de nat. animal. 9. tradit ceruos haudquaquam latere insidias, quoties arrectis sunt auribus: propterea q; tum auditus sunt acerrimi: contrà, cùm demiserint aures, facile capi. Dicitur prouerbiali schemate de his, qui sitiẽter, atq; auidè auscultãt, aut certè auscultare debent ijs q̃ dicũtur, aut exspectare cupidè quid dicendũ sit

sit, illud Teren. And. *Arrige aures Pãphile.* Propert. lib. 3. A *ab origine prima Incipe, suspẽsis auribus ista bibã.* Chiliast. * *Sunt non aliena hoc loco verba M. Tullij lib. 1. de Offic. Magna est enim admiratio copiosè, sapienterq; dicentis. Quem qui audiunt, intelligere etiam, & sapere plusquam cæteros arbitrantur. Ne Plutarchi quidem lib. de Ciuili Institutione, Lupum quidem aiunt auribus teneri non posse, populum autem duci inde maximè oportere. Verùm, vt aures arrigere attentionem significat, ita similiter καὶ παροιμίαν demittere auriculas & surpari potest, translatum æquè à tumentis, quæ id faciunt, cum oneribus grauantur, & corporibus fessa sunt. Valebit igitur in homine, torpere, quippiam molestè pati, animum habere languidum, & iniquum. Horat. Sat. 9. lib. 1.* Demitto auriculas, vt iniquæ mentis asellus, Cum grauius dorso subiit onus.

SIC CVNCTVS PELAGI CECIDIT FRAGOR) Fabium oratione sedantem tumultum militum, arma poscentium, Neptuno tranquillantem aspectu suo fluctus maris comparat Silius lib. 7. B

His dictis fractus furor, & rabida arma quierunt.
Vt cum turbatis placidum caput extulit vndis
Neptunus, totumq; videt, totoq; videtur
Regnator ponto, sæuifera murmura venti
Dimittunt, nullasq; mouent in frondibus alas
Tum sensim infusa tranquilla per æquora pace
Languentes tacito lucent in littore fluctus.

Poeta maluit *cunctus*, quam *omnis:* tum quia plenior sonus: tum quod omnis populus potest mihi ire obuiam, etiamsi sigillatim exeant: cunctus autem & omnem significat, & simul. Tametsi puto iniuriam factam alteri: est enim omnis ἀπὸ τοῦ ὁμῶς ortum, sicut & homo, quippe qui sit animal sociale. ἀθρόον cunctum Græci dicunt. Scalig. Poet. lib. cap. 16.

PROSPICIENS GENITOR) Cur genitor Neptunus? quoniam antiqui deos omnes vocarunt patres. Sic Iupiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sic Apollo pater, Liber pater, Neptunus pater, Mars pater cæteriq; ad eundem modum. Lucilius in deorum concilio.

Vt nemo sit nostrum, quin pater optimus diuûm:
Vt Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Janus, Quirinus, pater nomen dicantur ad unum.

Sed Oceanum præcipuè, quod aquæ rerum omnium tribuerent principatum. * *Et eò forsitan etiam hic respexit poeta, ad Thaletis, inquam, dogma, quod est, aquam rerum omnium esse principium. Idipsum est apud Homerum quoq;.*

FLECTIT EQVOS) Equos Neptuni intelligo hippocampos, inquit Turneb. lib. 26. cap. 23. qui priores pedes habeant, posterioribus careant, sed pontum legant, & natent: quod testimonio optimi poetæ Papinij comprobauimus. lib. 1. Achilleid.

--------- & triplici telo iubet ire iugales.
Illi spumiferos glomerant à pectore fluctus,
Pone natant, delentq; pedum vestigia cauda.

Qui Neptuno appinguntur equi scribit li. 3. Pierius, pernicis eiusdem cursus indices habentur, qui maritima fit nauigatione. Naues enim equorum, curruumque vsum affatim suggerunt. Iam & prouerbium vsurpatum à Cicerone, Tum equis, tum velis, ad Q. F. B

CVRRVQVE VOL. D. LORA SECVN.) significat hoc, laxat equis suis habenas Neptunus, celeriter currentibus, eos sequente curru. Premere habenas, & adducere, est equos à liberiore retinere, coercereque impetu, & cursu: dare habenas, & immittere, est equis liberum campum, cursumq; permittere. Pierius lib. 12. cap. 12.

Fingitur à Platone in Critia, equos Neptuni fuisse alatos, eorumque habenas ipsum, cum curru inuehitur, manu tenere. Huc sine controuersia Maro allusit & supra, cum leuibus rotis summas ipsum vndas perlabi dixit, & hic multò apertius. Lib. 5. vbi Veneris precibus annuens, nauigaturo Æneæ mare sedatum, ac tutum reddere inducitur, pari ratione currum iungere, & per vndas inuehi, agitatas, inquam, ac tumentes dicitur, phantasia poetica scilicet, vt Seruius consueuit appellare. C

Jungit equos curru genitor, spumantiaq; addit
Frena feris, manibusq; omnes effundit habenas,
Cæruleo per summa leuis volat æquora curru.

Defessi Æneadæ, quæ proxima littora, cursu
Contendunt petere, & Lybiæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
165 Frangitur, inq; sinus scindit sese vnda reductos,
Hinc atq; hinc vastæ rupes, geminiq; minantur
In cælum scopuli: quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent. tum syluis scena coruscis
Desuper, horrentiq; atrum nemus imminet vmbra.
170 Fronte sub aduersa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, viuoq; sedilia saxo:
Nympharum domus: hîc fessas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis nauibus omni
175 Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi OPTATA POTIVNTVR TROES ARENA,
Et sale tabentes artus in littore ponunt.

DEFESSI ÆNEADÆ) Fessi rerum, infrà. Tempestate videlicet tam graui, tantisq; iactationibus. D

LITTORA QVÆ PROXIMA) Quæcunq; tandem illa essent. Quid enim naufragis, aut pæne naufragis potuit optabilius littore contingere? idq; quàm primùm: quare etiam cursu contendunt petere, id est, omni qua poterant celeritate.

ET LIBYÆ VERTVNT. AD ORAS) Quid caussæ est, quamobrem Virgilius Æneam è portu Siculo soluentem, Italiamque proximam petentem, tempestate coorta

coorta potius in Lybiam, quam aliã in terram reiecerit? A Vt nobilissimæ vrbis illius, Carthaginis, inquam, primordium, originemq; exponendi ansam haberet, odiorumque illorum, quibus in Romanos ardebant Carthaginenses, caussas partim certas, partim incertas adduceret, & fatales. Quæ res hoc primo libro, & quarto habentur. Non suorum tantummodo Romanorum, sed Carthaginensium quoq;, Romani imperij æmulorum originem, atque principium celebrare voluit. Priorem caussam nõ obscurè ipsemet in operis vestibulo indicat.

Progeniem sed enim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Lybiæ.

B Nam cum Carthaginenses, qui Phœnicum, Tyriorumque coloni fuerunt, maximo populi Romani odio flagrarent, & Asdrubale, atque Annibale ducibus tam diu bellum cum ipso gessissent, donec à Scipione minore, seu Æmiliano vincerentur omnino, ipsorumque vrbs deleretur, placuit poetæ hoc libro primas huius odij caussas, & quasi radicem ostendere. Vtpote quibus infatis esset, ab illis olim euerti: quod ipsum quia metueret Iuno, idcirco AEneam ab Italia in Africam auerteret, vt ibi coniugio Didonis implicatus hæreret: nec in Italia Romanos propagaret, euersores Carthaginis suæ. Ille autem prodita Didone, cui tantum debebat, cuius etiam corporis vsuram sibi ceperat, in Italiam fugit, & ita optimæ fæminæ, ac bene meritæ moriendi ansam præbuit. Hæc liberius ex Frischlin. Prolegom cap. 7.

EST IN SECESSV LONGO) Sinu quodam, & tractu longe remoto à mari, ita vt è mari prospectus esse videatur in locum longè semotum.

INSVLA PORTVM EFFICIT) Quem insula portum efficit, omittit enim relatiuum: vt, *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.* Et alibi item. Portus inquit Vlpian. tit. de verb. significat, est conclusus locus, quo importantur merces, & vnde exportantur: eaque nihilominus statio est conclusa, atque munita: vnde angiportum dictum est. Vbi Alciat. portum antiqui plerumque pro insula, aut domo, teste Festo, dicebant, cuius rei rationem Iurecos. hîc assignat, quod scilicet mer- D ces in eam portarentur. Hinc à similitudine portus appellari cœpta est nauium statio, qua inclusæ naues à à ventis tutæ essent: isq; frequentissimus est huius verbi significatus. Sed & angiportum angustam viam inter portus, id est, domos, dixerunt. Huius autem portus descriptio ad verbum fere ex Homeri Odyss. 13, traducta est. Quod Grammatici dicunt, Hispanicæ Carthaginis portum esse descriptum, fieri sanè potest, vt hæc descritio ad eum accommodata fortuna quadam, & casu potius, quam poetæ consilio, aut voluntate conuenerit, cum poeta tamen ad Homeri exemplum properauerit. Turneb. libr. 18. cap. 32. Super hac re Corrad. consule.

GEM. MIN. I. CÆL. SCOP.) Exponit Turneb. in cæ- E lum vsque minaces illi scopuli videntur attolli, & eminere, lib. 12. cap. 12.

QVORVM SVB VERTICE) Circa radices, quæ ad rectam lineam suspiciunt verticem.

ÆQVORA SILENT) Partes æquoris, id est, aquæ, quæ in ponto, qui est latissimus, includuntur.

SYLVIS SCENA CORVSCIS) Videtur ad theatralem scenam alludere, quæ de vmbraculorũ, & frondium contextu temperatis sæculis fiebat, vt syluarum scenam licet naturalem, vrbis imitatam cultum, apparatum, & artem significet: tanta se illæ syluæ desuper venustate, & specie ostentare videbantur. German.

HORRENTIQVE VMBRA) Verbum istuc ad sacra & religionem transtulit etiam libr. 6. Æneid. *horrendæq; procul secreta Sibyllæ*, id est venerandæ. Lucret. de Cybeles simulacro cum corona turrita.

Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrificè fertur diuinæ matris imago.

B Notatum à Gifan.

ATRVM NEMVS) Propter opacitatam ex densitate frondium.

INTVS AQVÆ DVLCES) Dicitur aqua dulcis fontium, puteorum, & fluminum, non salsa, vt est marina. Cic. lib. 6. in Verr. In hac insula extrema est fons aquę dulcis, cui nomen Arethusa est. Oppius de bell. Alexan. Nam fossis, aquam dulcem reperiri posse affirmabat. Lucret. lib. 6.

Quod genus endo mari spirat fons dulcis aquai,
Qui scatit, & salsas circum se dimouet vndas.

VIVOQVE SEDIL. SAXO) Ouid. 5. Metam. *electæ iurant per flumina nymphæ, Factaq; de vino pressere sedilia saxo.* C Producto hoc loco Nonius, etiam quæ nec animo, inquit, nec spiritu mouentur, viua dici possunt. auctore Virgilio. Æneid. 3. *viuo præteruehor ostia saxo.* Et 2. Georg. *Spelunca, viuiq; lacus, & frigida Tempe.*

NYMPHARVM DOMVS) Locus est sacer nymphis, ait Turneb. lib. 12. cap. 12. quem & incolere credebantur, vt numina sua templa. Antra autem nymphis sacrari solent.

VNCO NON ALL. ANCH. MORSV) Lib. 6. *tũ dente tenaci Anchora fundabat naues.*

HVC SEPTEM ÆN.) Nauibus 20. conscendit mare, vna periit, duodecim aliò depulsæ sunt, de quibus paulò pòst Venus lætissimum affert nuntium. Hoc ex D arte obseruant optimi poetæ, Homerus in primis, atque Virgilius, vt prius locum describant, quò aliquis peruenerit, quam illum eò peruenisse dicant. Redit igitur per ἀπόδοσιν ad narrationem, quidque egerint Troiani, cum primùm terram optatam attigerint, mira breuitate describit. Nascimb.

MAGNO TELL. AMORE) magno desiderio, cuiuscunque scilicet, post pericula. Vnde superius, *quæ proxima littora, cursu Contendunt petere.* Tellurem autem pro terra posuit, cum Tellurem deam dicamus, terram elementum. Seruius.

ET SALE TAB. ARTVS) Salsa maris aqua, quæ magnam vim corrumpendi, & exedendi habet, & E ita est sordida, vt ea madidus tabescere, ac putrescere videatur.

IN LITTORE PONVNT) Ad solem, vt siccarentur, & calefierent eius radiis. Aristot. Problem. οἱ περὶ θάλασσαν ἡλίῳ χαίρουσι.

Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitq; ignem foliis, atq; arida circum
180 Nutrimenta dedit, rapuitq; in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam vndis, Cerealiaq; arma
Expediunt fessi rerum: frugesq; receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Æneas

Æneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
185 Proſpectum latè pelago petit, Anthea ſi quà
Iactatum vento videat, Phrygiasq; biremes
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caici.

SILICIS SCINT. EXCVD.) id eſt, è ſilice ſcintillam excutit. Nam ſilicis gignendi caſu probare non poſſum. Turneb. lib. 12. cap. 12. * *Apparet Turnebum legiſſe*, Ac primùm è ſilice, *aut citra præpoſitionem*, Ac primùm ſilice, *vt illa vocalis vltima vel Græcorum more, vel pentemimeri extendatur. Lib. 6. ſtatim initio, eodem ſenſu, verbis paulum diuerſis*, quærit pars ſemina flammæ Abſtruſa in venis ſilicis. *Et Georg. 1.* Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem. *Silex, inquit Iſidor. lib. 16. eſt lapis durus, eo quod exiliat ignis ab eo, dictus.*

NVTRIMENTA) videtur vox humilis, ſonus tamen grauis: vt alibi rudimenta, tentamenta. Intelligit autem nutrimenta, quæ Ariſtoteles vocat ὑπεκκαύματα. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16.

RAPVITQVE IN FOM. FLAMMAM) Rapuiſſe in fomite flammam de Achate dicit, vbi ei tribuit, quod fomiti, nutrimentoq; ignis tribuẽdum fuit. Fomes enim flammam corripuit. Sed cùm eam in fomite excitaſſet Achates, meritò in eo dictus eſt ipſam rapuiſſe, quam in eo quærebat, eleganti figura orationis. Turneb. lib. 12. cap. 12. Nam Corrad. in hunc modum. Flammam traxit in illa nutrimenta in fomite: id eſt, flammam, quam in fomite conceperat, in nutrimenta pertulit in fomite.

CERER. COR.) Pæne corruptum, ac perditum frumenrum.

CEREALIA ARMA) Arma ſunt cuiuſuis artis inſtrumenta. Agricolarum ligones, aratra, plauſtra. Nautarum vela, rudentes, antennæ. Cocorum ollæ, cochlearia, verua. Studioſorum libri, calami, & reliquorum ſimiliter.

FESSI RERVM) Stat. *feſſus belliq́ue viaq́*. Subauditur cauſſa, vt apud Græcos ἕνεκα. Feſſi rerum, id eſt, fatigati naufragij calamitate, & tempeſtatis iactatione. Sic infrà. *ſunt lachrymæ rerum*, id eſt, calamitatum, rerum aduerſarum. Itaq; paulò pòſt ſcribit, *Tum victu reuocant vires*. Turneb. lib. 12. cap. 12.

ET TORRERE PARANT FLAM. ET FRANGE. SAXO) Georg. 1. *Nunc torrete igni fruges, nunc frangite ſaxo.* Fornacalia, inquit Feſtus, feriæ ſunt inſtitututæ farris torrendi gratia, quòd ad fornacem, quæ in piſtrinis erat, ſacrificium fieri ſolebat. Idem alibi. Fornacalia ſacra erant, cùm far in fornaculis torrebant. Seruius auctor eſt, apud priſcos molarum vſum non fuiſſe: fruges enim torrebant, & deinde in pilis pinſebant: & hoc erat molendi genus: quod & ſuo tempore adhuc factitatum eſſe ait. Secundum quem morem ita dixerit Virgilius, *Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.* [*Seruium refellit Corradus, quia Plinius libro 7. cap. 50. ſcribat. Cererem molere docuiſſe. Porrò molere à molis ducitur: & Ceres multo ante Æneam fuit.*] Molæ autem poſtea inuentæ ſunt, aſinariæ quædam, quædam truſatiles: id eſt, hominum opera verſatiles. Gell. lib. 3. cap. 3. de Plauto Comico loquens. Sed enim Saturionem, & Addictum, & tertiam quandam comœdiam, cuius nunc mihi nomen non ſuppetit, in piſtrino cum ſcripſiſſe Varro, & plerique alij memoriæ tradiderunt, cùm pecunia omni, quam in operis artificum ſcenicorum pepererat, in mercationibus perdita, inops Romam rediiſſet, & ob quærendum victum, ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet. Hoc autem non ſine ingenti labore, ac fatigatione virium fiebat: vt piſtrinum pro loco fatigationis pleno, & pro negotio operoſo ac moleſto, viresque conficiente ponatur. Hieronym. in præfat. Danielis. Denique ego adoleſcentulus, poſt Quintiliani, & Tullij lectionem, cùm me in linguæ Chaldaicæ piſtrinum incluſiſſem, & multo ſudore, multoq; tempore vix cæpiſſem anhelãtia, ſtridentiaq; verba reſonare, & quaſi per cryptam ambulãs, rarum deſuper lumen aſpicerem, impegi nouiſſimè in Danielem. Piſtrinum pro ærumna dixit ſtudij difficillimi. μυλὼν à Græcis dicitur. Aquariarum autem molarum loca, quibus nunc vtimur, moletrinas, vt arbitror, appellare poſſumus, vt ex Nonio colligo. Bud. in Pand. * *Lucret. lib. 1. ſimile genus loquendi habet. Frangere fruges ſaxo, ait Virgil. Ille*, frugesq; minutas Robore cum laxi franguntur.

ÆNEAS SCOP. INT.) Segregatur quidem Æneas à vilibus officiis, vt dicit Seruius: tamen lib. 6. in funerandis ſuorum corporibus nõ ſegregatur. Lege quæ ibidem diximus. Et eſt hæc pars quędã de officio Principis, ſollicitum eſſe de ſalute ſuorum, eosque amiſſos requirere, quod nunc Æneas facit.

PROSPECT. LAT. PEL. P) In omnes partes pelagi, quàm latè poteſt, proſpicit. Catul. de nupt. *At pater vt ſumma proſpectum ex arce petebat.* Ibid. *Vnde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus.* Liuius lib. 1. ſignum contra quod longiſſimè oculi conſpectum ferebant. Lib. 6. Æneid. de columbis in ſylua viſis ab Aenea, eundem Liuij ſenſum, ecce quibus verbis concluſerit.

Paſcentes illæ tantum prodire volando,
Qantum acie poſſunt oculi ſeruare ſequentum.

Salluſtius Iugurth. paulò diuersè. Poſtremò omnia, quà viſus erat, conſtrata telis, armis, cadaueribus.

CELS. IN PVP. A. CAICI) Puppis pars nauis poſterior eſt, altior priore, ideo dixit *celſis*. Puppibus arma ſolebãt præfigi, vt lib. 10. *præfigere puppibus arma.* Et arma ſolent eſſe lucida, nitentia, vt procul poſſint videri. Corrad.

Communis loquendi vſus populorum & Iurecoſſ. inſignia armorum nomine appellat. Et fortè nõ ineptè, aut certè non ſine ratione: quoniã plerumq; hæc inſignia in armis inſculpi & antiquis, & noſtris tẽporibus ſolebãt, vt hinc armati, facie armis operta dignoſcerentur. In quo ſenſu hoc Maronis poteſt accipi. Et lib. 3. *criſtasq́ comantes Arma Neoptolemi*, tanq̃ ſcil. criſtæ illę comantes eſsẽt illius inſignia. Et lib. 6. *Nomen & arma locum ſeruãt.* Vbi Seruius, arma, inquit, depicta: q̃ rectius de inſignibus, q̃ de armis propriè intellectis, immò vix de illis intelligi poteſt. Et rurſum li. 10. *Pacẽ orare manu, præfigere puppibus arma.* Nam & huiuſmodi inſignia, puppibus quoq; ſolebant præfigi, vt idẽ oſtendit eod. lib. 10. *Æneia puppis Prima tenet, roſtro Phrygios ſubiuncto leones.* Ex quo intelligis, leones Phrygum fuiſſe inſignia. Donat. in Eunuch. enarrans illum locũ, *hanccine ego vt contumeliam tam inſignem in me accipiam?* Scribit inſignia armorum eſſe. Sic Tiraquell. de Nobilitate cap. 2. num. 19.

Nauim in conſpectu nullam, tres littore ceruos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
190 A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Conſtitit hîc, arcumq; manu, celeresq; ſagittas

Corri-

Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresq; ipsos primùm, capita alta ferentes,
Cornibus arboreis, sternit: tum vulgus, & omnem
195 Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quàm septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerũ cum nauibus æquet.
Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
200 Littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros,
Diuidit, & dictis mœrentia pectora mulcet.
O socij (NEQVE ENIM IGNARI SVMVS ANTE MALORVM)
O PASSI GRAVIORA, DABIT DEVS HIS QVOQVE FINEM.
Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonantes
205 Accestis scopulos, vos & Cyclopea saxa
Experti: reuocate animos, mœstumq; timorem
Mittite. FORSAN ET HÆC OLIM MEMINISSE IVVABIT.
PER VARIOS CASVS, PER TOT DISCRIMINA RERVM
TENDIMVS IN LATIVM, sedes vbi fata quietas
210 Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
DVRATE, ET VOSMET REBVS SERVATE SECVNDIS.

TRES LITT. CERVOS PROSP.) Homerum imitatur poeta in 10. Odyss. in hoc tamen ab eo diuersus, quòd ille ceruum ab Vlysse vnum, hic verò septem ab Ænea ceruos fusos, necatosque dicit. [*Potius imitatur eundem 9. Odyss. sed quomodo, & quo discrimine, monstrat Corrad.*] Sugillant Critici Virgilium, quod ceruos finxerit ab Ænea in Africa inuentos, & stratos, cùm Geographorum ferè omnium, & Plinij in primis auctoritate lib. 8. cap. 33. Africa ceruis careat. Quibus ita ex Aristotelis sententia respondemus, quædam peccata ex ignoratione artis fieri, quædam verò accidentaria esse. Hoc si peccatum est, non ignoratione artis est, sed per accidẽs: quod facilè condonari solet: nam poetæ verisimilia sequuntur: nec damnandi, si falsa sequantur, modo fuerint verisimilia. Quis autem historicorum vnquam dixit, Æneam in Africam delatum fuisse? & reuera non fuit. Fuisse tamen probabile est. Quamobrem nec Pindarus ab Aristotele damnatur, licet ceruæ cornua tribuerit, quæ omnino cornibus caret. Nam hoc leuius peccatum est, quàm si rem aliquam malè descripserit: id enim ex ignoratione artis nasceretur: & ceruam habere cornua etsi verum non est, tamen habere posse probabile est. Nascimb. * *Ad huius item loci defensionem assume, quæ petiuimus ex Victorio, in illum Versum lib. 11.* & olentem scindere cedrum. *Docet autem Festus, ceruum, quod κέρατα, id est, cornua gestet, appellatum. Varro lib. 4. de ling. lat. Cerui, quod magna cornua gerunt, mutato g, in c, & in multis: quasi gerui.*

HOS TOTA ARM. SEQVVNTVR A TERGO) A tergo ipsorum sequebatur illos tres ceruos, tanquam duces, magnus ceruorum numerus. Pleonasmum autem hunc defendit Corradus, *sequũtur à tergo*, cùm qui sequitur, non possit nisi à tergo sequi. Aliis omissis, sic etiam Cicero locutus est Tusculan. 1. Adolescentes in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus.

FID. QVÆ TELA GEREB. ACHAT.) Quod fidissimum, atque indiuiduum comitem Achatem Æneę Virgilius adiungit, μυστικωτέρον est. Ἀχὼ enim Græcis curam, & sollicitudinem sonat. Quare insinuare voluit, A bonum principem cura & sollicitudine bene imperandi (quod vnum omnium difficillimum esse Diocletianus affirmabat) vacare nunquam oportere. Agit hac de re subtilius libro de rege, & regno Viperan. cap. 11. quod est de ciuili scientia, quæ humano ingenio, & arte percipi posse non videtur: sed diuino quodam afflatu indigere. Ideo ciuilem scientiam Plato vaticinium vocat, vtpote diuinitus infusam: & sceptrum quod Minoi à Ioue collatum Hesiodus scribit, nihil aliud esse putat, quàm Iouis doctrinam, qua Cretam diuina quadam ratione gubernauit. Quem ob id Homerus διοτρεφὲς, id est, Iouis familiarem, atque discipulum vocat. Et Achatem Æneę, quem ante curã interpretati sumus, alij bonum, & diuinum Geniũ esse volunt, qui præstãtibus quibusdam hominibus est præsens, ab illisq; solis conspicitur: vt de suo prædicantem sæpe multa Socratem legimus. B

CAP. ALTA FEREN. CORN. ARB.) Natura ceruo animali admodum degeneri cornua magnitudinis adeo spectandæ, ac asperitatis horrificæ contribuit, quo argumentum esset, eos qui audacia, & fiducia præditi non essent, frustra vllum apparatum, & instrumẽta bellica comparare. Egregiè Chabrias Athenienſium dux: formidabiliorem esse ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum duce ceruo. Tertullianus, nosse ait se Christiani gregis pastores aliquos in pace leones, in prelio ceruos. Pierius lib. 6.

C Cornua arborea nominat, propter ramos, quos instar arborum propagant. Est igitur cornibus arboreis, cornibus ramosis, vt sunt arbores. Plin. lib. 11. cap. 37. de varietate cornuum in animalibus. Omnibus autem caua, & in mucrone demum concreta sunt. Ceruis tantum tota solida, & omnibus annis decidua. Cæterorum ossibus adhærent, ceruorum tantùm cutibus enascuntur.

VVLG. MIS. AGENS TELIS) Indicat, licet latenter, timiditatem ceruorũ poeta, ex fuga videlicet. Caussa huius eorum timiditatis frigus est, sicut animositatis leonum, & audaciæ, calor. Hoc ita Lucret. docet lib. 3.

At ven-

At ventosa magis ceruorum frigida mens est:
Et gelidas citius per viscera concitat auras:
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

Iam quid nos ceruorum ista timiditas, cum tam altis asperisque cornibus moneat, nisi quid te detinet, audi Plutarchum lib. posterior. de fortuna Alexandri. Quapropter naturam, inquiunt, ceruo animali ignauissimo cornua magnitudine visenda, & aspera ingenerasse, nimirum specimen dantem, qui audere ipsi, fiduciamque sibi imperare nequeunt, nullum iis armorum apparatũ, bellique instrumentum vsui esse. Hoc sæpe modo fortuna socordibus, stolidisque opes, & imperia adscisens, quibus ipsi demum degeneres arguuntur, astruit, honestatque virtutem: vt pote in qua vna sita sint amplitudo, decorq; viri.

NEM. FRONDEA) Frondea positum pro frondosa, vt infrà, florea rura, pro florida. Sic Horat. Ode 35. lib. 1. purpurei tyranni pro purpurati.

QVAM SEPTEM INGENTIA VICTOR) Ne hoc quidem loco ab Homero suo recedit, etsi numero, genere cæsorum animantium, & nauium ab illo variet. In singulas quippe ex duodecim, nouem capræ sortitò distributæ sunt, decẽ Vlyssi datæ soli. At Æneas septem nauibus totidem ceruos fundit, ac se per omnia reliquis parem facit. Humilius est, quod Vlysses venatur capras: heroicum plane, quod Æneas ceruos. Locus est Odyss. 1. Ὧρσαν δ' νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο Αἴγας ὀρεσκῴους, &c. Nascimb.

VICTOR) Assequutus quod volebat: hanc enim notionem dare huic voci libitum est Maroni nostro. exempla in 3. Georg. nisi fallor, accumulaui.

NVMERVM CVM) Cacophaton notant Seruius, & Donatus.

PORTVM PETIT) Vbi socios reliquerat.

BONVS ACESTES) Vir quidam singularis doctrinæ allussisse vult poetam ad nomen Acestæ, & bonum dixisse, quod Græcis ἀκεστὴς, medicus, & doloris sanator dicitur. Acestes autem inducatur semper beneuolus, beneficus, & vbiq; rebus asperis subueniens Troianis. Tamen & passim bonum Æneam, & Eurytiona, & alios complures nominat. German.

Apud veteres Romanos non modo dij boni, deæ bonæ, bonæ preces, bona verba, & similia: sed etiam boni viri, bonæ fœminæ, appellatione, quàm vulgus opinatur, secretiore. Et solebat regibus boni epitheton attribui, quo monerentur, quid maximè ab ijs exspectandum esset subditis. Homerus. ἀμφότερον, βασιλεὺς ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Quo versu, quod in eo duo, quæ potissimùm elucere in viris principibus debent, continerentut, in primis delectatum scribit Alexand. Magnum Plutarchus in moralibus. Sic Capis Ennio optumus. Ab ea mente Tiberius Imperat. apud Suetonium. Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Hæc ex viro erudito, qui fragmenta Ennij cum commentario publicauit.

VINA CADIS ONERARAT) Onerarat, aut cũ littore Trianacrio coniungitur, aut separatim sumitur. Tum versus citra interpunctionem ita legendus erit, virgula post Acestes locata. *Littore Trinacrio dederatq; abeuntibus heros.* Onerare est imponere. merces enim onerari dicuntur, quando illis nauigium, aut iumentum oneratur. Turneb. libr. 27. cap. 30. Animaduerte ὕστερον πρότερον, seu hypallagen, si cadis est auferendi casus: non enim cadis vinum, sed vino cados onerauerat Acestes. Talia in poetis frequenter cernuntur.

Festiuè Iouianus in Charonte dialogo, inducens Pedanum, Theanum, Menicellam Grammaticos cum Mercurio fabulantes, primum illum rogantem fingit Mercurium, vti suo nomine quædam discipulis suis referat. Cum quæsisset Mercurius, quæ nam illa forent, subiicit Pedanus. Virgilium nuper a me conuentum dicito. Quærenti ex eo mihi, quot vini cados decedenti è Sicilia Æneæ Acestes dedisset, errasse se respondisse, neq; enim cados fuisse, sed amphoras. Ea enim tempestate cadorum vsum in Sicilia nullum fuisse. Partitum autem amphoras septẽ in singulas triremes, accessisseq; aceti sextariolum, idq; se compertum habere ex Oenosio Æneæ vinario. Ex Hipparcho autem mathematico intellexisse, Acestem ipsum vixisse annos centum viginti quatuor, menses vndecim, dies vndetriginta, horas tres, ac semitonium. Plures huiuscemodi nugas ibi cumulat Iouian. quibus facetè stultam Grammaticorum diligentiam, curiositatemque insectatur. Et tamen talia quædam, infrugifera penitus, atq; inania Grammaticos quondam interrogari solitos à curiosis, indicat Iuuenal. Satyr. 7. in quibus est etiam de Aceste duplex quæsitum.

——— vt fortè rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamq; nouercæ
Archemori: dicat quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Præterea hoc genus quæstiones è quodam libro recitat Gellius: quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocrates. Quã ob caussam Telemachus cubans, iunctũ sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit, sed pedis ictu excitarit, &c. Vide lib. 14. cap. 6. Huius farinæ fuerũt quas solitus est ponere Tiberius Grammaticis (notitiæ enim fabularis studiosum fuisse vsq; ad ineptias, & derisum ait Suetonius cap. 70.) Quæ mater Hecubæ. Quod Achilli nomen inter virgines fuisset. Quid Sirenes cantare sint solitæ. A Seneca, & Didymo Grammatico proferuntur hæ, epist. 88. Quæ patria Homeri. Quæ Æneæ mater vera. Libidinosior, an vinosior fuerit Anacreon. An Sappho publica fuerit: quæ, inquit, dediscenda erant, si scires. Aliàs ab eodem scriptore alibi, & ab aliis relatas omitto, & hanc παρέκβασιν, siue declinationem paruam à proposito, lectori non iniucundam fuisse spero.

HEROS) *Vnde nomen herorum, copiosè disputat Michael Brutus annot. in Hor. lib. 1. Ode 12. quẽ lege, & cum eo Gyrald. Syntag. 1. Hist. deorum.*] Acestes Crinisoʼ fluuio, & Segesta Troiana ortus erat: vnde meritò heros appellatur, id est, semideus, vt ex deo & mortali natus. ἀνδρῶν γὰρ ἡρώων θεῖον γένος οἱ καλέουσ' ἡμίθεοι. vt ait Hesiodus.

DICTIS MOERENT. PECT. MVLCET) Eorum mœrorem consolando leuat. Hominem in aliqua ægritudine constitutum, ab homine nõ stulto profecta oratio sanare sola potest. En tibi è Monostichis huius rei testes aliquit senariolos, εἰς λόγον.

Λόγος γάρ ἐστι λύπης φάρμακον μόνος.
Λύπην γὰρ εὔνους οἶδεν ἰᾶσθαι λόγος.
Ὁ λόγος ἰατρός ἐστι δ' κατὰ ψυχὴν πάθης.
Ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος.

Reddamus Latinè.

Vna ægritudinem profugat oratio.
Sanat dolorem beneuolens oratio.
Morbus animi sermone curatur statim.
Languentis animi pharmacum est oratio.

O SOCII) Quomodo hac oratione Æneæ Virgilius Homerum superauerit, ostendit Macrob. Saturnal. lib. 5. cap. 11. Homerus Odyss. 10.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονες εἶμεν,

Οὐ μὲν δὴ τόδε μεῖζον ἔπει κακὸν, ἢ ὅτε κύκλωψ
Εἴλει ἐνὶ σπῆι γλαφυρῷ κρατερῇφι βίῃφι.
Ἀλλὰ καὶ ἐνθένδε ἐμῇ ἀρετῇ βουλῇτε, νόῳτε
Ἐκφύγομεν, καὶ κεν τῶν δε μνήσεσθαι ὀΐω.

Vlysses ad socios vnam cõmemorauit ærumnam. Hic ad sperandã præsentis mali solutionẽ, gemini casus hortatur euentu. Deinde ille obscurius dixit, καὶ κεν τῶνδε μνήσεσθαι ὀΐω: hic, apertius, *Forsan & hæc olim meminisse iuuabit*. Sed & hoc, quod noster adiecit solatij fortioris est. Suos enim non tantùm exemplo euadendi, sed spe futuræ felicitatis animauit: per hos labores non solum sedes quietas, sed & regna promittens. Fuit ergo locupletior Virgilius.

Æquare se militibus, & inferioribus, quod hìc facit Æneas, magnæ humanitatis est in Imperatore, ac Principe. Sueton. de Iulio. nec milites eos pro concione, sed blandiore nomine, cõmilitones appellabat. Quod ipsum tamẽ in maiore auunculo suo (fuit enim auiæ frater Iulius) reprehendere solitum Augustum, tradit idẽ Sueton. Quia dum affectasset charior fieri, auctoritatem Principis emolliuisset. Rursum cur idem Augustus nec ipse eos ita nominarit, nec ab aliis nominari passus sit, hunc in modum idem scriptor docet cap. 25. Neq; post bella ciuilia aut in concione, aut per edictum vllos militum commilitones appellabat, sed milites. Ac ne à filiis quidem, aut priuignis suis imperio præditis aliter appellari passus est: ambitiosius id existimans, quã aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua, domusq; suæ maiestas postularet. Iulium imitatus est Antoninus Caracalla, vt prodidit memoriæ Herodianus lib. 4. Tum cõmilitonem, inquit, quam Principẽ appellari se malle. Plin. Paneg. in Traianum. Non enim de tyranno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquimur. Vnum se ille ex nobis, & hoc magis excellit, atq; eminet, quod vnũ ex nobis putat: nec minus hominẽ se, quam hominibus præesse meminit. Achilles quoque Myrmidonas vocat socios, Iliad. Ψ. ἐμοὶ ἑῆιπρες ἑταῖροι. Vlysses item vt supra vidisti, ὦ φίλοι, ὔ γὰρ πω, &c. ex quo carmine suum Maro pæne ad verbum conuertit. Cyrus apud Xenephontẽ semper, ἄνδρες φίλοι. Plus tamen est socios, quã amicos appellare, maioremque habet enargiam: quandoquidem participem rerum aduersarum, & fidum ad omnia comitem significat: quod ipsum non quiuis amicus facit. ὦ φίλοι, ὐδεὶς φίλος, aiebat Socrates.

NEQ. ENIM IGNARI SVMVS) Parenthesis est, vt in parenthesi ætiologia illius verbi, *socij*, hoc modo. O socij scilicet laborum, periculorum, malorum: non enim sumus ignari præteritorum malorum. Vel ætiologia sequentiũ verborum, *ô passi grauiora*. Vel, passi grauiora, non enim sumus ignari præteritorum malorũ, ita vt nesciamus vos passos grauiora. Corrad.

ANTE MALORVM) Compendio orationis dictũ interpretator, velut desiderato articulo, aut subaudito: etsi articulorũ supplementa latinus sermo recusat. Sed profecto dictũ est, vt si græce diceres, ὐκ ἀμνήμονες ἐσμὲν τῶν περὶ τὸ κακῶν. Id igitur valet, malorum quæ ante perpessi sumus, præteritorum malorum. Simile est illud Ouidij. Metamorph. 1. *Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus*. id est, βάεος ἔχοντα τοῖς ἄνευ βάρους. Turneb. lib. 18. cap. 32. Huius classis sunt, apud Lucretium subter labentia, teste Seruio, & semper florentis Homeri, teste Don. in And. Terent. apud Nasonẽ Ante mei, apud Propertium, semper amicitiæ, apud Terentiũ semper lenitas, apud Horatium post genitis: quæ nonnulli cũ prosodia ὑφὲν scribere solent. Est autem ea lineola repanda, vt in 1. de Aspirat. Iouianus definit, quæ dictionibus subAiicitur, cum duas voces coiisse simul, & in vnum transisse demonstrari opus est: sic, ante-malorum.

O PASSI GRAVIORA) Horat. Ode. 7. lib. 1. *O fortes, peioraq; passi Mecum sæpe viri*. Comparatio est à maioribus. Qui tulit grauiora, poterit, & debebit etiam ferre leuiora.

DABIT DEVS HIS QVOQ. FINEM) Scitè, & sapienter dictum, & ad multa quæ nobis in hac vita aduersa eueniunt, quæq; solatiũ postulant, aptissimè. Certè nisi finem speraremus in malis nostris, quis ea toleraret æquo animo? Finem autem à deo precari, & exspectare pium est. Cum fortè quidam viseret traditum in vincula, eiusq; solandi caussa hoc Virgilianum inter cætera diceret, *dabit deus his quoq; finem*, illi, qui se capitis reum sciret, ac de vita desperaret, vna littera cõmutata lepide respondit, dictum iterans, *dabit deus his quoq; funem*.

VOS ET SCYLL. RABIEM) Probat grauiora passos. Sed obiici potest, præsentem hanc calamitatem fuisse grauiorem, in qua vna nauis sit amissa, & tot credantur amissæ: quũ Troiani nihil apud Scyllam, & Cyclopas passi sint. Lege disputatiunculam Corradi super hac quæstione. Bene rabiem, nam lib. 3. *Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa*.

ACCESTIS SCOPVLOS) Accestis pro accessistis. Sic. lib. 4. extinxem, pro extinxissem. Talia inueniuntur, apud Lucret. consumpse, pro consumpsisse, apud Catullum promisse, apud Horatium euasti, percusti, diuisse, erepsemus, apud Terentium & Virgilium vixet, direxti.

TIMOREM MITTITE) Ponitur pro, omittite. Sic Horat. Ode. 20. lib. 2. *ac sepulchri Mitte superuacuos honores*. epist. 5. libr. 1. *Mitte leues spes, & certamina diuitiarum*. Et epist. ad Pison in extrema, *Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo*. Terent. Adelph. *Hera, lacrymas mitte*.

FORS. ET HÆC OL. MEMIN. IVVAB.) Ad memoriam præteritorum malorum quod attinet, quam poeta iucundam fore pronuntiat, non male referimus quod habet Macrob. Saturnal. libr. 7. cap. 2. cuius inscriptio, De quibus quisq; libenter interrogetur. Pericula quoque præterita, vel ærumnas penitus absolutas qui euasit, vt referat, gratissimè prouocatur. Nam qui adhuc in ipsis vel paulum detinetur, horret admonitionem, & formidat relatum. Id adeo Euripides expressit. ὡς ἡδύ τι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων. Adiecit enim σωθέντα, vt ostenderet, post finem malorum gratiam relationis incipere. Et poeta noster adiiciendo, *olim*, quid nisi post emensa infortunia futuro tempore iuuare dicit memoriam sedati laboris? * *Cic. ad Luceium epist. 12. lib. 5. Habet enim præteriti doloris securæ recordatio delectationem. Et lib. 2. de finib. Quid si etiam iucunda memoria præteritorum malorum? vt prouerbia nõnulla veriora sint, quam vestra dogmata. Philipp. 3. His auctoribus & ducibus, diis iuuantibus, nobis vigilantibus, & multum in posterum prouidentibus, pop. Rom. consentiente, erimus profecto liberi breui tempore. Iucundiorem autem facit libertatem seruitutis recordatio. Et Seneca* Dulce est meminisse, quod durum fuit pati. *In adagio, Iucunda laborum præteritorum memoria, duo eiusdem sententia huius hexametri afferuntur.*

Καὶ μέγα γάρ τε καὶ ἄλγεσι, τέρπεται ἀνὴρ
Μνησιφρόνων, ὅστις πολλὰ παθοι, καὶ πολλὰ ἐόργοι.

Magnopere est iucunda viro renouata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaq; gessit.

Vide etiam adag. Iucundi acti labores. Huius totius rei illa caussa est, quod contraria magis apparent, cum sibi comparantur, & cum sunt propinqua, maioremq; vim habent in vtramq; partem.

PER VAR. CASVS TENDIMVS IN LAT.) Hoc quod adiecit poeta, solatij fortioris est. Suos enim Æneas non tantum exemplo euadendi, sed & spe futuræ felici-

felicitatis animauit, per hos labores non solùm sedes quietas, sed & regna promittens. Macrob. Monet Rhodigin. libr. 7. cap. 1. Maroni propositum fuisse vtramque philosophiam, θεωρητικὴν, & πρακτικὴν Æneide sua exprimere, & officium docere sapientis. Quæ ad locum præsentem pertinent, apponam. Cogita ergo, primis quinque libris non fermè aliud agi, quàm quo pacto sapiens ab humanis interim sequestratus, animum politicis, & purgatoriis emaculet virtutibus. Hoc ipsum significat atrox in primo tempestas, Didonis conuiuium, in quo rationalis anima obbrutescens corporis fomitibus & vitiorum incentiuis, rationis luminibus sese ingerentibus, illa pænè restincta sui obliuiscitur, & ad corporeum reuoluitur tota. Æstuationes hæ sunt animi, ad procinctum tendentis, & ad originem properantis. Quod hæc verba abundè significant, *per tot discrimina rerum*, &c. Ergo Latij nomine statum purgati animi intelligo, qui defæcatus, & à mundana aspergine presè, pureque detersus est. Cuius illa sunt munera præcelsa, vt docet grauis auctor Plinius, sola nosse diuina, cupiditatum obliuisci penitus, perturbationes ignorare, vt, si fractus illabatur orbis, Impauidum feriant ruinæ. Postremò, cum mente ita diuina connecti, vt nulla fiat inde conuulsio.

SEDES QVIET.) Nam in Thracia, & Creta non habuerunt quietas.

ILLIC FAS REG. RESVRG. TROIÆ) Fas illic, nefas alibi, vt sit λιτότης, vt suprà, *mihi iussa capessere fas est*. Sic fata volunt. Atque hoc Æneas occupat, ne socij fortasse putarent, melius esse in alio quouis loco sedes capere, & ita vellent ibi manere. Corrad. De Troia in Italia resurgente dixit Ennius quoq; Annali 1. *In Roma, Troia reuixit*. Scitè quoqué Propert. lib. 4. eleg. 1. *Dicam Troia cades, & Troïca Roma resurges*. Id est, canam caducam, & recidiuam Troiam: canam ἰλίου ἅλωσιν, & aduentum Æneæ in Italiam, qui fuit in vrbe Roma Troiæ παλιγγενεσία, eaq; talis, vt si Troia esset, se miraretur. Tibull. lib. 2. eleg. 6.

Troia quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet,
Vos bene tam longam consuluisse viam.

DVRATE ET VOSMET REBVS SERV. SECVN.) In Monostichis.

Ἀνδρὸς τὰ παρεσπίπτοντα γενναίως φέρειν.
Νικᾷ λογισμῷ τὴν παροῦσαν συμφοράν.
Fortis viri est, sufferre quidquid accidit.
Ratione præsens vincito infortunium.

Seneca epist. 22. Non est vir fortis, & strenuus, qui laborem fugit: verùm vbi crescit illi animus ex ipsa rerũ difficultate. Durum, inquit Nonius, est patiens & perseuerans. Georg. 2. *Scipiadas duros bello*. Terent. Adelph. *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest*.

Absolutum est modò *durate*, aliâs transitiuum, vt apud Horat. Ode 14. libr. 1. *vix durare carinæ Possunt imperiosius Æquor*, id est, sustinere, perferre. In Sileno positum est, pro durescere. *Tum durare solum, & discludere Nerea ponto*. De rerum secundarum, aduersarumque vicissitudine, eleganter, & grauiter Plin. Panegyr. Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur. Occultat vtrorumque semina deus, & plerumq; bonorum, malorumq; caussæ sub diuersa specie latent.

Talia voce refert, curisq; ingentibus æger,
SPEM VVLTV SIMVLAT, PREMIT ALTVM CORDE DOLOREM.
Illi se prædæ accingunt, dapibusq; futuris:
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.
Pars in frustra secant, verubusq; trementia figunt.
Littore ahena locant alij, flammasq; ministrant.
Tum victu reuocant vires: fusiq; per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisq; ferinæ.
POSTQVAM EXEMPTA FAMES EPVLIS, MENSÆQVE REMOTÆ,
Amissos longo socios sermone requirunt:
SPEMQVE METVMQVE INTER DVBII, seu viuere credant,
Siue extrema pati, nec iam exaudire vocatos.
Præcipuè pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit: & crudelia secum
Fata Lyci, fortemq; Gyan, fortemq; Cloanthum.

TALIA VOCE REFERT) Non est pleonasmus, *voce refert*, vt interpretes somniant: sed hoc dicit poeta doctissimus: hæc voce quidem proferebat Æneas, sed aliud in corde gerebat. Propterea subdit, *premit altum corde dolorem*. Nascimb. * *Vt non sit in præsens pleonasmus, tamen aliàs persæpe est: Sic hæc quoq; sic ore locuta est, his auribus hausi.*

CVR. INGEN. ÆGER) Boni regis officium, cui subiecti sunt loco filiorum, angi eorum malis, tametsi confidat fore melius.

SPEM VVLTV SIMVL. PREMIT ALT. CORD.) *Spes pro lætitia ponitur, Sic ex antecedente consequens intelligamus: qui enim sperant, hilari sunt Vultu. Simulabat ergo Æneas lætitiam, ne ex sua tristitia suorum augeret mæstitudinem: sed erat animo tristissimus.*] Tanta interdum vis est fortunæ, casuum, rerumque humanarum varietatis, atque inconstantiæ, vt pro loco ac tempore non modò simulare, aut dissimulare, verùm etiam fictionibus vti sit necessarium, idque maximè honestum existimetur, ac summa etiam commendatione dignum: cùm alioqui in virtute nihil fictum inesse debeat, nihil simulatum. Bene igitur hic AEneas spem vultu simulat, id est, lætitiam, vt exponit Seruius, cùm sit interim curis ingentibus æger. Ferunt Annibalem cognita repentè Hasdrubalis fratris cæde, ac totius exercitus clade, composuisse vultum, risisseq; conditionem humanam magis, quàm aut dolorem præ se tulisse, aut animi consternationem videri vellet, quò videlicet militum, ac ducum suorum animos confirmaret. Pop. Rom. quo tempore idem Annibal muris insultabat vrbis, iussit classem cum exercitu in

Hiſpaniam à portu ſoluere. Prudentiſſimè ab vtroque, & pro tempore,ac pro rerum,& fortunæ euentis. Iouian. de Prudentia lib. 4. Idem de Sermone libr.2. Simulamus quæ nullo modo vera ſunt, quæque ipſi nec fecerimus,nec dixerimus,quæque nec ſeruare in animo habemus. Contrà, diſſimulamus quæ ipſa quidem dicta, aut facta ſunt,perinde ac nec dicta fuerint, nec facta, aut non quemadmodum, quoque animo, conſilioue aut fecerimus, aut dixerimus. Qua ratione Salluſtius Catilinam cuiuſque rei ſimulatorem eſſe dixit, ac diſſimulatorem. Cùm tamen & ſimulare,& diſſimulare,nonnunquam prudenti viro ſit permiſſum, vt qui *ſpem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.*

Quæ ex animo, citraque fucum dicuntur,aut geruntur, vera fronte fieri,diciique dicuntur. Cicero pro C.Rabirio. At ſi verum,tum veriſſima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. Contrà, dicemus mendaci fronte fieri,quod geritur per ſimulationem. Cic.ad Q.Frat. Frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur, oratio verò ſæpiſſimè. Frons, & oculi maximè declarant animi affectum:nam verba fingere, non eſt difficile: ſed difficile eſt crimen non prodere vultu. Ad affectum igitur ipſum ſimulandum,mentiendumque valet,vultum fingere. Terent. Heaut. *Vah, etiam vultum fingit carnifex.* Præterea iſta ſimulatio hilaritatis,ac beneuolentiæ in vultu dicitur græcè φαινοπρεπωπεῖν,quam vocem frequentat in epiſt. M. Tullius. Chiliaſtes. * *Tiberius dictitabat, Principis animum nemini cognitum eſſe oportere. Proinde ſic affectus ſuos occultos tenebat, vt quæ cupiebat, nunqam ferè diceret, & cum oratione eius mirè pugnaret voluntas,ac deſiderium. Deteſtabatur,quod expetebat maximè, & quod oderat,diſſimulabat. Iraſcebatur nulla re conturbatus: iratus, tranquilliſſimo,æquiſſimoq; animo eſſe putabatur,&c. Multos necari iuſſit ob hoc ſolùm, quod dicerent à ſe eius voluntatem perſpectam & cognitam.Xiphilin.*

PRÆDÆ SE ACCINGVNT,DAPIBVSQ.FVT.) Vt ceruos ab Ænea acquiſitos abſumerent famelici, præparabant ſe ad eos exenterandos,& coquendos, ſiue aſſandos. Ad laniorum, cocorumq; munera aggrediebantur.

TERG. DIRIP.COSTIS)Deripiunt,quidam malunt legere,in his Turneb.lib.12.cap.12.vt ſit,corium detrahunt. Et quemadmodum apud Horat. Ode 9.lib.1. *Pignusq; dereptum lacertis.* Sic nonnulli cenſent legendum apud Tibullum lib.1. eleg.2.*Sertaq; de ſanctis deripuiſſe focis,*non diripuiſſe.Et Statium libr.3.Thebaid. *Ergo manu vittas,damnataq; vertice ſerta Deripite.*Lucret.lib.4. *Quæ quaſi membranæ de ſummo corpore rerum Dereptæ volitant.* Vtitur lectiſſimis verbis in re nihili. Non dixit pellem, aut corium: ſicut in Georg. *nam neque erat coriis vſus,*ſed *tergora.* Et verbum lectum, *deripiunt*, non dixit deglubunt, vt Catullus, *glubit magnanimos Remi nepotes.* Non dixit concidunt, ſed *in fruſta ſecant.* Et cùm operam illam explicaret torrendi, addidit aliquid ad efficaciam, *trementia,* inquit. Neque elixationem, niſi circumſcriptione, & omiſſione, quam παραλληψιν ἀποσιωπήσεως partem diximus. Scalig. Poet.lib.4. cap.16.

ET VISCERA NVDANT) Viſcus, vt docet Seruius in 6.Æneid. ſuper illo, *Et ſolita imponit taurorum viſcera flammis,*non ſolùm inteſtina ſignificat,ſed quidquid inter oſſa,& cutem eſt. Lucret.quoque lib.1.quem citat Nonius,*de pauxillis,atq; minutis Viſceribus viſcus gigni,ſanguenq; creari.* Sueton.Vitellio cap,13. Viſcus & farra pæne rapta à foco. Arnob.lib.7. Si aliquod viſcus fuerit aris traditum. Torrent.

VERVBVSQ. TREM.De verubus certant Grammatici,ſunt enim qui veribus per,i, legendum cenſeant apud Virgilium,vbicunque verubus per,u,litteram legitur. Si verubus eſſet legendum, nunquam id tacuiſſet Priſcianus. Chariſius lib.1. hunc ipſum verſiculum Maronis proferens, legit *veribus.* Hæc Emmanuel Aluarus.

LITTORE AHENA LOCANT ALII) Ahena, inquit Seruius,quibus vtebantur,non ad elixandas carnes, ſed ad lauandas. Heroicis enim temporibus carne non veſcebantur elixa. Sed aduerſantur huic ſententiæ poetarum loci.Ouid.1.Metamorph.

Atq; ita ſemineces partim feruentibus artus
Mollit aquis,partim ſubiecto torruit igni.

Idem de Itylo.

——pars inde cauis exultat ahenis,
Pars verubus ſtridet.

Valerius Flaccus lib.8.

Mox epulas,& ſacra parant ſylueſtria læti,
Præmia venatu facili quæſita ſuperſunt.
Pars verubus,pars vndanti deſpumat aheno.

Seneca Thyeſte.

Hæc verubus hærent viſcera,& lentis data
Stillant caminis:illa,flammatus latex
Querente aheno iactat.

Iuuenal.ſat.15.

——nec ardenti decoxit aheno,
Nec verubus.

Claudian.in Eutrop.

Quas figat verubus partes,quæ fruſta calenti
Mandet aqua.

* *Hæc aduerſus Seruium colligit vir doctus Ioſeph Caſtalio in Var.lect. Par eſt credere, Troianos,dum carnes aſſarentur,voluiſſe lauari, & ob id ahena in littore locaſſe, flammas miniſtraſſe, vt aqua calida vterentur. Poteſt tamen hoc ipſum quoq; ad carnes elixandas referri, quarum vſum aliquem apud veteres, & heroum temporibus fuiſſe probat Corrad. quem legas velim.*

TVM VICTV REVOCANT VIRES) Tantum cibi & potionis adhibendum præcipit in Offic. Cicero, vt reficiantur vires, non vt opprimantur.Ergò benè, reuocant vires victu. Audi Celſum vtiliter ad tuendam valetudinem ita dicentem libr. 1. Nunquam vtilis eſt nimia ſatietas: ſæpe etiam nimia abſtinentia. Intéperantia tutior eſt in potu, quam in eſca. Largius bibiſſe Troianos quàm prandiſſe mox ſignificat poeta.

IMPLENTVR VET. BACCHI) Græcanicum eſt. Apud ipſos enim πλήρεν gignendi caſum exigit Turneb. lib.12.cap.12. * *Plaut.Amphit.*

Erroris ambo ego illos, & dementiæ
Complebo, atq; omnem Amphitruonis familiam.

Alibi dixit, compleuit eum flagitij.

Veteris Bacchi, inquit. De vino veteri, eiusq; effectis ſcribit in hæc verba Athenæus lib 1. cap.23. Pindarus quidem vinum laudat antiquum, at flores iuniorum hymnorum. Sed vt ingenuè loquamur, non voluptati ſolum, verumetiam ſanitati magis confert vinum antiquum: quod cibum magis digerit, & cum ſit tenue, facilè diſtrahitur,& ſomnos præbet non perturbatos.

Romanos vina,quæ annum ſaltem præteriiſſent, vt plurimum bibere conſueuiſſe,præter alios etiam Galenus docet. Idem in Comment.ſuper primum de nat. hum. rationes varias exponens, quibus hyeme pituita adeo copioſa in hominum ſtomachis gignitur,inter alias, quas multas recenſet,eam ponit, quod plurimi tunc noua vina bibant, quæ aptiſſima ſunt in pituitam conuerti.Mercurial.Variar.lib.1.cap.15.

PINGVISQVE FERINÆ) Salluſt.Iugurth. quia Numidæ plerumque lacte, & ferina veſcebantur.Ita dicimus ſuilla,bubula, caprina, vt ſubaudiatur, caro.

POSTQ. EXEMPT. FAM. EP.) Homeri verſus pluri-

pluribus locis reperitur, sed prcęipuè lib. 1. & 2. Odyss. Αὐτὰρ ὅπὶ πόσιος, καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Remotis autē mensis, communi hominum more subsequitur sermo. Et quia quæ nobis gratissima sunt, de ijs libenter loquimur, de sociis, quos charos habebāt, sermonem instituunt. Nascimb.

MENSÆQVE REMOTÆ) Dapes quæ relictæ erant, remotæ sunt. Alioqui cibum sumpturis, etiā mensæ apponebantur, quæ postea remouebantur. Sed cum per herbam discubuissent Troiani, nō habuerunt mensas huiusmodi. Corrad.

NEC IAM EX AVDIRE VOCATOS) Ad antiquam consuetudinem respicit, & mortuos significat. Nam quos desiderabant, & amiserant, antequam discederent è loco, sæpius vocare soliti erant. Homerus Odyss. 1.

Οὐδ' ἄρα μοὶ πρόσθεν νῆες κίον ἀμφιελίσσαι,
Πεὶν τινα τῶν δειλῶν ἑτάρων τεὶς ἕκαστον ἀΰσαι,
Οἱ θάνον ἐν πεδίῳ κικόνων ὑποδηωθέντες.

Id est, Neq; vero mihi prius, seu vlterius naues vtrinq; incuruæ cucurrerunt, quam vnumquemque infelicium Sociorum, qui in campo Ciconum ferro interempti erant, ter vocassemus. Virgil. lib. 6.

Tunc egomet tumulum Rhetæo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.

Eodem allusum 2. Æneid. *mœstusq; Creusam Nequidquam ingeminans iterumq; iterumq; vocaui.* Sed & vocare pro sepultura habebatur in mortuis. Ausonius de Deiphobo.

Nec tumulum ipse habeo, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, & Maro composuit.

PRÆCIPVE PIVS ÆNEAS) Quia pietatis officium erat, dolere amissos socios, et tam multos, debuit in eo ferre primas, cuius erat spectatissima pietas, & qui tanquā patrem se gerebat in ciues suos.

NVNC ACRIS ORONTI) Patrius casus est Orontis, Oronti more veteri: sicut illa apud Ciceronem Timarchidi, Theophani, Pericli, Thucydidi in 4. Verrin. lib. 9. ad Attic. 2. de orat. Bruto. Et apud Terent. Heaut. Archonidi. Consule Priscian. lib. 6.

NVNC AMYCI CASVM) Orontis viderat, Amyci, Lyci & aliorum fata suspicabatur, quæ, si interiissent, crudelia fuisse putabat. Corrad.

Et iam finis erat, quum Iupiter æthere summo
Despiciens mare veliuolum, terrasq; iacentes,
Littoraq;, & latos populos, sic vertice cæli
230 Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atq; illum tales iactantem pectore curas,
Tristior, & lacrymis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus. O qui res hominumq; deûmq;
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
235 Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certè hinc Romanos olim voluentibus annis,
Hinc fore ductores reuocato à sanguine Teucri,
240 Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Troiæ, tristesq; ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
NVNC EADEM FORTVNA VIROS TOT CASIBVS ACTOS
245 INSEQVITVR, quem das finem rex magne laborum?
Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
Illyricos penetrare sinus, atq; intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timaui:
Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
250 It mare proruptum, & pelago premit arua sonanti.
Hîc tamen ille vrbem Pataui, sedesq; locauit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit
Troïa: nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cæli quibus annuis arcem,
255 Nauibus (infandum) amissis, vnius ob iram
Prodimur, atq; Italis longè disiungimur oris.
HIC PIETATIS HONOS? sic nos in sceptra reponis?

ET IAM FINIS ERAT) Cœnæ, longi sermonis, & diei. Duo hæc monosyllaba, & iam, coniunctim posita adhibentur commodè, cum de re ad rem transitur. Alibi. *Et iam prima nouo spargebat lumine terras*, &c.

IVP. ÆTH. SVM. DESP. M. VELI.) Hypotyposis est cogitantis, & solliciti, ac fauentis. Videtur poeta respexisse ad hieroglyphica Ægyptiorum, qui oculũ fauoris, & beneficentiæ signum esse voluerunt. Et in sacris literis verbum aspicere, & respicere, propitium, & benignum se ostendere significant. In Eclesiasticis quoque precationibus, vt, Respice quæsumus omnipotens deus, &c. Sebast. Regulus. Ennius Phœnice. *Ibi tum derepente exalto in altum respexit mare.* Nonius in Derepente.

Credo Nasonem 1. Metamorph. à Virgilio mutuatum, vbi de Phaethonte currum patris sui, Solis inquam, quod impetrarat, sed exitu infaustissimo ducente, ita cecinit.

Ut verò terras despexit ab æthere summo
Infelix Phaethon penitus, penitusq; iacentes.

Despicere, est deorsum aspicere. Idem valet frequentatiuum *despectare.* Virg. libr. 10. *Ille sedens victor flammas despectat ouantes.* Lucret. lib. 2.

Sed nil dulcius est, benè quam munita tenere
Edita doctrinæ sapientum templa serena,
Despicere vnde queas alios, passimq; videre
Errare.

Despectus quoque est de loco superiore aspectus. Cæsar. 2. de bello Gall. Quod oppidum, cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes, despectusque haberet.

Lamb. in Lucret. Mare veliuolum vocat Lucretius libr. 5. *Tum mare veliuolum florebat nauibus pandis.* Initio operis, variauit. *Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes.* Sed ante vtrumque id vsurparat Ennius. Et Liuius Andronicus in Helena, *Tu qui permensus ponti maria alta, veliuola.* Cato in Frag. Postquam Massiliam præterimus, inde omnem classem ventus auster lenis fert: mare velis florere videres.

De laudibus maris hoc ipso libro suprà me aliquid ex Cicerone in medium afferre memini. Eius encomium reperies vberius apud D. Basilium Homil. 4. in Hexaëm. Extremum en accipe. Bonum est etiam (mare) & alio modo, partim quod insulas præcingit, ornamentum inde ipsis simul, tutelamq; præstando: partim quia continentes plurimum inter se distantes, ac insulas per se ipsum coniungit, atq; liberas nauigantibus congressiones concedit: quibus sanè tum notitias rerum ignotarum parit: tum opulentiæ mercatoribus consequendæ caussa fit, vitæque omnino necessitatibus perfacilè succurrit: iis qui copia rerum abundant, in exportandis ijs quæ supersunt, facultatem subministrando: ijs qui egent, id quod ipsis deest supplendo.

Theodoretus autem serm. 2. de Prouidentia, in maris commendatione quam disertus est? ibidem ratio ponitur, cur deus oceano terras absciderit, vt est apud Horatium. Sed ipsum virum sanctum audire lubet. Proinde vt hæc tibi plenius constent, ad mare rursus descendito, illius profunditatem, amplitudinem, fretorum interstitia, littora, portus, & in medio sitas eius insulas, piscium item genera, species, formas, & amorem quo terras appetunt, considera. Nonnullis interiectis. Adhæc, per mare terras diuisas videmus, quo etiam ceu sequestro, quæ procul inter se distant, in amicitiam coierunt. Concordiam enim humano generi inserere volens dominus, mutuis illos operis, & auxiliorum necessitate constrinxit. Per mare longinquas peregrinationes facimus, & ea quibus indigemus, à nobis inuicem petimus, simulq; aliis, quæ ipsis necessaria sunt, rependimus. Nec enim aliquam terræ partẽ summus ille rerum administrator cultoribus suis omnia simul ad vsum, victumque necessaria proferre passus est, ne nullis ope indigens copia, mutuæ amicitiæ noceret. Iniuriis enim gaudet rerum saturitas, & turbarum parens est, &c. * *Perspicere te hinc opinor, quàm aptè dicatur mare veliuolum, quoniam velis per illud volatur propter tam multas capiendas vtilitates, quibus maria seruiunt, quæ omnes hoc adiuncto ad nomen, seu epitheto insinuantur, cum cætera epitheta magis naturam eius conditionemq;, non conditoris ipsius erga genus humanum curam, prouidentiamq; declarent.*

TERRASQVE IACENTES) Expositas, infrà positas, in longum, latumque porrectas.

LITTORAQVE) Ad mare referendum est.

ET LATOS POPVLOS) Ad vrbes, regiones.

TAL. IACT. PECT. CVRAS) Cum aliis, tum hac etiam de caussa deum vocamus patrem, quoniam velut paterfamiliâs domus vniuersæ: sic ille huius magnæ domus suæ, nostrûmque etiam omnium particulatim curam assiduam gerit, nostrisque rebus prospicit, Est ergo hoc loco Virgilius diuinæ prouidentiæ assertor manifestissimus, & ab Epicuri placitis longissimè discedit.

Ex Odyss. transtulit hunc locum. Nam vt Pallas Iouem de Græcorum rebus cogitantem, atque adeo loquentem, sic Venus eundem de Troianis, de Libya certè, vbi tunc erant Troiani, cogitantem alloquitur. Macrob. libr. 6. Saturnal. putat hæc omnia poetam è libr. 1. Næuij sumpsisse. Corrad.

Admonemur hîc, o portere nos, aliquid à Principibus petituros, tum id tentare, cum illi vel in loco ad id apto considunt: vel de re cum eo, quod nos petimus, coniuncta, deliberant. Sebast. Reg.

LACRYM. OCVL. SVFFVSA NITENT.) Deos non plorare, sed quasi plorare affirmat Ouid. libr. 4. Fast. loquens de Cerere, Proserpinam filiam inuestigante.

Dixit, & vt lacrymæ (neq; enim lacrymare deorum est)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.

Veruntamen & dij & deæ frequentissimè à poetis simpliciter lacrymantes inducuntur. Nec mirum, quando & alia plurima, si non omnia, humana ijs non ab Homero solùm sed aliis etiam affinguntur. Quæ est vberrima Arnobio insanas gentium religiones insectandi, & irridendi materia.

O QVI RES HOMINVMQVE, DEVMQVE) Lib. 10. eodem sensu, vt contra Probum sentit Turneb. *O pater, ô hominum, diuûmq; æterna potestas.* Ouid. 3. Metamorph.

Ille pater, rectorq; deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Similia sunt ex Horat. Ode 12. lib. 1.

——qui res hominum, ac deorum,
Qui mare, & terras, variisq; mundum
Temperat horis

Ode 4. lib. 3.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaq; tristia,
Diuosq;, mortalesq; turbas
Imperio regit vnus æquo.

Confectus est hic locus de Venere pro filio Ænea supplici apud Iouem, partim ex illo 1. Iliad. vbi Thetis eidem Ioui pro Achille suo aduersum Græcos supplicat partim ex orat. Agamemnonis lib. 2. qui Iouem leuitatis quoque, & inconstantiæ reprehendit, quod cum sibi an-

bi antea euersionem Ilij promiserit, nunc se rebus infectis domum redire iubeat.

ET FVLMINE TERRES) Quare Ioui fulmina tribuerit antiquitas, quærit & explanat caussam hisce verbis Seneca Natural. lib.2.cap.42. Quid tam imperitum est, quàm credere fulmina è nubibus Iouem mittere, columnas, arbores, statuas suas nonnunquam petere, vt impunitis sacrilegis, percussis ouibus, incensis aris, pecudes innoxias feriat, & ad suum concilium à Ioue deos, quasi in ipso parum consilij sit, aduocari? Illa læta & placata esse fulmina, quæ solus excutiat: perniciosa, quibus mittendis maior numinum turba interfuit? si quæris à me quid sentiam, non existimo tam hebetes fuisse, vt crederent Iouem aut non æquæ voluntatis, aut certè minus paratum esse. Vtrum enim cùm emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret, scelerata transiret, aut noluit iustius mittere, aut non successit? Quid ergo sequuti sunt, cùm hoc dicerent? Ad coercendos animos imperitorum sapientissimi viri iudicauerunt inuitabilem metum, vt supra nos aliquid timeremus. Vtile erat in tanta audacia scelerum, aliquid esse, aduersum quod nemo sibi satis potens videretur. Ad conterrendos itaq; eos, quibus innocentia nisi metu non placet, posuere super caput vindicem, & quidem armatum.

* *Lege etiam quæ continuò sequuntur duo capita, 43.44. Fulminator dictus est Iupiter Latinis, Græci κεραύνιον appellauere. Item δεγικέραυνον, quasi coruscantem fulmine. Alicubi etiam δεγικέραυνος dicitur, quasi fulminum princeps, Latini quidam Fulguratorem quoq; dixere. Vide Gyrald. Syntag. 1.*

QVID MEVS ÆNEAS IN TE) Expostulatoria oratio, nam ita queritur de Ioue Venus, vt illum (modestè tamen) cùm inconstantiæ, tum iniustitiæ accuset. Iniustitiæ quidem, quia cùm nihil Troiani in ipsum admiserint, in animaduersione, supplicioque in eos durior, quã æquitas postulet, ipse videatur. Inconstantiæ verò, quia cùm perpetuitatem, summumque imperium pollicitus fuerit, non modò id eis non præstet, sed de eorum vita potius, ac nomine delendo cogitare videatur. Mira profectò est orationis huius varietas, multiplicesque affectus. Modò queritur Venus, modò blandis vtitur verbis: quandoq; iracundiæ ardore flagrat, & contentione disrumpitur: interdum dolet, atque inuidia laceratur. Nascimb.

QVID TROES POT. COMMIT.) Poetæ verbo *possum* cum aliis verbis coniuncto, pro illis ipsis verbis periphrasticè non sine aliqua venustate vtuntur frequentissimè: vt cùm potuisse aliquem dicere, aut facere aliquid, pro, dixisse, vel fecisse scribunt. Ita hic, quid potuit committere? pro, quid commisit? Infrà, Antenor potuit Illyricos penetrare sinus, pro, penetrauit. Plurimis hoc exemplis, è compluribus poetis demonstrat Canter. lib.2.c.2. & nos nõ pauca ex eodem recitauimus Eclog.6. ad illud, *Soluite me pueri, satis est potuisse videri.*

TOT FVN. PASSIS) Quot à scriptoribus rerum Troianarum referuntur. Et ob id dignis, quorum omnes misereantur, non eos insectentur, vt facit Iuno, sic, vt eos toto terrarum orbe conetur excludere. Corrad.

CERTE HINC) Ex Ænea, & Troianis.

OLIM VOLVENT. ANNIS) Annis trecentis triginta tribus minimùm post, vt infrà colligitur. Voluens non ineleganter tum isto loco, tum 1. Georg. in perpessione positum est. *Tardaq; Eleusinæ matris volutia plaustra.* Valet enim, quæ voluuntur, vel quæ voluunt se. Sic voluendus, quod futuri videtur temporis, si Grammaticis credimus, tamen in præterito vsurpatum reperimus, vt 9. Æneid. *voluenda dies en attulit vltrò*, id est, voluta. Et apud Lucret. lib. 6. *Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.* Et lib. 5. *Quo voluenda micant æterni sidera mundi.* Turneb. lib. 30. cap. 19.

REVOCATO A SANG. TEVCRI) Tu pollicitus es, quamuis Troia esset euersa, & sanguis Teucri pæne extinctus, fore tamen, vt sanguis ille quasi restitueretur, & magni duces inde nascerentur.

QVI MARE, QVI TERRAS) Idem dicit, quod infra, *Romanos rerum dominos.* Et lib. 3. *Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris.*

QVÆ TE GEN. SENTENT. VERT.) Videtur vertisse, cum non fierent, quæ erat pollicitus. Repellebatur Æneas ab Italia. Quod dicit, *genitor*, à publica persona ad priuatam venit; vt hoc liberius posset dicere: filiæ enim, & dolenti facilè ignoscit pater. Corrad.

HOC EQVIDEM OCCAS. TROIÆ SOLAB.) Renouat commiserationis affectum per locum communem ex his, quæ præter spem contingunt, nam id omne sibi nunc ereptum esse lamentatur, vnde aliquam præteritæ Troianorum calamitatis consolationem sperabat, quia eadem fortuna, ijsdemq; casibus Troianos adhuc vexari, perturbariq; videt, quibus iam inde ab initio vexati fuerunt. Fatum erat, vt Ilium periret, & fato Æneas in Italiam nauigabat: vnde Romani genus ducturi erant. Hoc est igitur, quod Venus ait, se fatis fata repẽdere, & hoc se solatio vti solitam. Etenim vt ex priori fato dolorem: sic ex altero gaudium capiebat. Nascimb.

OCC. TROIÆ) Sic Cic. 3. Catilin. totius vrbis, & imperij occasum dixit. Hic occasus est materia 2. Æneid.

FATIS CONT. FAT. REPEND.) De fatis Troiæ (plura enim fuerunt) dicemus alibi. Rependens translatio est à pecuniis, quæ olim pendebantur, id est, per libram ponderatæ soluebantur. Apud Ouid. Sappho.

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Cic. dixisset, compensans.

EADEM FORT.) mala & iniqua, qualis fuit à principio.

VIROS) Bonos, innocentes, omni misericordia dignissimos.

QVEM DAS FINEM) Gell. cap. 19. libr. 13. multis in medium adductis exemplis demonstrat, elegantissimos scriptores non tam religiosè Grammaticorum canones secutos, maiorem rationem sonitus vocum, verborumque iucunditatis habuisse. Sed in illo quoque, ait, itidem Virgilij versu: *hæc finis Priami fatorum*, simul vt hic finis dicas, durum atque absonum erit, respuentq; aures, quod mutaueris: sicut illud contrà eiusdem Virgilij insuauius facias, si mutes. *Quem das finem rex magne laborum?* Nam si ita dicas, *quam das finem*, iniucundum nescio quo pacto, & laxiorem vocis sonum feceris.

REX MAGNE) βασιλεὺς μέγας dictus est rex Persarum Iosepho Antiquitat. lib. 11. Herodoto lib. 5. & 8. Xenophont. ἀνάβασ. lib. 1.

ANTENOR POTVIT MEDIIS) *Argumentatio est, à minorum comparatione. Antenor homo ignobilis, & nulla tecum sanguinis communione coniunctus, hostium gladios euadere, in remotas terras saluus peruenire, periculosa loca superare, vrbem condere, vitam in pace finire potuit: nos genus tuum, & quibus cælum promisisti, perpetuis iactamur infortuniis.*] Antenor non Illyricum, non Liburniam, sed Venetiam tenuit. Sed ex Illyrico venit quidam Henetus rex, qui Venetiam tenuit, à cuius nomine Henetiam dictam, posteri Venetiam nominarunt. Ita quidem Seruius: sed aliter longè Liuius lib. 1. ab V.C. Casibus deinde variis Antenorẽ cum multitudine Henetũ, qui seditione è Paphlagonia pulsi, & sedes & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amisso quærebãt: venisse in intimum maris Adriatici sinum, Euganeisque, qui inter mare, alpesque incolebant pulsis, Henetos, Troianosque eas tenuisse terras: & in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur: pagoque inde

inde Troia nomen est: gens vniuersa Veneti appellati. Rectum porrò ordinem seruasse hìc Virgilium, Illyricos ante Liburnos ponendo, docet Modicius cap.23.

MEDIIS ELAPSVS ACHIVIS) Nil mirum, pacis, & reddendæ Helenæ semper auctor fuit, vt inquit Liuius lib.1. Fauisse Græcis, vel ex hisce verbis apud Dictyn. lib.4. deprehendas. Cùm enim Vlysses secunda legatione Helenam repetisset, & illi eam non redderent, omnia, inquit Antenor, quæ memorata à vobis sunt, scientes prudentesque patiemur: neque voluntas bene consulendi abest, si potestas concederetur. Sed, vt videtis, summa rerum potiuntur illi, quibus cupita vtilibus potiora sunt. Antenorem secuti sunt (auctor Dares) duo millia quingenti.

FONTEM TIMAVI) Vt vrbem Pataui, Buthroti. Arbitratur Corradus, poetam dixisse fontem Timaui, quia Timauus nunc mergitur, nunc erumpit, vt Plinius docet: & ita fontes facit, vt fons potius, quàm fluuius esse videatur.

VNDE PER ORA NOVEM VASTO) Nouenarium numerum veteres pro qualibet multitudine ponebant. Nicander duos habentem aculeos, ἐννεάκεντρον vocauit, quod est aculeorum nouem. Sed & alibi in quodam genere scorpionum, quibus septem insunt sphondyli, dixit σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, volens significare πολυδέσμους, ac si dicas, multarum commissurarum, aut colligationum. Idipsum in præconum enneade apud Homerum Iliad.2. annotauit Eustathius. Sed & in nouem bellatoribus Hectori obiectis. Ad quam Græcorum doctrinam, poetam opt. max. respexisse hoc loco contenderim, & in 6. cùm ait. *Et nouies styx interfusa coercet.* Nam cùm Timauo septem ora attribuerent alij, nonnulli etiam nouem, vt Pomponius, alij octo, vnde & multifidum appellauit Timauum Martial. lib.8.

An tua multifidum numerauit lena Timauum,
Quem prius astrifero Cillarus ore bibit,

propterea doctissimus auctor, in opinionum fluctu, nouenarium numerum sibi censuit maximè vsurpandum, vt interiorum litterarum, sicuti frequenter solet, quippiam operi inspergeret, quod illotis (vt aiunt) pedibus ingredientes male feriati quidam aut transiliunt, aut impingunt, scholarum cantilenas insecuti. Eodem modo & Horatianum illud in arte poetica intelligendum, *nonumq; prematur in annum.* Adstipulatur & Theon Arati interpres doctissimus, qui super eo poetæ versiculo, Χειμῶνας μέγα πῆμα, καὶ ἐννέα γηραοκόωνη. ἐννέα, inquit, pro multis poeticè accipiendum: ἤγουν ἡ πολὺ γηραοκόωνη. Rhodigin. libr.22. cap.8. Alciatus Parerg. iuris libr.10. cap.10.

IT MARE PRORVPTVM) Mirantur multi, fluuium à Marone mare appellatum fuisse. Hi mirati desinent, cùm idem à Nicandro factum intellexerint, qui in Theriacis scribit, τὴν δὲ τὸ θρηϊκίθ νομέες ποταμοῖο φέρουσιν, Ὄν πόντον καλέουσι. Turneb. lib.10. cap.11.

HIC TAMEN) Quamuis ille quoque magnas habuerit difficultates, magnosq; labores sustinuerit, ad eorum tamen finem peruenit.

VRBEM PATAVI) Amant poetæ rem vnius sermonis circumlocutionibus dicere. Nam vt hìc vrbem Pataui, pro Patauium, sic suprà fons Timaui, pro Timauus. Et in 3. Buthroti arcem, pro Buthroto. Cic. Verrina 3. ciuitatem Lampsaci. Sic epist.18. lib.5. ad Att. oppidum Antiochiæ. De Patauio his verbis Strabo lib.5. Propius paludes situm est Patauium, omnium eius regionis vrbium præstantissima. In qua aiunt nuper censos fuisse 10. viros equestres, & antiquitus ad bellum mittebat CXX. militum millia. Multitudo etiam mercium, quas Romam ad mercatum mittunt Patauini, cùm aliarum, tum vestimentorum, ostendunt quantum viris, & opibus vrbs ea polleat.

GENTI NOMEN DEDIT) Antenoridas à se appellauit. Vel potius omnes Venetos appellauit, vt habet Liuius. Et sic nomen dedit propemodum, vt Æneas Latinis. Corrad.

ARMAQVE FIXIT) Vt gladiator emeritus. Solebant enim gladios illi suos, & reliqua Herculi suspendere. Horat. *Veianius armis Herculis ad postem fixis.* Seruius.

PLACIDA COMPOSTVS PACE QVIESCIT) Componi dicuntur, qui sepulcris mandantur, & compositi, sepulti. Catull. eleg. ad Mall. loquens de fratre suo, in agro Troiano, tam longe ab Italia humato.

Quem nunc tam longè, non inter nota sepulchra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet a nostro terra aliena solo.

Tacitus Historar. libr. 1. Pisonem Verania vxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispini filia composuere, quæsitis, redemptisq; capitibus, quæ venalia interfectores seruauerant. Et in vita Iulij Agricolæ. Pauciori bus tamen lacrymis compositus: & in nouissima luce desiderauere aliquid oculi tui. Et pergit. Si quis piorum manibus locus, si, vt sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quiescas. Vide præterea infrà, *Antè diem clauso componet vesper olympo.*

NOS TVA PROGEN.) Nos dixit, vt Iouem magis moueret, quum audiret etiam filiam laborare: vel quia matres reuera laborantibus filiis laborant: vel quia qui caussas agunt clientium, vt suas agunt, vt.2. de Orat. præcipitur. *Tua progenies,* ego filia, & Æneas nepos. Corrad.

CÆLI QVIBVS ANNVIS ARCEM) Veneri iam concessa fuerat cæli arx, sed tamen *quibus* dicit, nempe mihi pro Ænea roganti, & illi, vt nepoti.

NAVIBVS (INFANDVM) AMISSIS) Vna tantum amissa erat, fidum quæ vehebat Orontem. Reliquas sciebat esse saluas, vt mox nuntiabit filio. Sed certè à Troianis habebantur pro amissis. *Infandùm,* est interiectio indignantis, vt, miserùm, nefas, turpè, malùm.

VNIVS OB IRAM) Nomen prudenter tacet, & sic maiorem mouet inuidiam. Quasi dicat: cæteri omnes cupiunt Æneam in Italiam venire, sed vnius ira, & furor impedit.

PRODIMVR) Cum contemptu, & stomacho dictum *prodimur,* & habet vim concitandi Iouis aduersus Iunonem, quo nihil est optatius Veneri. Et astutè id seruauit ad finem, ne si fortè hoc ægrè tulisset Iupiter, illius animum initio orationis à se alienaret. Nascimb. *Prodimur,* ambiguum est, vel enim est, expellimur, quasi porrò damur, vt sequentia ostendunt: vel proditione velut hostibus tradimur, quod in filia irata ferri potest. Corrad.

HIC PIETATIS HONOS? SIC NOS) Occupato grauissimis argumentis Iouis animo, Venus apertis, quod aiunt, tibiis in querelam prorumpit, & ira vehementer exæstuans, nimis indulgenter loquitur, & omne prorsus iracundiæ, atq; odij virus effundit. Nascimb.

* *Congruunt cum his Catulliana illa de nupt. Vbi contra Thesèum in querimonia sua Ariadna turpiter deserta.*

At non hæc blanda quondam promissa dedisti
Voce mihi, non hoc miseram sperare iubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos.

IN SCEPTRA REPONIS) Aut reponis dixit pro simplici, quod non est inusitatum poetis, & per sceptra intelle-

intellexit promissum regnum: aut hunc sensum hæc verba continent. Æneas apud Troiam prope regias opes, & auctoritatem habuit: sic tu illi hæc in naufragiis, & calamitatibus tantis scilicet restituis? vel ita dictum est, vt quod infrà sequitur, *illic fas regna resurgere Troiæ.*

Olli subridens hominum sator, atq; deorum,
Vultu quo cælum, tempestesq; serenat,
260 Oscula libauit natæ: dehinc talia fatur.
Parce metu Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes vrbem, & promissa Lauini
Mænia, sublimemq; feres ad sidera cæli
Magnanimum Æneam, neq; me sententia vertit.
265 Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius & voluens fatorum arcana mouebo)
Bellum ingens geret Italia: populosq; feroces
Contundet, moresq; viris, & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
270 Ternaq; transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos voluendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumq; à sede Lauini
275 Transferet, & longam multa vi muniet Albam.
Hîc iam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fuluo nutricis tegmine lætus
280 Romulus excipiet gentem, & mauortia condet
Mœnia, Romanosq; suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi: quin aspera Iuno,
Quæ mare nunc, terrasq; metu, cælumq; fatigat,
285 CONSILIA IN MELIVS REFERET, mecumq; fouebit
Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.
Sic placitum: veniet lustris labentibus ætas,
Quum domus Assaraci Phthiam, clarasq; Mycenas
Seruitio premet, ac victis dominabitur Argis.
290 Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
IMPERIVM OCEANO, FAMAM QVI TERMINET ASTRIS,
Iulius à magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cælo spolijs Orientis onustum
Accipies secura: vocabitur hic quoq; votis.
295 Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana Fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæua sedens super arma, & centum vinctus ahenis
300 Post tergum nodis, fremet horridus ora cruento.

OLLI SVBRID.) Seruatur τὸ πρέπον, & maiestas regia. Regum quippe (vt etiam virorum grauium, atq; sapientum) non est effusè ridere vnquam, sed tantum subridere. Ecclesiast. cap. 21. Fatuus in risu exaltat vocē suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Antiquè dictum olli, pro illi, sicut ollis pro illis. Dicebant autem olla cēturia,

ollus letho datus est, teste Varrone lib. de ling. lat. 6. Est A item hoc verbi apud Cic. lib. de legibus.

VVLTV QVO CÆL. TEMPEST.) Cæli tempestates serenat, componit, fugat, ex turbido serenum reddit solo aspectu, quod est omnipotentiæ argumentum. * *Similem quodãmodo sententiã habent illa Horat. de Augusto, Od. 5. lib. 4.*

Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent.

OSC. LIB. NATÆ) Oscula quidã ὑποκοειςικῶς accipiunt, parua ora. Sic apud Ouid. *videt igne micantis Sideribus similes oculos, videt oscula.* Aptum sanè Veneri, in qua omnes elegãtiæ muliebres: & os paruum ornat fœminam, vastum deformat. Sensus igitur erit, paruum os leuiter contigit ore suo, quod ad grauitatem, pudicitiãq; B pertinet. De Ænea tamen adolescentulum filium osculo impertientem similiter locutus est. Lib. 12. *Summaq; per galeam delibans oscula fatur.* *Natæ* generandi casus potius quàm dandi est.

PARCE METV CYTHER.) Oratio ista Iouis partim purgationem, partim futurarum rerum, earumq; lętissimarum narrationem habet. Cùm autem in exordio parandus sit animus ad audiendum attentè, nemoq; id facere possit, qui in timore est, statim ei metum adimit, & explet animum eius gaudio. Artificium huius orationis perpendit Seb. Regulus. Quomodo veteres dandi casum quarti ordinis maluerint terminari in vocalem u, non üi, vt dicerent senatu, non senatui, docet Gellius lib. C 4. cap. 16. & nos compluribus exemplis rem constabiliuimus. Georg. lib. 4. ibi, *quod nec concubitu indulgent*. Vt autem hìc parce metu, ita infrà dicet, solue metum. Et Dido, *Soluite corde metum, Teucri, secludite curas.* Silius Italicus lib. 3. Annibale iam Alpes penetrante, Venerem Romanorum suorum curam gerentem, ac pro eis apud Iouem supplicantem fingit. Respõdet Iupiter. Responsio ad imitationem cõposita est tota. Principium sic habet.

Pelle metus, neu te Tyriæ conamina gentis
Turbarint Cytherea: tenet, longumq; tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus.

MANENT IMMO. TVOR. FATA) Tui generis. Non D Troianos solum, sed Romanos etiam significat, de quibus erat in fatis.

VRB. ET PROMIS. LAVINI MOEN.) ἐπεξήγησις, est, vrbem, id est, promissa Lauinij mœnia.

SVBLIM. FER. AD SID. CÆLI) Apud Ennium 1. Annali Mars ad Iouem de filio Romulo in deos transferendo, cuius rei aliquando spem fecerat Marti, dicto huiuscemodi, *Vnus erit, quem tu tolles in cærula cæli Templa.* Quem versum Ouid. 2. Fast. vbi similiter Mars Iouẽ promissorum in eodem negotio admonet, opportunè inseruit.

Vnus erit quem tu tolles in sidera cæli,
Tu mihi dixisti, sint rata dicta Iouis.

De apotheosi Æneæ idem Ouid. Metamorph. lib. 14.

Iamq; deos omnes, ipsamq; Æneia virtus
Iunonem veteres finire coercuit iras:
Cum bene fundatis opibus crescentis Iuli
Tempestiuus erat cælo Cythereïus heros,
Ambieratq; Venus superos, colloq; parentis
Circumfusa sui, nunquam mihi dixerat, vllo
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus opto:
Aneaq; meo, qui te de sanguine nostro
Fecit auum, quamuis paruum, des, optime, numen,
Dummodo des aliquod. Satis est inamabile regnum
Aspexisse semel, stygios semel isse per amnes.
Assensere dei: nec coniux regia vultus
Immotos tenuit: placatoq; annuit ore.
Tum pater, est is, ait, cælesti numine dignus:
Quæq; petis, pro quoque petis, cape nata quod optas.
Fatus erat: gaudet, gratesq; agit illa parenti:
Perq; leues auras iunctis inuecta columbis,
Littus adit Laurens, vbi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius vndis.
Hunc iubet Æneæ quæcunq; obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exequitur Veneris mandata, suisq;,
Quidquid in Ænea fuerat mortale, repurgat,
Et respergit aquis: pars optima restitit illi.
Lustratum genetrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia, cum dulci nectare mista
Contigit os: fecitq; deum, quem turba Quirini
Nuncupat indigetem, temploq;, ariscq; recepit.

TIBI FABOR ENIM) Tanquam filiæ, quod alteri non dicerem.

TE CVRA REMORD.) Sæpius mordet, recursans sollicitat.

POPVLOS FEROCES) Quos enumerat lib. 7. qui secuti sunt Turnum, & Rutulos. Ferox propemodum valet, quod animosus, elatus, superbus: non, vt vulgus putat, crudelis, aut inhumanus. Quod exempla ex bonis auctoribus latinę linguæ declarabunt. Pauca producam. Horat. Ode 4. lib. 4. *nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam.* Cic. epist. 8. lib. 4. Sed miserius C nihil, quàm ipsa victoria: quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit. Catull. de nupt. *Marte ferox Theseus*, id est, morte Minotauri elatus. Liuius lib. 1. Pastor accola eius loci, nomine Cacus, ferox viribus. Ibidem. in eum hæc gloriantem, cum globo ferocissimorum iuuenum Romulus impetum facit. Sallust. Iugurth. Vt ille, qui nunc sceleribus suis ferox, atque præclarus est. Ex Lamb. in Horat. inde, qui volet, plura petat.

MORES, ET MOEN. PON.) ὕστερον πρότερον, quum prius, vt fieri solet, mœnia quàm mores posuerit.

TERT. DVM LAT.) Hic ordo est. Ponet mores & D mœnia, dum tertia æstas viderit regnantem, id est, illo triennio, quo regnabit, leges dabit, & vrbem ædificabit. Sanè Æneas, vt Dionysius, & Eutropius aiunt, quum tres annos post obitum Latini regnasset, quarto & ipse anno post bellum moritur. Corrad. De excessu Æneæ Liuius lib. 1. paucis in hæc verba. Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam vltimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcunque eum dici ius, fasque est, super Numicum flumen, Iouem indigetem appellant. Dionysius verò ita memoriæ prodidit. Commisso acri prælio, haud procul à Lauinio, atque multis vtrinque cæsis, exercitus superueniente nocte sunt separati. Æneæ autem corpus nusquam apparens, alij in deos translatum, alij in fluuio, iuxta quem præ- E lium fuit, esse submersum putant. Eiique Latini templum construxerunt tali inscriptione, πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὁ ποταμοῦ νομικίου ῥεῦμα διέπει. Patris diui terrestris, qui fluuij Numici vndas gubernat. Cur autem Aeneæ multis in locis sepulchra narrentur, & monstrentur, cùm vnus & idem pluribus locis sepultus esse nequeat, caussam vehementer probabilem affert idem Dionysius.

AT PVER ASCANIVS) Dictus est ab Ascanio Phrygiæ fluuio, vt Seruius putat. Iulus verò à prima lanugine, quæ ἴυλος Græcis. Ab Iulo autem Iulia gens nomen duxit. Ab Ilio dictum Ilum, quis non videt?

DVM RES STETIT ILIA REGNO) Dum regnum Ilij fuit incolume. Res pro regno, & imperio positum etiam lib. 3. *Postquam res Asiæ, &c.*

TRI-

TRIGINTA MAG. VOL. MENS.) Triginta annos Ascanius apud Albam longam regnabit. Mirificè ludit Ausonius in numero tricenario per circuitionem sæpissime efferendo, epist. ad Theonem, à quo 30. ostrea dono acceperat, pauca, vt sibi quidem videbatur. In illis periphrasibus etiam hic locus est, vt ille in 3. *Triginta capitum fœtus enixa iacebit.* Animi caussa aliquot exempla subiungentur.

Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygij numerata decennia belli.
Cornibus à primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus.
Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat,
Dardaniusq; nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.
Quot genuit fœtus Albana sub ilicibus sus, &c.

Hunc, & alios non paucos lusus ingeniosè, & lepidè ludit ille Ausonius. In quo genere vtinam iuuentus nostra se exerceat.

MAGNOS VOLVEND. MENS. ORBES) Anni περίφεροις est. Sunt autem duodecim menses in anno solari. Magnos orbes vocauit, quasi cum lunæ orbibus compararet.

REG. AB SED. LAVIN.) De regno ab sede Lauinij Albam translato Varronem audi, lib. 4. de ling. lat. Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lauinium. Nam ibi dij penates nostri. Hoc à Lauinia appellabatur. Hinc post 30. annos oppidum alterum conditur, Alba: id ab sue alba cognominatum. (Concinit & Propert. lib. 4. *Et stetit Alba potens, albæ suis omine dicta.*) Hæc è naui Æneæ cum fugisset Lauinium, 30. parit porcos. Ex hoc prodigio post Lauinium conditum annis 30. hæc vrbs facta, propter colorem suis, & loci naturam Alba longa dicta. Hinc mater Romuli Rhea: ex hac Romulus, hinc Roma.

Liuius similia lib. 1. ab. V. C. Is Ascanius, vbicunq;, & quacunq; matre genitus (certè natum Ænea constat) abundante Lauinij multitudine, florentem iam (vt tum res erant) atque opulentam vrbem matri, seu nouercæ reliquit: nouam ipse aliam sub Albano monte condidit: quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis, longa Alba appellata. Inter Lauinium, & Albam longam coloniam deductam, triginta ferme interfuere anni. Vide item lib. 3. *Triginta capitum fœtus*, &c. Iuuenal. Sat. 12.

------iam deficientibus Austris
Spes vitæ cum sole redit: tum gratus Iulo,
Atq; nouercali sedes prælata Lauino
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis,

LONG. MVLT. VI MVN. ALBAM) Prodigium de simulacris penatium, Lauinium repetentium, etiam secundò, lege apud Dionysium lib. 1.

HIC IAM TERCENT. T. REG. AN.) Arnobius lib. 2. longe plures annos numerat. Quot, inquit, apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis. Sed cur poeta hunc numerum maluerit, tercentum, vide. Corrad. * *De numero tricenûm annorum nulla est inter scriptores discrepantia. Supra hos alij plures, alij pauciores ponunt. Quod quidem Virgilius minime ignorauit. Sed eos vel tanquam minoris momenti sciens prætermisit, vel rotundo numero carmen rotundius facere voluit.*

GENTE SVB HECTOREA) Troiana, seu forti, qualis Hector fuit.

DONEC REG. SACERD.) Syluia, Ilia, Rhea Numitoris regis Alb. filia, & ob id regina. Respexisse huc videri potest Statius lib. 1. Syluar.

Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ,
Imperij Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?

Verba sunt Veneris.

MARTE GRAVIS) Id est, grauida ex Marte. Eclog. 1. *Non insueta graues tentabunt pabula fœtas.* Sibylla apud Tibullum libr. 2. eleg. 5. in prædictione sua apud Æneam.

Te quoq; iam video Marti placitura sacerdos
Ilia Vestales deseruisse focos:
Concubitusq; tuos furtim, vittasq; iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.

De satu, & partu Romuli, vide initium 3. Fast. & Liuium lib. 1. cuius in præfatione quidem verba sunt huiusmodi. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas, & ad deos referre auctores, ea belli gloria est pop. Rom. vt cum suum, conditorisque sui parentem Martem potissimùm ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Horat. Ode 3. lib. 3. de Romulo. *Troica quem peperit sacerdos.* Troicam sacerdotem nuncupat, quod sacerdotio Vestæ præesset, cuius sacra in Italiam Æneas attulit, quod vt faceret, ab Hectore illi secundùm quietem præceptum est lib. 2. Æneid. Idem Horat. Ode. 8. lib. 4. Iliæ Mauortisque puerum vocat, id est filium. Cic. 1. de nat. deor. Martis cum Ilia complexum vt fabulosum itridet. Sunt qui procorum quempiam fuisse putent: Martem vero nominatum, quia deus auctor culpæ honestior videretur, vt Liuius habet. Quidam ipsum Amulium patruum armis ad Martis speciem indutum. Alij Genium loci, alij sacerdotem, seu Pontificem. Vide Dionys. lib. 1. Fuit & illa caussa fingendi Martem Romuli patrem, vt originem vrbis suæ augustiorem facerent (si à diuina stirpe condita crederetur) & animos propter eandem fidem, & cælestis auxilij fiduciam ad ardua quæque extimularent.

LVPÆ FVLVO NVTRICIS TEG. LÆT.) Romulum quidam à ficu ruminali, alij, quod lupæ ruma nutritus, appellatum esse, ineptissimè scripserunt. Quem credibile est à virium magnitudine, vt & fratrem eius Remum appellatos. Festus. Quis fuerit pellium vsus apud priscos mortales, & quando cæperit, eruditè admodum disputauit Magius lib. 3. cap. 7. quem leges. De expositione Romuli, & Remi agetur lib. 8. sub finem, ex Ouid. De nutrice lupa sic Iustin. lib. 13. Sed fortuna origini Romanæ prospiciens, pueros lupæ alendos obtulit: quæ amissis catulis, distenta vbera exinanire cupiens, nutricem se infantibus præbuit, quum sæpe ad paruulos, veluti ad catulos reuerteretur. Eam sic affatur Propert. lib. 4. eleg. 1.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo?

Multo autem plenius, & fusius Plutarchus de virtute Romanorum. Verum enimverò, genitos eos (Romulum & Remum) tyranno interimere volente, fortunæ beneficio suscepit non barbarus, non trux facinoris minister, sed clementia quidam, & humanitate præditus, ita vt ne interficeret. Lupa tum forte orba, lacte exuberans, districtisque supra modum grauata vberibus, leuari onere cupiens, infantibus amplexabunda incubans, sugendas papillas præbuit. Auis autem sacra, quam picum Martium vocant, ad eos ventitans, leniterque eis insidens, eorum oscula vnguiculis diducens, in ea turundam indebat, consueti sibi cibi. Propterea ruminalem

nalem caprificum nominarunt, priſcis vtique Latinis rumam papillam vocitantibus, quam lupa ingeniculata infantibus ſummiſerat. Ex eo factum, vt loci illius accolæ diu infantes nullos omnino exponerent, ſed omnes, quotquot geniti eſſent, tollerent, in Romuliq; honorem, & imitationem educarent.

Romuli nutrix lupa honoribus eſt affecta diuinis. Et ferrem, ſi id animal ipſum fuiſſet, cuius figuram gerit. Auctor eſt Liuius, Larentiæ eſſe ſimulacrum: & quidem non corporis, ſed mentis, ac morum. Lactant. lib. 1. cap. 20. Verba Liuij ſequuntur. Tenet fama, cum fluitantem alueum, quo expoſiti erant pueri, tenuis in ſicco aqua deſtituiſſet, lupam ſitientem ex montibus qui circa ſunt, ad puerilem vagitum curſum flexiſſe: eam ſummiſſas infantibus adeo mitem præbuiſſe mammas, vt lingua lambentem pueros magiſter regij pecoris inuenerit. Fauſtulo nomen fuiſſe ferunt. Ab eo ad ſtabula Larentiæ vxori educandos datos. Sunt qui Larentiam vulgato corpore lupam inter paſtores vocatam putent, inde locum fabulæ, ac miraculo datum.

Affinis eſt valde Romuli Remique expoſitioni, nutrici, inuentioni, educationi, cum ſua expoſitione, nutrice, inuentione, educatione Cyrus Aſtyagis Medorum regis, ex Mandane filia, & plebeio Perſa nepos. Lege Iuſtinum lib. 1. De nutrice, eius verba proponam. Paſtor reuerſus in ſyluam, inuenit iuxta infantem canē fœminam, paruulo vbera præbentem, & à feris alitibusque defendentem. Verùm vt ideo à lupa lactati memorantur Romulus & Remus, quia Larentia Fauſtuli paſtoris vxor, quæ eos aluit, lupa fuit, vulgato ſcilicet inter paſtores corpore, vt ait Liuius: ita Cyri nutrix dicta eſt fuiſſe canis, quia Perſæ, nomine Spacos & nutricem, & canem exprimunt: quod & Iuſtinus tradidit. Hoc poetæ frequenter ſolent, vt quæ geſta ſunt verè, obliquis figurationibus, vt Lactantius loquitnr, lib. 1. cap. 11. in alias ſpecies cum decoro aliquo conuerſa traducant. Præter Romulum, & Cyrum à beſtiis nutritos, refert Ælianus libr. 12. cap. 24. var. hiſtor. etiam Thelephum Agaues & Herculis filium à cerua: Peliam Neptuni, & Tyrûs ab equa: Alexandrum Alopes, & Priami ab vrſa: Ægiſthū Thyeſtæ, & Pelopiæ à capra lactatum. Denique exempla expoſitorum, & à beſtiis nutritorum infantium recenſet aliquam multa Hyginus cap. 252. & Alex ab Alex lib, 2. cap. 31.

Impius videtur fuiſſe Romulus, dum ornari voluit potiſſimùm pelle lupæ, à qua fuiſſet nutritus. Imo ſe gratiſſimùm in hoc oſtendit, qui nutricis ſuæ pellem etiam mortuæ geſtare voluerit, vt diphtheram Iupiter, & quidem tum, cum rex Romanorum nondum eſſet: nam poſtea trabea eſt vſus. Vide plura apud Corrad.

** Haud ita diuerſum ab hoc facto Romuli, quod Veſpaſianum Auguſtum de poculo auiæ ſuæ fecisse mandauit literis Sueton. cap. 2. Auiæ paternæ memoriam (Tertullæ videlicet) ſub qua fuerat educatus, tantopere dilexit, vt ſolemnibus ac feſtis diebus poculo quoq; eius argenteo potare perſeuerauerit. Vterq; igitur re nutricis ſuæ latus, ille corio, hic poculo.*

ROMVLVS EXCIPIET GENTEM) Excipiet, vt quaſi rurſus excitet gentem Hectoream, tunc pæne cadentem, & deficientem, Numitore iam ſene, & orbo: quippe cuius filium Lauſum Amulius interfecerat. Corrad.

MAVORTIA CONDET MOENIA) Oppidi mœnia faciet bellica, quæque vim hoſtilem facilè ſuſtinere poterunt. [*Quanquam non de muris magis, quibus circumdaretur vrbs, quam de ipſis, qui mœnibus continerentur, id eſt de ciuibus loquitur poeta, qui reuera fuerunt Mauortij, hoc eſt, virtute, & diſciplina militari excellentes, & victores omnium gentium. Atq; hi progenies, & poſteritas Romuli.*] Meritò igitur apud Ennium 2. Annal. populus Rom. inter cætera Romulum ſibi ereptum cum gemitu ſic compellat.

------ô Romule Romule dic ô
Qualem te patriæ cuſtodem dij genuerunt?
Tu produxiſti nos intra luminis oras.

Non enim tantum ſeruauit oppidum Romam ne planè periret: ſed & quod alioqui exiguum, vile, & interitui proximum, vrbem fecit magnam, vt tempora ferebant, validam, & toti orbi æuiternùm imperaturam: incolaſque vilius latentes produxit in lucem, & orbis conſpectum. Hæc homo doctus in frag. Ennij. Qui noſſe vult varias opiniones de conditoribus Romæ vrbis, item de tempore, quo condita fuerit, Dionyſium adeat libr. Antiq. 1. conditam poſt captum Ilium anno 432. refert idē lib. 2. & qui cum Romulo condere cœperint, fuiſſe pedites ter mille, equites circiter trecentos. Eundem morientem reliquiſſe peditum 45. millia, equitum fere mille.

ROMAN. SVO DE NOM. DICET.) Quid Romanos, & Romam, de nomine Romuli dictos adiungit Maro, dicemus ex Liuio ſuper ea re, deinde verſus Ennij eiuſdem argumenti ex libr. 1. Diuinat. apud Ciceronem proferemus. Interuenit deinde his cogitationibus auitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen, coortum à ſatis miti principio: quoniam gemini eſſent, nec ætatis verecundia diſcrimen facere poſſet: vt dij in quorum tutela ea loca eſſent, auguriis legerent, qui nomen nouæ vrbi daret, qui conditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Remus Auentinum ad augurandum templa capiunt. Priori Remo augurium veniſſe fertur, ſex vultures. Iamque nuntiato augurio, cum duplex numerus ſe Romulo oſtendiſſet, vtrūque regem ſua multitudo conſalutauerat: tempore illi præcepto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congreſſi, à certamine irarum ad cædem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama eſt, ludibrio fratris Remum nouos tranſiliuiſſe muros: inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adieciſſet: ſic deinde, quicunq; alius tranſiliet mœnia mea, interfectum. Ita ſolus potitus imperio Romulus: condita vrbs cōditoris nomine appellata. Prodeat nunc Ennius ille τεωάρδιος: ſic enim gloriatus eſt, tria ſe corda habere, quod tribus linguis loqui ſciret, latina, græca, oſca.

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam ſimul auſpicio, augurioq;:
Hinc Remus auſpicio ſe deuouet, atq; ſecundam
Solus auem ſeruat. At Romulus pulcher in alto
Quærit Auentino, ſeruans genus altiuolantum.
Certabant, vrbem Romam, Remurámne vocarent:
Omnis cura viris, vter eſſet Endoperator
Exſpectant. Veluti Conſul cum mittere ſignum
Vult, omnes auidè ſpectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibus currus:
Sic exſpectabat populus, atq; ora ferebat
Rebus, vtri magni victoria ſit data regnis.
Interea ſol albus receſſit in infera noctis.
Exin candida ſe radiis dedit icta foras lux,
Et ſimul ex alto longè pulcherrima præpes
Læua volauit auis: ſimul aureus exoritur ſol,
Cedunt ter quatuor de cælo corpora ſancta
Præpetibus hilares ſeſe, pulchriſq; locis dant.
Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora,
Auſpicio regni ſtabilita ſcamna, ſolumq;.

Qui præterea varias opiniones vult noſſe, vnde vrbi Romanæ facta ſit appellatio, legat Dionyſ. libr. 1. Plutarch. in Romulo. Solin. lib. 1.

HIS EGO.N.M.RER.) Quadam periphrasi hocidem Silius lib.7.

Tum pius Æneas terris iactatus & vndis,
Dardanios Ituala posuit tellure penates.
Dum cete innabunt ponto, dum sidera cælo
Lucebunt, dum sol Indo se littore tollet,
Hic regna, & nullæ regnis per sæcula metæ.

Ouid.2.Fast.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spacium est vrbis & orbis idem.

Imperium Romanum, orbem appellat præter Spartianum, Lampridium, Marcellinum, & alios eius ætatis scriptores Optatus Afer lib. 3. de dogmate Donatistarum. Sed in montem Sion, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem Romanum caput tulit sub toto cælo, &c. Orbem porrò pro ditione & imperio antiquioribus temporibus dictum inuenio. Ouid. Metam. sub Minois persona.

Certè ego non patiar Iouis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Plin. quoque lib.12.cap.12. pro regione vocem hanc accepit, inquiens, In nostro orbe proximè laudatur Syriacum, &c. Quare non rectè Hegesippus lib.2.cap.9. orbem Romanum appellatum, quia toti orbi imperarunt. In ipsorum quoque nomen, ait, elementa transierunt, in quos etiam transiuit orbis terrarum. Deniq; à plerisque Orbis Romanus appellatur. Non est satis assecutus caussam appellationis Hegesippus, vtpote nec Latinæ linguæ satis gnarus, parumque versatus in Latinis auctoribus. Nam etsi ditionis Romanæ amplitudo id nominis exigere videretur, nihilominus cum & Cretam insulam præ Romano imperio exiguam, Minois orbem dici conspiciamus, vox huiusmodi ad imperium videtur aliquo pacto pertinuisse, quòd ditio, quatenus progrederetur, limitibus quasi in orbem circumscribi soleret. Magius lib.4.cap.5.

NEC TEMP.PONO) Quod imperium Romanum quemadmodum rerum, ita neq; temporis metas habiturum crederent, ipsam quoque vrbem Romam omni æuo mansuram crederent, epitheton ei ÆTERNA addiderunt, vt nimirum vrbem æternam vocarent. Vide annotat. in dial. meum 6. secundę tertij. Ad carmen hoc, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono*, facit quod Halicarnasseus habet in proœmio suarum Antiquitat. Romanos enim omnibus ciuitatibus & gentibus cum rerum gestarum, tum imperij magnitudine ac diuturnitate antecelluisse. Per collationem cum Assyriis, Medis, Persis, Macedonibus, Græcis, (inter quos principatum tenuerunt Athenienses, Lacedæmonij, Thebani) disertissimè docet. Idem hanc vrbem iustissimè τὴν ἡγεμόνα γῆς καὶ θαλάσσης ἁπάσης πόλιν, terrarum marisq; principem nuncupat.

QVÆ MARE, TERR. CÆLVMQVE FATIG.) Fatigat, exponit Nonius commouet, perturbat. Ipsa fatigabat, quia caussa erat, cur venti cælum, & terram miscerent. Prouerbialis hyperbole de his, qui in aliquo negotio omnia perturbant, omnemque lapidem mouent, vt illud perficiant. Idem est, cælum terramque miscere. Sed Iunonis factum extenuat Iupiter, cùm ait, *metu*. Nam Troianos ob id maximè persequebatur, vti etiam supra dictum est, quod Carthagini suæ ab eorum posteris excidium metuebat. Apud Horat. autem Ode 3.lib.3. in consilio deorum introducitur fata Romanorum canere, nempe summam illorum potentiam, Romuli ὑποθέωσιν, cui ne se quidem aduersaturam promittit, hac lege, ne Troiam reparare velint, hoc enim se A neutiquam passuram. Versiculos, quoniam & ad superiorem, *His ego nec metas rerum, nec tempora pono*, Et ad mox secuturum, *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam*, illustrandos mirè quadrant, recitabo.

----protinus & graues
Iras, & inuisum nepotem
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo: illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum,
Dum longus inter sæuiat Ilion,
Romamq; pontus: qualibet exules
In parte regnanto beati,
Dum Priami, Paridisq; busto
Insultet armentum, & catulos fera
Celent inulta: stet Capitolium
Fulgens, triumphatisq; possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda latè nomen in vltimas
Extendat oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Quà tumidus rigat arua Nilus.
Quicunq; mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
Quà nebulæ, pluuiiq; rores.

B

C

Sequuntur minæ, & interdictum de Troia non restituenda, seu reædificanda.

CONSILIA IN MELIVS REF.) Tempore belli Punici secundi, Iuno fauere cœpit Romanis, vt hoc loco ait Seruius.

ROMANOS RER.D.GENT.TOGATAM) Magnam generositatem præ se fert numerus, quoties primas, medias, & vltimas versus partes possederint trisyllaba, vt hîc. Quem contextum & numerum nunquam meo iudicio satis laudare quisquã poterit. Iouian. Actio. Hunc versum profert in Octauio Sueton. cap.40. Etiam habitum, inquit, vestitumq; pristinum reducere statuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus, & clamitans ait. En, *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam*. Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circoúe, nisi positis lacernis togatum consistere. Lege etiam Crinit. lib.3. cap. 7. & de toga diligentissimè, ac disertissimè scripta à Lipsio Elector. lib.1. cap.13. Et Bud. annotat. poster. in Pand. Ex oratione Aristidis Tom.1. qua Romam laudauit, permulta ad potentiam Romanorum declarandam petere licebit. Pauca subtexam. Quod enim de Asia dixit auctor quidam, quantamcunq; sol peragraret regionem, huic vnum imperare regem (id quod falsò protulit, quãdoquidem Africam totam, atq; Europam solis ortu, & occasu exemit) id iam verum est effectum, quando & solis cursus vestro est æqualis imperio, & vestram vrbem sol peragrat. Infrà. Quid quod nihil vos effugit, non vrbs, non gens, non portus, non locus vllus, nisi quem pro inutili habueritis? Disertè etiam demonstrat lib. 17. in calce Strabo ex tribus mundi partibus, Europa, Africa, & Asia, quomodo Romani sint rerum domini.

D

E

Illa in 7. à Fauno, consulenti se Latino filio dicta, præclarè cum his consentiunt, & locos cum locis non eiusdem modò scriptoris, & Virgilianos cum Virgilianis, sed diuersorum quoque in eodem argumento inter se comparare, negotium fructuosum fuerit.

Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum

Nomen in astra ferant, quorumq; à stirpe nepotes
Omnia sub pedibus vertiq;, regiq; videbunt.

Eiusmodi est etiam hoc Ouidij è lib. Fast. 4.

Vrbs oritur (quis tunc hoc illi credere possit)
Victorem terris impositura pedem.

Tibull. lib. 2. eleg. 5.

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quà sua de cælo prospicit arua Ceres:
Quaq; patent ortus, & quà fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Horatius Ode 15. libr. 4. Augustum miris laudibus efferens.

Et veteres reuocauit artes,
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere vires, famaq; & imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis, ab Hesperio cubili.

Cic. Philipp. 6. Non modò hic latro, quem clientem habere nemo velit, sed quis vnquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se pop. Rom. victoris dominiq; omnium gentium patronum dicere auderet? Eiusdem generis sunt illa Philip. 3. Et amplissimi orbis terræ consilij principes vos esse aliquando recordamini. Ibidem Nos principes terrarum, omniumque gentium. Philipp. 6. Pop. Rom. victoris, dominique omnium gentium. Et ad finem. Pop. Rom. seruire fas non est, quem dij immortales omnibus gentibus imperare voluerunt.

His verbis, *Romanos rerum dominos*, &c. Romæ pietatis nostræ principatum, & in togata præcipuè gente constituendum (vt Euangelicam interim veritatem prætereamus) vel Maro ipse supremæ intelligentiæ actus spiritu diuinauit, dum Iouem inducit asserentem, *Romanos rerum dominos, &c.* cui quidem imperium sine fine concessisset: quippe quòd eorum constitutiones essent in omnem terrarum orbem, vt Theophylacti verbis vtar, exituræ, neq; vllo vnquam tempore desituræ. Neque verò mirum in Marone, homine diuini numinis experte, & qui verum pietatis ritum adhuc abditum ignoraret, diuinationis lumen illuxisse: quia verisimile est eum in huiusmodi vaticinio ex veterum arcanis, aut Marci, aut Sybillarum, aut Hetruscorum prædictionem illam excerpsisse. Vel quoniam summus ille spiritus nullum hominum genus, nullam vnquam nationem aspernari compertus est: quare Balaam legimus hominem, & alienigenam, & piorum hostem præclara tot super Israelitarum successu diuinasse. Pierius lib. 45.

VEN. LVST. LAB. ÆTAS) Lustrum apud Latinos, quod olympias à Græcis dicitur, id est, quinquennium, ita tamen, vt quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte, lustrum peractum esse intelligatur. Plin. lib. 2. omnium quidem (si lubet obseruare minimos ambitus) redire easdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verùm & reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium lustri eius semper intercalari anno, caniculæ ortu. Intercalarem annum dixit, quem bissextilem dicimus. Bud. in Pand.

QVVM DOMVS ASSAR. PHTH.) Id est, familia Troiana. Assaracus enim Capyn genuit, Capys Anchisen: vnde Æneas, auctor Romani generis: ex quibus Mummius, qui Achaiam vicit. Seruius. Sic lib. 6.

Eruet ille Argos, Agamemnoniasq;, Mycenas,
Ipsumq; Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Vltus auos Troiæ.

A L. Mummio victore Achaiæ Seruius interpretatur, prærogatiuamque Grammaticorum primæ classis meruit: ego tamen (Turnebus puta, lib. 10. cap. 11.) potius de A Paulo Æmilio intellexerim, à quo victa Macedonia, Thessalia patria Achillis, quæ Macedonum regno parebat, venit in ditionem Romanorum, & Græcia subactis Macedonibus sub imperium Roman. ferè videtur concessisse, etsi antè à Flaminio libertate douata. Atque hac quidem in sententia videtur esse Propertius, quod ad patriam Achillis attinet, cùm ita scribat lib. 4. eleg. 12.

Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quiq; tuas proauus fregit Achille domos.

* *Quemadmodum Virgil. vocat Assaraci domum, id est, familiam, eos qui inde genus ducunt, Romanos nempe: sic Horat. Ode 13. Epod. Assaraci tellurem, ipsam Troiam, cuius oppugnatio Achilli seruata sit.*

TROIAN. ORIG. CÆS. IVL.) Sueton. in Iulio ca. B 6. Quæstor Iuliam amitam, vxoremque Corneliam defunctas laudauit è more pro rostris: sed in amitę quidē laudatione, de eius & patris sui origine sic refert. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternū cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Martij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cærimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges. Turneb. lib. 10. cap. 11. de Augusto, quam de de Iulio Cæsare dictatore mauult sumere, vt sit videlicet Iulius adiectiuum, præsertim cùm sequatur, *Hunc tu olim cælo spoliis orientis onustum Accipies.* Quod si historiæ fidem habemus, Iulio non potest conuenire, Augusto potest. C * *Communis tamen sententia (quidquid Turnebo videatur) de Iulio dictum intelligit. Hunc magnificè prædicat Velleius lib. 2. Hic nobilissima Iuliorum gentis familia, & (quod inter omnes antiquissimos constabat) ab Anchise & Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentissimus, & cætera. digitum intendi.*

IMPERIVM OCEANO FAM. QVI TER. AST.) Anonymus Anthol. lib. 1. in Philippum Demetrij F. regem Macedonum, ἀ δὲ Φιλίππου δόξα πάλαι θείων ἀγκέβαχε δόμων. Ad hoc Virgilian. effinxit suum illud Claudian. in 4. Consulat. Honorij, de Theodosio magno eius patre.

Sed laudes genitor longè transgressus auitas,
Subdidit Oceanum sceptris, & margine cæli D
Clausit opes.

Ad famam Iulij etiam pertinere potest, quod memoriæ consignauit Solinus, cap. 6. Huius ductibus vndecies cēntum, & nonaginta duo millia cæsa sunt hostium. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotari. Signis collatis quinquagies, & bis dimicauit. Ad hæc nullus celerius scripsit: nemo velocius legit: quaternas etiam epistolas simul dictasse perhibetur. Benignitate adeò præditus, vt quos armis subegerat, clementia magis vicerit. Lege Orat. pro M. Marcello, vbi multa dicuntur, quæ illum possunt immortalem facere. Vnam sententiam adduco. Obstupescent posteri certè imperia, pro- E uincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumeuta, munera, triumphos, audientes, & legentes tuos.

HVNC TV OLIM CÆLO) Post multa præclara facinora, multasq; ab eo pop. Rom. sibiq; partas victorias, Cæsari diuinitatem polliceturi. Olim strenuissimi viri, ob rerum gestarum magnitudinem inter deos referebantur, vt Hercules, Theseus, Quirinus, Liber, de quibus Horat. epist. 2. lib. 2.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore, Pollux,
Post ingentia facta, deorum in templa recepti.

De his extat lex duodecim tabul. in hunc modum. Diuos, & eos qui cælestes semper habiti sunt, colunto: illos quos in cælum merita vocauerunt, Herculem, Liberum,

rum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, & illa propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto: nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto. Quòd additur *vocabitur hic quoq; votis*, factum esse, ex 1. Philipp. & Suetonio disci potest. Nascimb. * *De apotheosi Iulij Cæsaris Ouid. 15. Metamorph. in extremo.*

Vix ea fatus erat, media cum sede senatus
Constitit alma Venus, nulli cernenda, suisq;
Cæsaris eripuit membris, nec in aëra solui
Passa recentem animam, cælestibus intulit astris.
Dumq; tulit, numen capere, atq; ignescere sensit,
Emisitq; simul, simul euolat altius ille,
Flammiferumq; trahens spatioso limite crinem
Stella micat.

ASPERA TVM POSITIS) Tum, postquam in cælum receptus fuerit Iulius, & regnare cœperit Octauius.

CANA FIDES) Horat. Ode 35. lib. 1. *Te spes, & albo rara Fides colit Velata panno.* Seruius ait, canam dici, vel quod in canis hominibus inueniatur, vel quod ei albo panno manu inuoluta sacrificabatur, per quod ostenditur, fidem debere secretam esse. Satis ineptè illud, canam dici, quod in canis hominibus reperiatur. Verius, in canis hominibus vt reperiatur, æquum esse. [*Dixisset Seruius, canam dici, quia apud antiquos & vetustos illos mortales reperta sit. Canum, inquit Nonius, dicitur vetus, antiquum. Varro Eumenid. Et ecce de improuiso ad nos accedit cana veritas, Planè,* cana fides, *vt Varroni cana veritas, dictum arbitror.*] Coluisse Romanos Fidem pro dea, testantur Cicero, Lactant. Augustin. Eius ædes in Capitolio fuit, vt Plin. lib. 35. innuit. Cic. 3. Off. Fidem vicinam Ioui in Capitolio. In 2. de nat. deor. ab Attilio Calatino consecratam dicit. Liuius lib. 1. de Numa Pompilio. & soli Fidei sollemne instituit. Adhid sacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iussit, manuque ad digitos vsque inuoluta rem diuinam facere: significantes fidem tutandam, sedemq; eius etiam in dextris sacratam esse. Consule Gyrald. Syntag. 1.

ET VESTA) Vesta potissimùm nominatur, quod Æneas eius sacra secum tulit, & quod Augustus, referente Suetonio, commoda Vestalium auxit, &c. Vide Corrad.

REMO CVM FRATRE QVIRINVS) Curis est Sabinè hasta. Vnde Romulus Quirinus dictus, quod eam ferebat: & Romani à Quirino Quirites. Quidam dictum putant à Curibus, quæ fuit vrbs opulentissima Sabinorum, ita Festus. Per Remum M. Agrippam generum, per Quirinum Augustum intellige, qui eum vt fratrem dilexit, qui & victoriæ socius fuit, & in regendo imperio proximum locum tenuit. Vide plura apud Corrad. * *Populum Romanum Octauio tria obtulisse nomina, Cæsaris, Augusti, & Quirini asserit Seruius, eumq; omnibus vsum diuersis temporibus. Et hoc dicere Suetonium. Certè Sueton. nullum verbum de appellatione Quirini habet, id quod Annotat. in Seruium notauit Beroaldus.*

CLAVDENTVR DIRÆ BELLI PORTÆ) De portis hisce etiam lib. 7. *Sunt geminæ belli portæ*, &c. Diræ, quia nihil bello dirius, per quas reseratas exit. De templo Iani ab Augusto clauso, pace terra mariq; parta, Horat. Ode 15. libr. 4. in Augusti laudibus, *& vacuum duellis Ianum Quirini clausit.* De iisdem portis est apud eundem Satyr. 4. libr. 1. *postquam discordia tetra Belli ferratos postes, portasque refregit.* Id sic explicandum è Plutarcho. Iani templum portas habuisse bifores, vocatumq; esse belli portam. Eius verba sunt in Numa. δεῖ δὴ καὶ αὐτὸ νεὼς ὃν ῥώμῃ δίθυρον, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσι. Turneb. lib. 5. cap. 3. * *Tertia porta, inquit Varro de ling. lat. lib. 4. est Ianualis, dicta ab Iano, & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum à Numa Pompilio, vt scribit in annalibus L. Piso, vt sit clausa semper, nisi cum bellum sit. Ianum porro ab Augusto non semel duntaxat, & tertiò, sed ter clausum probat Lipsius Elector. lib. 1. cap. 20. Quater claussisse narrat Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 14. Constantinus quoq; post Maxentium deuictum, templum hoc claussisse traditur à Marcellino, lib. 16. De Nerone Sueton. cap. 14. Perductum inde in theatrum (Tiridatem regem Armeniæ) ac rursus supplicantem, iuxta se latere dextro collocauit. Ob quæ imperator, laurea in Capitolium lata, Ianum geminum clausit, tam nullo, quam residuo bello. Videri enim voluit, (vt ibidem ait Torrentius) ridiculus Princeps ambitiosa hac Tiridatis ostentatione, terrarum orbem, velut nusquam residuo bello, pacasse. Sollemnia verba, quibus Impp. Ianum à se clausum testarentur, sunt hæc.* PACE TERRA MARIQVE PARTA IANVM CLVSIT. *Vide Brisson. lib. 1. num. 128.*

CENT. VINCTVS AHENIS) *Manilium apparet hæc secum versasse, cum scriberet,*

Sed satis hoc fatis fuerit, iam bella quiescant,
Atq; adamanteis discordia vincta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clausa.

Et Calpurnium Eclog. 1.

Dum populos Deus ipse reget: dabit impia iunctas
Post tergum Bellona manus.]

Videtur Maro his versibus adumbrasse bellum ab Appelle pictum, restrictis post tergum manibus, quam tabulam Augustus in suo foro dicauit. Verba Plinij lib. 25. cap. 4. Super omnes D. Augustus in foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent, & triumphum. Et cap. 10. Pinxit Apelles belli imaginem restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante. Turneb. lib. 10. cap. 11. Dicamus etiam alludere ad simulacrum à Pausania memoratum, Martis apud Spartam vincti, & cathenis hinc inde constricti, manibusq; & spoliis insidentis: eò symbolo spectante, ne Lacedæmone cederet, aut ad finitimos hostes transfugeret. Non ob aliud autem hæc dicere Maronem apparet, quam vt per ænea furoris vincula æternam futuram pacem insinuet. * *Agè, quomodo furorem vinculis solutum depingat in Satyrico Petronius Arbiter, videamus.*

Quos inter furor abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraq; mille
Vulneribus confossa, cruenta casside velat.
Hæret detritus læua Mauortius vmbo,
Innumerabilibus telis grauis, atq; flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

FREMET HORRID. ORE CRVENTO) Compositionis δυσφωνία, ait Rhodigin. libr. 23. cap. 7. hoc est asperitas orationis, plerumq; magnitudinem conciliat: vt apud Homerum totius eloquentiæ auctorem eminentissimum. Αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' ἕκλοει χαλκοκορύστῃ. Et hoc ipsum Maronis, *fremet horridus ore cruento.*

Hæc ait, & Maia genitum demittit ab alto,
Vt terræ, vtq; nouæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret: volat ille per aëra magnum
305 Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris.
Et iam iussa facit, ponuntq; ferocia Pœni
Corda, volente deo: inprimis regina quietum

Accipit

Accipit in Teucros animum, mentemq; benignam.
At pius Æneas per noctem plurima voluens,
310 Vt primum lux alma data est, exire, locosq;
Explorare nouos, quas vento accesserit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) hominesné, feræné
Quærere constituit, socijsq; exacta referre.
Classem in conuexo nemorum sub rupe cauata,
315 Arboribus clausam circum, atq; horrentibus vmbris
Occulit. ipse vno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.

HÆC AIT, ET MAIA) Huc etiam quadrant, quæ de Mercurio posuimus lib. 4. ibi, *Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat*, &c.

NOVÆ CARTH. ARCES) Supra Tyrias arces appellauit. Nouæ autem, quæ tum ædificabantur. Arces propriæ sunt partes vrbis excelsæ, atque munitæ. Nam quæcunq; tutissima vrbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur, ita Isidor. lib. 15. cap. 2.

NEFATI NESCIA DIDO FINIBVS ARCER.) Voluit Iupiter Didonem moneri, ne Troianos hospitio prohiberet, nec insidias, aut quippiam mali regno suo ab illis timeret, quoniam ipsi fato petebant Italiam, ita vt non possent nec deberent de alieno regno occupando cogitare. Ilioneus hoc significauit ibi, *Huc cursus fuit*. Cur igitur se Dido postea iunxit Æneæ? quia cæcus est amor, nec Ilioneus ita fatum expressit, vt Dido potuerit intelligere: & prius amare cœpit, quam ab Ænea intellexit: & ob id, posteaquam Æneas fata in quarto narrauit, vel neglexit, vel non credidit,

----- nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres diuûm fert horrida iussa per auras.

Corrad. * *Cur Troianos finibus arcere posset, caussam ipsamet edit infrà, respondens Ilioneo.*

Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.

REMIGIO ALARVM) De remigio alarum disseruimus aliquid in lib. 6. ibi. *Redditus his primùm terris tibi Phœbe sacrauit Remigium alarum*. Cur hic Iupiter Mercurium non alloquatur, neque ille pedibus talaria nectat, vt lib. 4. caussa est, quod obseruat Corrad. celeritas quam res exigebat, ne Troiani malè multarentur, quod iam fieri cœptum erat à littorum custodibus.

REGINA QVIET. ACCIP.) Politissimus scriptor Arnobius, in placidos sensus, assumpta tranquillitate migrauit. Hoc est quietum, & benignum animum sumere.

IN TEVCROS) Quos de fama nôrat:

MENTEMQVE BENIGNAM) Id est, liberalem, & propensam ad beneficia conferenda: nam benigni à Latinis dicuntur, qui beneficia in alterum conferunt, vnde dicta est terra benigna, id est, fertilis, & benignitas pro beneficentia, & liberalitate accipitur. Vnde, alicui benignè facere. Cic. ad Att. Benignitas amicorum exhausta est. Vbi benignitatem intellexit liberalitatem. Sebast. Reg.

ÆNEAS PER NOCT. PLVR. VOL.) Vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo voluebat, inquit, ni fallor, Sallustius. Sed per noctem voluebat secum plurima noster Æneas. Hoc μυστικῶς putat. ἐν νυκτὶ βουλή, in nocte consilium, vetus est paræmia: siquidem propter rerum quietem, ac silentium ad consultationem opportunum est nocturnum tempus. Plutarchus in Symposiacis, auctore Platone, ait, apud Lacedæmonios nocturnum agi conuentum solitum, ad quem difficiles caussę reiiciebantur. Noctem vocatam εὐφρόνην docet Clemens Alexand. Stromat. lib. 4. quoniam anima tunc conuertitur ad se ipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea sacra quoq; mysteria maximè noctu fiunt, significantia eam, quæ noctu fit, animæ à corpore contractionem. Hoc vir sanctus è Plutarchi fontibus hausit, cuius verba è libello de Curiositate tibi annunumerabo. Siquidem & musæa quàm maxime procul ab vrbe collocabant, & noctem velut amicam intelligentię, vocabant euphronen: videlicet arbitrantes, quietem, & assiduitatem illam, nullis interpellantibus aliarum rerum curis, multum habere momenti ad inuentionem eorum, quæ inquiruntur. Porrò Antonio quoq; noctem fuisse εὐφρόνην Crassus indicat 2. de Orat. his verbis. Nox te nobis, Antoni, expoliuit, hominemq; reddidit. Nam hesterno sermone vnius cuiusdam operis, vt ait Cæcilius, remigem aliquem, aut baiulum nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis, atq; inurbanum. Vitanda est tamen summopere valetudinis bonæ amantibus, illa nocturna, & inquieta præsertim, sollicita, anxia commentatio, siue cogitatio, & cura animi. Celsus præfat. de rerum naturę contemplandæ nimium studiosis: scilicet his hanc (medicinam) maximè requirentibus, qui corporum suorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaq; vigilia minuerunt.

Inter pleraq; Homeri carmina, quæ loco prouerbiorum solita iactari testatur Macrob. illud vel præcipuè numerauerim, quod est Iliad. 2.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
Haud dignum duce id est, noctẽ dormire per omnẽ.

Admonet adagium, vigilantiam ac sollicitudinem potissimùm conuenire Principibus: vt qui tantam negotiorum sarcinam sustineant humeris. Vnde & Virgilius suum Æneam aliis aut dormientibus, aut voluptati indulgentibus, vel vigilantem facit, vel certè excitat, fingitque cogitabundum, sobrium, & de futuris agitantem animo, vt hic, & alibi, *Ænea potes hoc sub casu ducere somnos?* Iterum, *vigilasné deûm gens Ænea? vigila, & velis immitte rudentes*. Agamemnonem Homerus reliquis dormientibus vigilantem solum facit. Iliad. 7. Sic Iouem Iliad. 2. Narrat Plutarch. Comment. Aduersus ducem imperitum, Regi Persarum hunc fuisse morem, vt semper vnum quempiã haberet cubicularium, cui hoc muneris erat mandatum, vt manè regium cubiculum ingressus, his verbis eum expergefaceret. ἀνάστα ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορμάσδης ἠθέλησε. Surge Rex, & negotia cura, quæ te curare Mesoromasdes iussit. Plura Chiliad. * *Xenophon libello de laudibus Agesilai, Ne somno quidem & domino, sed & eo, qui illis curis distento cederet, minimeq; negotium facesseret, & stebatur.*

VT PRI-

VT PRIMVM LVX ALMA) Postquam diluxit, constituit exequi, quod nocte secum deliberârat. Et sanè mature facto opus erat. Ipse autem vadit: tum quod suos loco satis tuto relinquit; tum quod viros strenuos esse nouit, vt etiam absente duce contra vim, si qua ingruisset, se possent defendere.

QVI TENEANT) Tenere loca vsitatum bonis scriptoribus loquendi genus. Ipse noster supra, *Vrbs antiqua fuit, Tyri tenuere coloni.* Infra. *genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.* Liuius lib. 1. ab V. C. Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca. Probus Miltiade. Thraces tum eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. Plura tute collige.

NAM INCVL. VID.) Parenthesis hæc ætiologiam habet, quamobrem dubitaret Æneas, vtrum homines, an feræ tenerent illa loca. Si enim culta vidisser, homines ibi habitare omnino judicasset. Homer. 10. Odyss. ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν, οὔτ' ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα Corrad. * *Contrà Aristippus naufragio eiectus ad Rhodiensium littus, cum in puluere animaduertisset descriptas quadam schemata Geometrica, exclamauit ad comites, bene speremus: hominum enim vestigia video. Quo dicto, nec esse inculta illa loca, & ibi seros homines, id est, doctos habitare indicauit. Vitruuius præfat. lib. 6.*

EXACTA REFERRE) Quæsita, cognita, accepta, vt pecuniæ accipiuntur, cum exiguntur. Vel exquisita, probè explorata. Horat. sat. 4. lib. 2. *Non prius exacta tenui ratione saporum.* Virg. lib. 4. *tempus secum ipsa modumq; Exigit.*

CLASS. IN CONVEXO NEM.) Notarunt quidam Grammatici, poetam 4. Æneid. illis verbis, *tædet cœli conuexa tueri*, conuexa pro concauis dixisse, cum sit conuexum curuum, cauo oppositum, & ita conuexum cœli cerni non possit. Sed tamen tum ex hoc ipso fortasse loco, conuexum significare etiam cauum, intelligi potest, & è Iustino, qui lib. 2. de Xerxe ita scribit. Et montes in planum ita deducebant, & conuexa vallium æquabant. Turneb. lib. 30. cap. 27. * *Nisi quis licentia quadam conuexum pro cauo vsurpari posse & solere contendat.*

VNO GRADITVR COMITATVS ACHATE) Quod fidissimum atq; indiuiduum comitem Achatem Æneæ Virgilius adiungit, μυστικωτέρως est. Ἄχος enim Græcis curam, & sollicitudinem sonat. Quare insinuare voluit, bonum Principem cura & sollicitudine benè imperandi, quod vnum omnium sibi difficillimum videri Diocletianus affirmabat, vacare nunquam oportere. Philosophatur Viperanus hac de re subtilius lib. de rege & regno, cap. 11. quod est de ciuili scientia, quæ humano ingenio, & arte percipi posse non videtur: sed diuino quodam afflatu indigere. Ideo ciuilem scientiam Plato vaticinium vocat, vtpote diuinitus infusam: & sceptrũ, quod Minoi à Ioue collatum Hesiod. scribit, nihil aliud esse putat, quam Iouis doctrinam, qua Cretam diuina quadam ratione gubernauit. Quem ob id Homerus διοτρεφὲς, hoc est (Platone interprete) Iouis familiarem, atq; discipulum vocat, & Achatem Æneæ, quem antè curam interpretati sumus, alij bonum, & diuinum Genium esse volunt, qui præstantibus quibusdam hominibus est præsens, ab illisq; solis conspicitur: vt de suo prædicantem sæpe multa Socratem legimus.

Ex hac Æneæ profectione, seu exploratione nouorum locorũ multam sibi materiem comparauit poeta, vt pulcherrimis episodijs augeret opus suum, & exornaret splendidissimè, matris nempe colloquium, reginæ hospitium, conuiuium, rerum narrationes, reginæ amorem, & miserabilem interitum, quibus rebus quatuor pæne libros impleuit. Sed cur ipse, cur non aliquos potius è socijs mittit, & cur pæne solus? *vno*, inquit, *comitatus Achate.* Respondet Modicius cap. 24. Non ibat exploratum Æneas, vt speculatores faciunt, qui clandestino aditu hostium facta, & consilia non sine magno periculo perquirunt: sed exploratum apertè, qui homines ea loca habitarent, quod ex quouis viatore, qui occurreret, cognoscere licebat, nullum erat bellum, nulli certi hostes. Virgil. in Ænea veterum heroum morem expressit. Theseus, Pirithous, Tydeus, & alij, freti viribus, animiq; præstantia, sine satellitibus peregrinabantur.

BINA MANV LATO) An vero ibi, *Bina manu*, &c. seipsum, auresque suas ignorauit Virgilius? cum enim hac in structura, singulisq; in dictionibus disyllabis primas ad syllabas statuatur accentus, quadrato quasi agmine (quaterni namq; accentus è quaternis illis dictionibus in aciem simul prodeunt) quaterni simul accentus eodem spatio consonant. At nihil generosum habuerit, nihil selectum, si protuleris, *Ferrea cum valida crispans hastilia dextra*, plebeiusq; hic versus fuerit: ille vero Maronianus. Et cum alibi dixit *contra tela furit*: an non poterat, *tela furit contra?* Sed noluit esse in accinendo præproperus. Sic cum dixit, *Turno tempus erit*, Et *Parcæ fila legunt.* Iouian. Actio.

CRISPANS HASTILIA) Crispare Maroni est, quod Homero πάλλειν, hoc versu. Αὐτὰρ ὁ δίῃφι δύω κεκορυθμένα χαλκῷ πάλλων. hoc enim à poeta Græco mutuatus est. Alio loco coruscare dixit, *oditq; moras, hastamq; coruscat.* Hæc Turneb. lib. 23. cap. 14. Sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitũ, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, vt loco diadematis pro insigni regio haberetur. Neq; temere Virgil. Æneas *Bina manu lato crispans hastilia ferro* ingreditur. Et regis filius Pallas apud eundem, *telo rapto volat obuius ipse* Æneæ. Neq; quidem ea solum donari solitos tradunt, qui fortiter in bello fecissent, verùm & Iunonem Curitin ab ea nuncuparunt. Curis enim hasta Sabinis erat, quod iam apud omnes peruulgatum est.

Cui mater media sese tulit obuia sylua,
Virginis os, habitumq; gerens, & virginis arma
320 Spartanæ: vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalice, volucremq; fuga præuertitur Hebrum.
Namq; humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatq; comam diffundere ventis:
Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluentes.
325 Ac prior, Heus, inquit, iuuenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hîc errantem fortè sororum:
Succinctam pharetra, & maculosæ tegmine lyncis,

Aut ſpumantis apri curſum clamore prementem.
Sic Venus. At Veneris contra ſic filius orſus.
330 Nulla tuarum audita mihi, neq; viſa ſororum.
O quam te memorem virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, NEC VOX HOMINEM SONAT. ô dea certe:
An Phœbi ſoror, an nympharum ſanguinis vna?
Sis felix, noſtrumq; leues quæcunque laborem.
335 Et quo ſub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Iactemur, doceas (ignari hominumq; locorumq;
Erramus, vento huc, vaſtis & fluctibus acti)
Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

VIRGINIS ARMA SPARTANÆ) Conſtat ex A Plutarcho in Lycurgo, eadem inſtitutione Gymnaſiorũ, & muſices, cum maribus virgines Lacænas excoli: nuptas autem omnia armorum ſtudia, prioriſq; diſciplinæ deponere ſolitas, & in luxum, otiumque degenerare. Quod cacoethes Ariſt. in lib. de repub. acriter reprehendit, & Plato νομ. ζ. his verbis. ἢ τὸ τούτων δὴ δίχα μέσον, & quæ ſequuntur, recitat German. * *Idem Lycurgus, percunctanti, cur corpora virginum curſu, lucta, diſci, & iaculis iactu exerceret, reſpondit: Vt in valido corpore fœtus validas agens radices pulchre adoleſcat, ipſaq; deinde mulieres robore in partu freta, dolores facile ſuſtineant, atq; ſuperent: Vtque ſi ita neceſſitas poſtulet, pro ſe, ſuisq; liberis, & patria poſſint pugnare.*

Vnde nam fluuio ipſi Eurotæ, regioni Lacedæmoniæ, vrbi Spartæ nomina ſint impoſita, ſic narrat Pauſan. B in Laconicis. Mylete mortuo, Eurotas filius eius in regnum ſucceſſit. Is cum ſtagnantem in campis aquam ad mare alueo deduxiſſet, nulla ſuſcepta virili ſobole, regnum Lacedæmoni reliquit. Erat hic quidem eadem matre genitus, à qua mons nomen accepit. Patrem Iouem ei fuiſſe fama prædicabat. Vxorem vero duxerat Sparten Eurotæ filiam, ac vt primum ad regnum acceſſit, regioni, & incolis omnibus de ſe nomen indidit. Vrbem quam condidit, de vxoris nomine, quod noſtra etiam ætate retinet, Sparten appellauit.

EQVOS FATIGAT) Non ſuos, nec in quibus equitaret ipſa. Nam nec ipſa laudaretur à celeritate, ſi equis vteretur: nec cõparatio quadraret, quãdo hic Venus pedes agnoſcitur, vt, *& vera inceſſu patuit dea:* ſed equos aliorũ, vt Getarum, à quib⁹ captum patrem celerius liberauit, quam de fœmina credi poſſit. Id vero cũ fecit, Getas videtur inſecuta, & equos illorũ fatigaſſe. Corra.

HARPALICE) Harpalyce puto ſcribendum. Fuit & Harpalyce, an hæc, neſcio, virgo quę Iphiclum ardentiſſimo amore cum deperiret, ſpreta, dolore animi confecta interijt, à qua & canticum quoddam harpalyce dicebatur. Turneb. lib. 10. cap. 11.

VOLVCREMQVE. F. P. HEB.) Quod ad comparationem, lege dicta lib. 7. ad finem, vbi & Camillæ celeritas duabus collationibus declaratur. Sed de Harpalyce vt rem melius nôris, verba Hygini recitabimus, mythologiæ cap. 193. Regis Thracum Amymneorum, D nomine Harpalyci filiam fuiſſe dicit, quam ille amiſſa matre, vaccarum, equarumq; vberibus nutriendam curauit, & creſcentem armis exercuit, habiturus ſucceſſorem regni ſui. Poſtmodum nec ſpes paternas puella decepit. Nam tanta bellatrix euaſit, vt etiam ſaluti fuerit parenti. Nam reuertens à Troia Neoptolemus, cum expugnaret Harpalycum, grauiq; eum vulnere affeciſſet, illa periturum patrem impetu facto conſeruauit, fugauitq; hoſtem, &c.

DE MORE) Venantium, præſertim Tyriorum.

HABILEM SVSP. ARCVM) Habilem arcum exponit Seruius, aptum ſexui.

DEDER. COM. DIFFVND. VENT.) De ſparſis capillis Horat. quoq; Ode 10. lib. 3.

Fertur & leni recreare vento
Sparſum odoratis humerum capillis.

NVDA. G. NOD. SIN. COLL.) De Amazoninibus, quemadmodum cingerentur, ſimile quiddam venatricum Spartanarum inuenio apud Curtium, lib. 6. Nec tamen ſinus veſtis, quem nodo colligunt, infra genua deſcendit. Cum verſibus iſtis de habitu Spartanæ virginis & venatricis, compone illos Liuij Andronici in re haud diſpari.

Et iam purpureo ſuras include cothurno,
Balteus & reuocet volucres in pectore ſinus.
Preſſaq; iam grauida crepitent tibi terga pharetra.

Claud. de Diana.

Brachia nuda nitent: leuibus proiecerat auris
Indociles errare comas, arcuq; remiſſo,
Otia neruus agit: pendent poſt terga ſagittæ:
Criſpatur gemina veſtis Gortynia cinctu,
Poplite fuſa tenus.

AC PRIOR, HEVS) Terent. And. P. *Charinum video, ſalue.* CH. *O ſalue Pamphile.* Vbi Donatus, non imperitè Pamphilum priorem loqui fecit, ſed vt fiduciam det Charino loquendi. Quod & Virgilius eleganter, *Heus iuuenes, inquit,* &c. C

MEARVM SORORVM) Sociarum. Exprimit ſe virginem, cum quaſi ſe timere oſtendit, ne vis ſibi inferatur à duobus iuuenibus ſoli, & in ſylua, niſi dicat, ſe ſocias habere in ea ſylua, quæ ſtatim poſſint accurrere, ſi modo inclamarit. Corrad.

APRI CVRS. CLAM. PREMENT.) Premere verbum venatorium eſt, vt & agitare, & excitare, cum feram venator ſequitur, magnoq; clamore canes impellens vrget. [*Lutatius Papinij explanator, Venatores cum inueſtigant, errant: cum perſequuntur, premunt.*] Valerius lib. 8. per metaphoram de Abſyrto Medeam ſequente dixit, *diramq; premens clamore ſororem.* Et Virgil. 3. Georg. *Ingentem clamore premes ad retia ceruum.* Harum locutionum perceptio, gratiam, & venerem addit poemati: D ignoratio, poema ſuis ornamentis ſpoliat, atque nudat. Turneb. lib. 12. cap. 12. lib. 29. cap. 4. * *Perlepide Martialis lib. 11. in epitaphio canis venatorij, apri percuſſu interempti.*

Non me longa dies, nec inutilis abſtulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani:
Fulmineo ſpumantis apri ſum dente perempta,
Quantus erat Calydon, aut Erymanthe tuus.
Nec queror, infernas, quamuis citò rapta ſub vmbras,
Non potui fato nobiliore mori.

SIC VEN. AT CONT. V. S. FIL. OR.) Æneæ matrem eſſe Venerem, confitetur Homerus Iliad. 5.

Αἰνείας δ' υἱὸς μεγαλήτορος Ἀγχισάο
Εὔχεται ἐκγεγάμεν· μήτηρ δέ οἱ ἐς ἀφροδίτη.

Id est, Æneas gloriatur & prædicat se ab Anchisa esse natum, mater autem eius est Venus. Et Sophocles in Laocoonte. νῦν δ' ἐν πύλαισιν αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ. Nunc autem in portis est Æneas deæ filius. Noster lib. 7.

Talia connubia, & tales celebrent hymenæos
Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.

Liuius lib. 1. ab. V. C. ducem Æneam, filium Anchisæ, & Veneris. Lamb. in Lucret. * *Vide infra, ad illud*, quem Dardan. Anchisæ Alma Venus, &c. *Non dispar est illud Tibulli.* Sic ego, sic Bacchi respondit rustica proles. *Quam festiuitatem orationis imitatus est Muretus adolescens illo bellissimo epigrammate, quo magistrum suum Iulium Cæs. Scalig. ab elegantia sermonis collaudauit.*

Dicite mî Musæ cultissima numina nobis,
Quo nam Scaligeri pascitis ora cibo?
Sic ego, sic Musæ: quam te sententia fallit?
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

NVLLA TVARVM AVDITA MIHI) Ἑλληνισμὸς, pro, à me. Horat. Ode 6. lib. 1. *Scriberis Vario.* Ode 7. lib. 2. *& regnata petam Laconi Rura Phalanto.* libr. 1. epist. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camœna.* Ouid. libr. 1. Trist. eleg. 4. *O mihi post vllos nunquam memorande sodales.* Catul. *Pro qua mihi sunt magna bella pugnata.* Virg. 3. Georg. *Cui non dictus Hylas?* Cicer. pro Marcell. Intellectum est enim mihi paulò ante.

NAMQVE HAVD TIBI VVLT. MORT.) Ætiologia dubitationis. Atque in hac re, artificio superat Homerum, qui lib. 6. Odyss. inducit Vlyssem ambigentem quidem, mortalis ne, an dea esset Nausicaa: sed nullis ad id probandum coniecturis vtentem. Quanquam illa mortalis erat, hæc dea. Corrad.

Pro eo ac consueuit, hunc quoq; locum tractat ἀλληγορικῶς Seneca, & eleganter adeo, vt supra nihil possit esse. Hæc igitur sunt eius verba ex ep. 115. *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, ô quàm pulchram faciem, quã sanctam, quam ex magnifico, placidoq; fulgentem videremus: hinc iustitia, illinc fortitudine, hic temperantia, prudentiaq; lucentibus. Præter has, frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitasq;, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. Tum prouidentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, grauitatisq; adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremq;, quam cerni inter humana consueuit, nonne velut numinis occursu obstupefactus resistat, & vt fas sit vidisse, tacitus precetur? Tum auocante ipsum vultus benignitate productus, adoret, ac supplicet: & diu contemplatus multum extantem, supraq; mensuram solitorum inter nos aspici, elatum, oculis miti quidem, sed nihilominus viuido igni flagrantibus, tum demum Virgilij nostri vocem verens atq; attonitus emittat.*

O quam te memorẽ virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat.
Sis felix, nostrumq; leues quæcunq; laborem.

Aderit, leuabitq;, si colere eam voluerimus. Colitur autẽ non taurorũ opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoq; suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia, & recta voluntate. Nemo non, inquam, amore eius arderet, si nobis illam videre contingeret, &c.

O DEA CERTE) Conclusio διλήμματος, aut homo, aut dea es: non es homo, erga dea.

AN PHOEBI SOR. AN NYMPH. VNA) Diana cum esset venatrix, altè succincta erat, vestisq; sinus fluentes nodo supra genu collectos habebat, ex quo & illud à Prudentio pulchrè, sciteq; scriptum est hym. 10. περὶ στεφάνων.

A *Tum quod Dianam mollè succinctam vident,*
Venantis arcum pertimescunt virginis.

Ergo cum Æneas vidisset Venerem genu nudo esse, nodoque sinus fluentes collegisse, esse putauit venatricem Dianam. Proinde interrogauit, *An Phœbi soror.* Turneb. lib. 28. cap. 16. * *Tibullus ad Phœbum.* Sic tua perpetuò sit tibi casta soror. *Mart. li. 9.* Respiciens Phœbum pariter Phœbiq; sororẽ.

Dubitat adhuc quæ dea sit, cum deam esse affirmarit, quamuis à loco, & ab habitu propemodũ putet esse Dianam, aut nympham aliquam. Siquidem Diana eodem habitu vtebatur, & in syluis versabatur: vbi nymphæ quoq; habitant: & ob id addidit, *nympharum sanguinis vna*: quod Homerus omittit, vt alia, quia nolebat
B prorsus putari Nausicaam esse deam, quę dea non esset. Itaque Vlysses incipit à dea, & in hominem desinit, vt multo plura de homine, quam de dea loquatur. Æneas contra incipit ab homine, & paulatim probat esse deam, deinde vt de dea loquitur. Corrad.

ET QVO SVB CÆLO) Sub alio cælo, id est, sub alia cæli parte Latini dicunt: quomodo & cælum mutare dicitur, qui in aliam terram, regionemúe proficiscitur. Idem valet, sub alio sole. Virg. 2. Georg. *Atq; alio patriã quærunt sub sole iacentem.* Horat. Ode. 16. lib. 2. *quid terras alio calentes Sole mutamus?* Et apud Ouid. in alio orbe. *Aut in quo lateas ferreus orbe licet.* Ipse Maro sese explicat, subiicit enim, *quibus orbis in oris.* Ergo alio sub cælo, seu, quo sub cælo? est in alia ora mundi, seu qua
C in ora, siue parte orbis?

TANDEM) Vacat, *tandem.* Sciendum, multas particulas ad ornatum pertinere tantũmodo: vt puta, enim, dum, gentium, locorum, terrarum. Seruius. [*Sed cum cætera satis nota, & sæpe lecta sint, illud*, locorum, *confirmabo testimoniis duorum scriptorum maximi census. Sallust. Iugurth. Tamen is ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat. Plaut. Capt.* Philocrates, vt adhuc locorum feci, faciam sedulò.] Tandem cùm significat aliquando, interdum ex superuacuo ponitur. Vt apud Terent. Phormione cum ait. *Itanè tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo?* Non enim hìc tempus vllum significat. At Cicero etiam duplicat temporalem significationem, cum ait, tandem aliquando. 2. Catilin.

D MVLT. T. ANTE AR. N. C. H. DEXTRA) Locus à gratitudine animi. Apud Homerũ nihil promittit Vlysses Nausicaæ, quia nihil habet, sed Deos rogat, vt ei dent, quæ optat. Et hostiam Æneas tanquam deæ pollicetur, ratus esse deam. Similis est locus lib. 14. Metamorph. sub persona Æneæ ad Sibyllam, nisi quod ibi pro accepto, hìc pro accipiendo beneficio sacrificium pollicetur.

Seu dea tu præsens, seu diis gratissima, dixit,
Numinis instar eris semper mihi, meq; fatebor
Muneris esse tui, quæ me loca mortis adire,
Quæ loca me visæ voluisti euadere mortis.
Pro quibus aërias meritis euectus ad auras
Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honores

E Nascimb.

Proprie hostia, quæ deuictis hostibus mactatur. Festus hoc nomen omni victimæ quæ feritur cõmune docet, quia ferire veteres hostire dixerunt, & ab hostiendo hostia. Seruio auctore, hostię dicuntur sacrificia eorum, qui in hostem pergunt: victimæ sacrificia quæ post victoriam fiunt. Sed hæc, ait, licenter confudit auctoritas.

CADET HOSTIA) Cadere victimam dicunt poetæ, cũ percussa procumbit humi: est igitur sollemne hoc verbum. Tibull. eleg. 1. libr. 1. *Agna cadet vobis.* Propert. eleg. 6. lib. 4. *Et cadat ante meos icta iuuenca focos.* Plura cumulat Brisson. Formular. lib. 1. addit, atq; vt Latini stãtem, & cadentẽ hostiam dicunt, sic & apud Halicarn. li. 7. ἑστῶτος, καὶ πίπτοντος θύματος. Vti vero caderet hostia, & in quã partem, obseruasse veteres, in verbo *piacularia*, Festus docet.

Tunc Venus, HAVD EQVIDEM TALI ME DIGNOR HONORE.
Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoq; altè ſuras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit vrbe profecta,
Germanum fugiens. LONGA EST INIVRIA, LONGÆ
AMBAGES: SED SVMMA SEQVAR FASTICIA RERVM.
Huic coniux Sichæus erat, ditiſſimus agri
Phœnicum, & magno miſeræ dilectus amore,
Cui pater intactam dederat, primisq; iugarat
Ominibus: ſed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, SCELERE ANTE ALIOS IMMANIOR OMNES.
Quos inter medius venit furor: ille Sichæum
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore,
Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanæ: factumq; diu celauit, & ægram
(Multa malus ſimulans) vana ſpe luſit amantem.
Ipſa ſed in ſomnis inhumati venit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris.
Crudeles aras, traiectaq; pectora ferro
Nudauit: cæcumq; domus ſcelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaq; excedere ſuadet:
Auxiliumq; viæ, veteres tellure recludit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido, ſociosq; parabat.
Conueniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat. naues quæ fortè paratæ
Corripiunt, onerantq; auro. portantur auari
Pygmalionis opes pelago. dux fœmina facti.
Deuenere locos, vbi nunc ingentia cernes
Mœnia, ſurgentemq; nouæ Carthaginis arcem:
Mercatiq; ſolum facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.

HAVD EQVIDEM TALI ME DIGN.) Promiſerat ei victimam Æneas, ſacrificium cruentum. Recuſatio autem non tantum eſt ſummiſſionis, vt apparet, ſed etiam cuiuſdam myſterij. Non enim Veneri ſanguine, ſed floribus, & thure ſacrificabatur, vnde ſequitur: *vbi templum illi, centumq; Sabæo Thure calent aræ, ſertisq; recentibus halant*. Proinde & Horatius Ode 19. libr. 1. bene ei verbenas, ceſpitem, & thura promittit. Nannius lib. 3. cap. 8.

Atqui Naſcimbænus hunc locum interpretans, tacito eius nomine refutat Nannium. Sic enim ſcribit. facta ſacrificij mentione, nõ ordine quęſitis reſpondet, ſed illud inprimis de diuinitatis opinione refellere conatur. Niſi enim primùm ſacrificij oblationem renuiſſet, vtique ſe deam eſſe indicium feciſſet. Primùm igitur non primis, ſed nouiſſimis occurrit, cumque virgo, non dea ſit, ſacrificio ſe dignam eſſe negat. Sic locus iſte intelligendus, non vt alij quidam interpretantur. Haud dignor, id eſt, dedignor me tali ſacrificio non quia floribus tantũ delectetur: nã cæde etiam animalium delectari ſolet Venus. Scriptum quippe extat in Græcorum monumentis, Veneri olim ſue litatum eſſe, idque Athenæus Callimachi teſtimonio comprobat lib. 3. Quin etiã Zenodotus refert, eius feſta ὑς νεία, id eſt, ſuilia appellari. Apud Plautum quidam agnis mactatis ſe Venerem ſibi placatam reddidiſſe memorat. Quibus ex rebus facile colligitur, locum hunc ſimpliciter accipiendum, atq; ita intelligendum, ſe, cùm mortalis ſit virgo, ſacrificij honore indignam eſſe.

VIRGINIBVS TYRIIS MOS EST) Æneæ argumentum confutat, à loco, & habitu factum.

PVRPVREOQ. A. SVR. V. COTH.) Cum vſq; ad genua eſſet ſublata veſtis, ideo altos gerebat cothurnos, ne cruribus nudis cerneretur: eosque rubros, quod calceatum eius coloris mulieres amarent. Hinc illud Perſij Sat. 5. *Sole puer obiurgabere rubra*. Et Eclog. 7. *Puniceo ſtabis*

ſtabis ſuras euincta cothurno. Turneb.lib.28. cap. 16. Regulus hoc modo. Purpureo ideo dixit, quia apud Tyrios multi volunt inuentam eſſe purpurã, & eo colore exterrentur feræ, & præcipuè cerui, vel quod Diana hoc colore delectatur, vt in Bucol. *Puniceo ſtabis ſuras euincta cothurno.*

A

PVNICA REGNA VIDES, TYRIOS) Veneris, & Æneæ colloquium, matutino tempore, in ſylua, magno otio, nullo periculo imminente, quàm breue eſt atque expeditum? Petit Æneas de regione, deque incolis doceri. Venus paucis, atq; acceleratis verbis reſpõdens, rerum tamen copia, quanta opus erat, illi ſatisfacit: 30. verſibus, longam & multiplicem hiſtoriam comprehẽdit, vſq; ad illum, *Sed vos qui tandem?* &c. quam neque Homerus, neq; alius Græcorum quiſpiam paucioribus, quàm centum verſibus tam plenè, atq; abſolutè exponere potuiſſet. Hac perſonarum, & negotiorum narratione nihil aptius, elegantius, perfectius, magnificentius, mirabilius deniq; dici, aut cogitari poteſt. Breuis eſt verborum paucitate, plena rerum neceſſariarum copia, diſpoſitione, atque ordine clara, & perſpicua verborum munditia ſuauis, & pura, rerum ſplendore magnifica, quot verba, pæne tot ſententiæ. Deſcribitur regio, docẽtur mores, vnde colonia deducta, reginæ genus. Sunt rerum cauſſæ, ſunt iniuriæ, ſunt euentus inopinati, auari ſcelus tyranni, fœminæ conſilium, ciuium conſpiratio, res celeriter geſta, theſauri exportatio, auari improbitas eluſa, in tyrannum iucunda inſultatio, nauigatio proſpera, longinqua, ſoli callida, atq; aſtuta emptio, vrbis demũ ingentis ædificatio. Deus bone, quis non miretur, quis non obſtupeſcat, tantam nobilium rerum copiam, triginta verſibus, paucis ſcilicet verbis, tam clarè, tamque perſpicuè comprehenſam eſſe? Nullum ineſt verbum, quod idem non ſit à Cicerone vſurpatum, nullum, inquam, verbum aſperum, diſtortum, mutilatũ, vt Homeri pleraque, quibus Demoſthenes nunquam eſt vſus. Structura nõ eſt hiulca, ſalebroſa, ſed æquabilis, concinna, cohærens, profluens. Non ſunt repletiuæ particulę, quibus verſus à Græcis referciuntur. Nihil eſt inane, nihil ſuperuacaneum. Ne minima quidem ſyllaba eſt, quæ ſuperabundet. Nihil eſt licentius dictum, nihil nouum, aut inuſitatum. Omnia deniq; ita ſunt ad vnguem facta, quadrata, & expolita, vt in vniuerſa Græcia narrationem poeticam, quæ cum hac Virgiliana conferri poſſit, reperiri non putem. Modicius.

B

ET AGENORIS VRBEM) Verba illa, *Punica regna vides*, reſponderunt illis, *Et quo ſub cælo tandem, quibus orbis in oris*. Hinc capta occaſione excurrit in hiſtoriam de Didone, & Tyriis.

Agenoris vrbem, quam fecerunt Agenoridæ. Agenor autem rex Phœniciæ. Sic libr. 6. *Et tandem Euboicis Cumarum allabimur oris*. id eſt, ad Cumas, quas fecerunt hi, qui à Chalcide venerãt, Eubœæ ciuitate. Sed quia Tyrij & alibi eſſe potuerunt, apertè regionem oſtendit, laudemq; à re militari adiungit, vt in primo, *ſtudiisq; aſperrima belli*. Seruius.

C

IMPERIVM DIDO) Proprium nomen ei fuit Eliſa, aduentitium Dido. Sic enim dicta eſt ab effectu, quod nimirum virorum opus exercuetit, ſeu res viriles geſſerit. Dido enim virago ſonat.

LONGÆ AMBAGES) Æneas ſollicitus de ſe ac ſuis, longam narrationem audire non poterat, ideo debebat Venus ſtatim per exordium docilitarem, & attentionẽ captare, quod breuiter, & ſũmatim eſſet narratura, quæ ſcire cuperet Æneas. hæc Regulus. Ambages verbum poeticum eſſe arbitror, licet eo vtantur Liuius, & Tacitus. Sed hiſtorici amant, vt ſcimus, verba poetica. Cicero vocat circuitionẽ. Nunc aliquot è poetis exempla referamus. Ouid. 3. Metam. *Præbuerat longis, Pentheus ambagibus aures*. Horat. ep. 7. lib. 1. *ne te longis ambagibus vltra Quam ſatis eſt morer*. Lucret. libr. 6. *& nimium longis ambagibus*. Ibid. *Nec tibi tam longis opus eſt ambagibus vnquam*.

HVIC CONIVX SICHÆVS) Nihil fere harum rerum nõ etiam à Iuſtino, ſed paulò aliter quædam narrantur lib. 18. Sicut etiam nonulla ad mortem eius, Didonis inquam, pertinentia, de qua poeta lib. 4.

DITISS. AGRI PHOENICVM.) Hic Virg. attingit genus illud diuitiarum, quod omnium vetuſtiſſimũ eſt, cum veterum opes in agris, atque in gregibus pecorum poſitæ eſſent. Regulus.

CVI PATER INTACTAM) Intactam, id eſt virginem. Horat. Ode. 7. lib. 1.

Sunt quibus vnum opus eſt, intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuo celebrare.

Catull. carm. nupt. *Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit*. Helena Paridi apud Ouid. de Theſeo, à quo ſe virginem reſtitutam affirmat, fuerat enim ab eo rapta prius.

Reddidit intactam, minuitq; modeſtia crimen,
Et iuuenem facti pœnituiſſe patet.

Dicitur autem κυειδία Græcis, quæ virgo nupſit. Vnde apud Homerum 1. Iliad. κυειδίη ἄλοχος, τουτέστι παρθενικὴ, γυνὴ, ſiue, ἥντις κόρην ὕσαν ἠγάγετο, & κυειδίαι ἠυγένειες. πόσις κυείδιος, ὁ ἐκ παρθενίας γεγαμηκὼς γυναῖκα. German. * *Virgo intacta, aliàs intemerata, quomodo Camillam noſter appellat lib 11.*

--------- ſola contenta Diana
Æternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit.

Terentio integra à viro. Pulchre Lucilio, ſignata, quaſi dicas, clauſa. Tertull. lib. de veland. virgin. Euam iam Adamo libatam, dicit virginitatem reſignaſſe. Dicuntur præterea virgines dum florem amittunt, imminui. Plautus, imminuere cui piam pudorem. Graci ἀφ-παρθενεύεσθαι, ad verbum, de virginari.

D

PRIMISQVE IVG. OMINIB.) Quid vult primis ominibus iugârat? Solebant olim omina captare in nuptiis: itaque prima omina, primas nuptias intelligit. Cic. lib. 1. de diuinat. Cum vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonio collocare, exiſſe in quoddã ſacellum ominis captandi cauſſa, quod fieri more veterum ſolebat. Turneb. lib. 10. cap. 11. * *Significare vult poeta noſter, Didonem Sichæo commiſſam vxorem, vt ſupra dictum, κυριεύειν quæ antea cum nemine corpus miſcuiſſet: vt ſit epexegeſis, ſeu ſchema ἐκ παρολλήλου intactam, id eſt, primis ominibus: quales iterationes non ſunt inſrequentes poetis. Iugârat quod ait, ſic Catull. de nupt.* Cum Thetidi pater ipſe iugandum Pelea ſenſit.

REGNA TYRI PYGMAL.) Pygmalionis regis, quem infenſum ſibi Dido metuebat, vt hoſtem acerrimum, quamuis frater foret. meminit Porphyrius libr. 4. περὶ ἀποχῆς, vel potius indicat auctorem, qui, quod teſtari volebat, diligenter tradiderit. Is autem eſt Aſclcepiades Cyprius, qui in commentario, quem ſcripſerat de Cypro, ac Phœnice, viuente Pygmalione narrauit cæpiſſe mortales carne veſci: quamuis ſummo ſtudio ipſe nouo huic cibo, ac σαρκοφαγίᾳ reſtiterit, vt ſceleri alicui, ac nefario facto, vſus atrocibus ſuppliciis in eos, qui primi hoc tentarunt: nec tamen guſtata iam ſuauitate carnis, oſtendit homines abſterreri pœnis illis potuiſſe. Nam quod tradit genere ipſum Phœnicem fuiſſe, Cypri tamen regnaſſe, id etiam inſinuauit Maro iſtis verbis, *genitor tum Belus opimam Vaſtabat Cyprum*. Hinc autem intelligitur falſum eſſe quod Seruius illic ſcripſit, Belum Didonis, ac Pygmalionis patrem ſubactam Cyprum conceſſiſſe Teucro: poſſedit namque illam filius. Teucer vero oppidum tantum illius inſulæ tenuit.

E

Hoc prorsus Asclepiadi credi debet, qui in primis callere debuit, quæ in sua terra facta essent. Victor. lib. 12. cap. 12.

ANTE ALIOS IMMAN. OMNES) Quid distet à crudelitate immanitas, quam hîc Pygmalioni tribuit Maro, docet Iouian. libr. 1. de Immanitate hunc in modum. Crudelitas vindictam magis sequitur, nec electione est vacua: immanitas impetu potius rapitur, sponteq; sua fertur in præceps. Item, crudelitas legem humanam, ritusq; tantùm honestos transgreditur: per immanitatem ab homine desciscitur, fitq; ad bestias etiam monstrosas, atque ad illarum rabiem transitio, & est in quibusdam feritas etiam maior, atque violentior. Quænam enim è numero bestiarum mater inuenta est, quæ fœtum medicamentis adhibitis ex vtero eiecerit? aut, ne partitudo ipsa palam fieret, in cloaca suffocauerit editam prolem? aut viuam tellure suffossa condiderit? &c.

QVOS INTER) Inter quos, Pygmalionem scilicet, & Sichæum, de qua explicatione consule Corrad.

ILLE SICHÆVM IMPIVS) Verè impius, quippe qui & sororis maritum innocentem, & ante ipsas aras, in deorum conspectu, à quibus timere repentinam vltionem debuisset, occidit. Huius cædis caussa fuit auaritia, propterea subiicit, *atq; auri cæcus amore*. Vide quid non mortalia pectora cogat auri sacra fames. Et additur occasio, *incautum*, non enim difficile fuit nihil timentem necare. Item spes celandi, *clam*.

SECVRVS AMOR. GERM.) Pygmalionem fuisse securum dicit amorum germanæ, id est, contemptorem, solutum metu, ne pro amore odium consequeretur. Sic, *securi pelagi, atq; mei*, Iuno dicit in 7. atq; 10. *Securus amorum*, priuatus, secretus ab amorum cura. Scal. g. Poet. lib. 4. cap. 16. * *Amorum hic intellige Sichæi, quibus Dido in Sichæum erat inflammata, cui maritus erat charissimus, & quem amabat ex medullis. Pygmalion igitur, quanquam hoc non ignoraret, tamen à scelere meditato non reprimebatur, vt scilicet saltem sorori parceret, quam ex cæde viri, & tam nefaria cæde non dolorem modò, verumetiã morbum posse adipisci erat verisimile. Proinde Scaligeri explanatio*, securus amorum germanæ, *horum verborum, inquam, tolerari non potest.*

FACTVMQVE DIV CEL. ET ÆGR.) Hæc ad astum, & nequitiam hominis significandam pertinent, qui facinus dirissimum tam artificiosè tegere, & sorori fucum facere posset.

IPSA SED IN SOMNIS) παρέλειψις, ne quis quærat, quo pacto sciri potuerit cædes, si clam facta fuit.

INHVMATI) Hoc etiam ad scelus Pygmalionis augendum.

ORA MOD. ATTOLL. PALLID. MIR.) Lucret. lib. 1. *Sed quædam simulacra modis pallentia miris*. Quem versum & hìc imitatus est Virgil. & Georg. 1. *& simulacra modis pallentia miris*. Et 6. Æneid. *Multa modis simulacra videt volitantia miris*. Et lib. 10. *Ora modis Anchisiades pallentia miris*. Congessit Lamb. in Lucret.

CRVD. ARAS) Ante quas crudeliter fuisset interfectus.

CÆCVM DOMVS SCELVS) Occultum familiæ scelus, quoniam ab affine, & cognato erat trucidatus.

CELERARE FVG. PATRIAQVE EXCEDE.) ἐπεξήγησις.

VET. TELL. RECLVDIT THES.) Thesaurus iuxta græcam proprietatem ἀπὸ τῆς θέσεως, à positione, hoc est, à reposito nominatur. Et est nomen ex Græco & Latino compositum, quasi dicas, repositum aurum. Isidor. lib. 16. cap. 17. Sic autem thesaurum definit Paul. Iurecos. lib. 41. Pand. tit. 2. de exquiren. rer. dom. Est quædam vetus depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam A dominum non habeat. Sic enim fit eius qui inuenerit, quòd non alterius sit. Alioqui si quis aliquid vel lucri, vel metus, vel custodiæ caussa condiderit sub terra, non est thesaurus: cuius etiam furtum fit. Nunc in memoriam regredior historiæ cuiusdam facetæ, de Cæcilio Basso, qui Pœnus origine, & se, & Neronem ludificatus est miserè, dum sibi grandem à Didone post conditam Carthaginem thesaurum certo loco humi defossum per quietem nocturnam ostendi credidit, Imperatoremq; eadem vanitate compleuit. Lege Tacitum initio 16. Annal. Rem exponit Sueton. in Nerone, cap. 32. his verbis. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperij etiam spe quadam repentina immensarum, & recon- B ditarum opum impulsus est iudicio Equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui paruula molientium opera.

FVG. DIDO, SOCIOSQ. PAR.) Verè fugam, nõ profectionem, & quidem celerem parabat Dido, propter auaritiam fratris, qui Sichæi thesauros iam spe, & animo deuorauerat, eoque occiso, facilè se iis potiturum arbitrabatur. Sed ereptus est illi bolus de faucibus, & quod captauit, capere non potuit.

CONVEN. QVIB. AVT OD.) Affluxerunt ad Didonem socij, quorum partim oderant tyrannum, partim metuebant. Mirum quare disiungat odium à metu: C cùm notum sit illud, *quem metuunt, oderunt*. Poterat ergo iisdem esse odio, quibus metui. Sed quanquam hoc ita est, tamen poeta odium videtur illis tribuere voluisse, qui ab eo insigniter læsi essent, idcirco apposuit *crudele*, μετωνυμικῶς, pro crudelis. Metum iis, qui quod aliis factum viderant, ne sibi perinde fieret, assiduè timebãt: tametsi ijdem quoque ob hoc ipsum oderant.

NAVES QVÆ FORTE PARATÆ) ad frumentationem.

ONERANTQ. AVRO) Suprà etiam argenti meminit, sed aurum ponit vt nobilius. Et auri nomine sæpius argentum, omnesq; diuitiæ intelliguntur.

PYGMALIONIS OPES) Quas putabat iam suas D esse.

DVX FOEM. FACTI) Non sine magna laude Didonis dictum est.

VBI NVNC) Quum primum ascenderis collem, qui plurimus vrbi imminet.

FACTI DE NOM. BYRSAM) Coniunxit Virgilius hæc duo nomina, Carthaginem, & Byrsam, vt res vicinas. Βύρσα enim Græcè corium, Carthago à cartha deduci videtur, vtrobiq; vocabulo ex taurino tergo deriuato: postea tamen diuersa significata accepere. Byrsa enim, teste Strabone, Carthaginis arx est, vti Athenis Acropolis, Thebis Cadmeia: Carthago autem vniuersa vrbs est, quæ à Stephano & καινὴ πόλις, & Cadmeia, & O- E nussa dicitur. Nannius lib. 7. cap. 5.

TAVRINO QVANT. POSS. CIR. TERGO) Quo tempore antiquam Carthaginem (verba Herodiani lib. 5.) dissecto corio ædificauit Dido, posuisse creditur simulacrum Vraniæ, quod ipsis Carthaginensibus, totiq; Africæ venerabile fuit. Et Afri quidem Vraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes. Congruere asserens Pseudantoninus matrimonium Solis & Lunæ, simulacrum illud Romam afferri iussit. Erat ipse sacerdos Solis, & genere Phœnix. Quo autem modo simulacrum Solis effingerent Phœnices, ibidem.

Multa de nummorum generibus Rhodigin. lib. 10. cap. 2. Pompilius Numa, vt in quibusdam Græcorum monumentis reperitur, primus ex ferro, & ære procudit numis-

numiſmata, quæ ex proprio auctoris nomine Numia ſunt appellata, cum ante illum ſcortea, & oſtracina pecunia impleret vſum. Legimus tamen alicubi, populo à Numa congiarium datum aſſes ligneos, & ſcorteos. Nummi ſcortei meminit item D. Hieronymus, & Donatus ad hunc ſenſum iſtuc de taurino tergo enarrat. Boui id honoris habuerunt veteres, vt propter multas quæ ex eo capiuntur vtilitates, in aureorum nummûm parte vna bouis effigies, in altera principis facies cuderetur. Nam quod pecunia aliquando fuerit ex corio bubulo, eoq; ſpectare Didûs mercatarum, aſſeuerare non auſim: tametſi Tib. Donato commentum placet. Et Græcorum nonnulli ante Numam ſcorteas, & oſtracinas pecunias in vſu fuiſſe dicunt: quod & Tranquillus litteris mandauit. Et illud fama tenet, aſſes ligneos & ſcorteos ab eodem Numa, qui poſtea ferrum adimiſto ære ſignauit, in congiario populo datos. Apud rerum ſcriptores inuenias, ſæpe imperatores exercituum, rei pecuniariæ inopia, ſcortea pſoluiſſe ſtipendia: mox allatis pecuniis iuſtum vnicuiq; precium reſtitutum. Pierius libr. 3. Alexand. Neapolit. libr. 4. cap. 15. * *Tergum hic in eo ponitur, in quo corium, pellis, δέρμα. Rem Silius quoq; 1. Punicor. complexus eſt his carminibus.*

Pygmalionæis quondam per cærula terris
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum,
Fatali Dido Libyes appellitur oræ:
Tum pretio mercata locum, noua mœnia ponit,
Cingere quà ſecto permiſſum littora tauro.

Scorteis nummis vſos Lacedæmonios, confirmat Seneca de Beneſ. lib. 5. cap. 13. in hæc verba. Aes alienum debere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat.

SED VOS QVI TANDEM? QVIBVS AVT VENISTIS AB ORIS?
QVOVE TENETIS ITER? quærenti talibus ille,
375 Suſpirans, imoq; trahens à pectore vocem:
O dea, ſi prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales noſtrorum audire laborum,
ANTE DIEM CLAVSO COMPONET VESPER OLYMPO.
Nos Troia antiqua (ſi veſtras forte per aures
380 Troiæ nomen ijt) diuerſa per æquora vectos,
Forte ſua Lybicis tempeſtas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte penates.
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus.
Italiam quæro patriam, & genus ab Ioue ſummo.
385 Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor,
Matre dea monſtrante viam, data fata ſequutus:
Vix ſeptem conuulſæ vndis, Euroq; ſuperſunt.
Ipſe ignotus, egens, Libyæ deſerta peragro,
Europa atq; Aſia pulſus. Nec plura querentem
390 Paſſa Venus, medio ſic interfata dolore eſt.

SED VOS QVI TANDEM) Triplex interrogatio. De genere, de patria, ſeu vnde veniant, de loco ad quem tendant. Multum enim hæc ſcire in peregrinis & aduenis refert. *Tandem* particula eleganter adhibetur in interrogationibus. Cic. in Bruto. Nunquid nam tandem noui? Tuſcul. 1. Quonam tandem modo? De finib. lib. 1. Quamobrem tandem non ſatisfacit? Et ſexcentis demum locis. Regulus, Homeri locum eſt, imitatus, inquit. nam. 8. Odyſſ. Alcinous ignotus ignotum Vlyſſem hoſpitio exceptum interrogat, vnde veniat, quas petat terras, & quis ſit. Et lib. 7. Arete Alcinoi vxor idem quærit ab Vlyſſe totidem pæne verbis. Et habet oratio hæc τὸ ἐφεξῆς. Nam cum Venus Æneæ dixerit, quæ ipſa ſit, quid ageret, ac quæreret, narraueritq;, quæ ſcire vellet, conſentaneum erat, vt viciſſim quis eſſet, & quomodo eò veniſſet, & quò iret, quæreret. Nam hoc maximè naturale eſt, & frequentiſſimè fieri ſolet, vt ſibi occurrentes, & præſertim peregrini ſeſe viciſſim interrogent, qui ſint, vnde, quò, & qua de cauſſa eant, & poeta eſt naturæ imitator &c.

SVSPIRANS, IMOQVE TRAHENS) More ſuo indicat, qualis futura ſit inſequens oratio Æneæ, à ſigno antecedente, quod eſt ſuſpirium, & vox ab imo ducta pectore: nam qui triſtia ſunt dicturi, & qui magno aliquo dolore afficiuntur, ij ſolent ſuſpiria edere, ac voce ipſa in principio dolorem, & triſtitiam ſuam indicare. Reg.

O DEA, SI PRIMA) Oratio Æneæ tota eſt pathetica, id eſt, affectibus ac perturbationibus plena, quæ breuem laborum, calamitatumque ipſius expoſitionem continet. Omnibus interrogationis partibus reſpondet quidem, ſed ordine planè mutato. Nam primò reſpondet ſecundæ, ſecundò primæ. At in exponendis ærumnarum ſuarum procellis ordinem temporis ita obſeruat, vt quod primum geſtum, illud etiam ex rhetorum præceptis primum exponere videatur. Primum igitur Veneris beneuolentiam ſibi conciliat, honorifica ac planè diuina nominis appellatione: nam adhuc in ſententia perſtat, eam eſſe deam, quam & attentam facit propoſita ærumnarum ſuarum multitudine, atq; magnitudine. Naſcimb.

PRIMA REPET. AB ORIG.) A raptu Helenæ. Propert. lib. 3. eleg. 5. *ab origine dicere prima Incipe.* Ouid. 1. Metamorph. *primaq; ab origine mundi.* Et quoniam, vt philoſophi docent, idem quodammodo eſt primũ & vltimum, ponuntur etiam voces, *extremum, & vltimum* in eadem re, in qua vox primum. Sic Terent. extremam amoris

amoris lineam vocauit, aspectum scilicet, quæ prima etiam dicitur. Virgil. 8. Æneid. *isq; parentem Te Saturne refert, tu sanguinis vltimus auctor.* Muret in Catull.

ET VACET ANNAL. NOST. AVD. LAB.) Pontificem Æneam, vel ex nomine referendorum laborum eius ostendit: Pontificibus enim potestas, memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant & quidē maximos, quasi à Pontificibus maximis factos. Vnde ex persona Æneæ ait. *Et vacet annales nostrorum audire laborum.* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 2.

Historiam ab annalibus quidam differre eò putant, quod cum vtrumq; sit rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat. Potest videri nonnihil esse rationis in hac opinione, quod historia græcè significat rerum cognitionem præsentium. Sed nos audire soliti sumus, annales omnino esse id, quod historiæ sint, historias nō omnino id esse quod annales sint. Sicuti quod est homo, id necessario animal esse: quod est animal, nō id necesse est hominē esse. Ita historias quidā esse aiunt rerum gestarum vel expositionem, vel demonstrationem, vel quo alio nomine id dicendum est: annales verò esse, cum res gestæ plurium annorum, obseruato cuiusque anni ordine deinceps componuntur. Gell. lib. 5. cap. 18. Audias licet Cic. 2. de Orat. sic scribentem de annalibus. Erat historia annalium confectio. Res omnes singulorum annorum mandabat Pont. max. efferebatque in album, & proponebat tabulam, domi potestas vt esset populo cognoscendi: hiq; annales nominantur.

DIEM CLAVS. COMP. V. OLYMP.) De die tanquam mortuo locutus est, nam mortui dicuntur componi. Horat. Sat. 9. lib. 1. *Omnes composui felices, nunc ego resto.* Et noster de Antenore, *nunc placida compostus pace quiescit.* Turneb. lib. 10 cap. 11. Iterum, & fusius aliquātò libr. 18. cap. 14. In fabula Plautina Menæchmus iocatur: *clam vxorem, vbi sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.* Hanc sententiam habet: vbi mortuo die & exacto, genium curemus, & epulemur. Nam mori diem dicebant. Papin. lib. 4. Syluar. *Iam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis.* Hinc etiam dies componi, vt mortuus dicebatur, id est sepiliri. Lib. 18. cap. 27. à cadaueribus dictum esse reor, inquit, quorum ossa & reliquiæ in vrna componebantur. * *Huiusmodi metaphora est etiam quæsita Eclog. 9.* Cantando puerum memini me condere soles. *Vide ibi dicta. Statius. 1. Theb. aid. simile quiddam Maroniano huic, de die composito, quasi mortuo,* vix lucis spatio, vix noctis abactæ, Enumerare queam noctes. *Componere inquit Nonius, est finire. laudat hunc Maronis locum. Et Eclog. 3.* Non nostrū inter vos tantas cōponere lites. *Componere, lenire. Sed præstat motos componere fluctus. Item constituere lib. 3.* Quàm tuta possis vrbem componere terra. *Iam hoc Virgilianum Cic. sic effert, dies me deficiat. Plaut. Capt.* Si ego item memorem, quæ mederga fecisti bene, nox diem citius adimat.

NOS TROIA ANTIQVA) Secundæ interrogationi, *quibus aut venistis ab oris?* respondet primo loco. Deinde primæ, postremò tertiæ. *Vox antiqua,* exponenda est hic, vt alibi sæpe, inclyta, nobilis. Troia antiqua, id est, Troia nobili, celebrata, & vt quidam loquuntur, famigerata.

VESTRAS FORTE PER AVRES) Opportuna, negotioq; apta parenthesis. Nam etsi credebat esse deam, non ita tamen apertè illi in opinione standum erat, quin aliquando ei concederet (præsertim ipsa dissimulante) quod dea non esset. Itaq; quasi cum virgine Carthaginensi loquitur. Si forte, inquit, nomen Troiæ audistis aliquando. Et numero multitudinis vtitur, vestras aures, non tuas: ac si diceret, si fortè in his vestris regionibus Troiæ nomen vnquam auditum est. Nascimb.

A * *Iure dubitat, vtrum in Africa quoq; tum longinqua terra, Troia accepta sit memoria: nondum enim Carthagine pictum in pariete bellum intuetur.*

FORTE SVA TEMP.) Casu suo, vt Seruius. Scribit Nonius, sors & fortuna hoc differunt: sors est casus temporalis, fortuna dea ipsa.

LYBICIS ORIS) Vt ex te intellexi, quæ dixisti fines Libycos esse.

SVM PIVS ÆNEAS) Ad primam interrogationem respōsio. Pius Æneas vocatur, & meritò. Pius enim fuit in deos, pius in patrem, pius in filium, pius in vxorem, quos ex incendio omnes rapuit. Pius in patriam, quàm tutari conatus est. Est enim pietas officiosus erga deos, patriam, parentes, sanguine coniunctos cultus, B & gratitudo ijs, quibus debemus. Vide suprà, *insignem pietate virum.*

Ἀνεμίσητος πεειαυτολογία, laus propria, & permissa heroibus, carens reprehensione. Sic Homer. Odyss. 7. ἢ ὀδυσῆα ὄν φασὶ θεοῖς ἐναλίγκιον εἶναι. Et Achilles Iliad. οὐχ ὁρᾶς οἷος ἐγὼ καλός τε μέγας τε. Rhodigin. lib. 7. cap. 5. Hartungus Decuria 4. cap. 10. in quo agit de schematibus Eustathio familiaribus. Libellus fertur Plutarchi, hac inscriptione, Quomodo quis semet citra inuidiam laudet. In eo statuūtur caussæ aliquot, ob quas de se ipso quispiam prædicare possit. Totus locus Virgil. ex 9. Odyss. videtur expressus, vbi Vlysses Alcinoo Phæacum regi ærumnas suas enarrat.

C FAMA SVPER ÆTH. NOTVS) Putidi Grammatici, cum accusant Virgilium illius laudis, *fama super æthera notus,* damnare prius Homerum debuere, καὶ μεν κλέος οὐρανὸν ἵκει: præsertim cum ambiguum sit, an doli quempiam ad cælum vsque euehere fama possint. At nostri, qui deos penates à seruitute vindicasset, seruaret, fatalia ad loca deorum iussu atque oraculis transferret, meritò fama inter deorum sedes nota esset. Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3.

Fortem par non est gloriosum, vanumque rerum ostentatorem esse, quoniam in fortitudine omnia solida, nihil fictum, nihil fucatum esse debet. Quanquam locus, tempus, fortuna, res sæpe ipsa de se suisq; vt præ- D dicet fortis, exigunt. Tum quidem ad rem ipsam, atque ad tempora, non ad ostentationem quæ dicit, referre ipsum apparebit. Vt hic Æneas facit: fuerat enim ad ignota loca, atq; ad barbaros tempestate delatus. Iouian. lib. 1. de fortitud.

Quomodo sese homines habere consuerint, aliorum laudibus audiendis, quamuis ipsi de se non prædicent, sed ab alijs prædicentur, memorabili sententia docuit Plin. iunior. epist. 8. lib. 1. cuius extremum est: *& ea solum non carpimus, quæ in obscuritate & silentio reponuntur. Aliorum commendationem nostram vituperationem nescio quomodo ducimus: & quoniam ipsi laudanda non facimus, alios ea facere difficile ipsi credimus, & ab aliis* E *facile credi ægre ferimus.* Bene Pericles apud Thucydidē in orat. funebri, lib. 2. Laudes eo vsque tolerabiles sunt, donec ea dicuntur, quæ auditores se quoque facere posse arbitrantur. Si maiora dicuntur, inuident, non credunt. Quod ex Thucydide videtur traduxisse Sallust. Sic enim est in Catilin. Dein quia plerique, quæ delicta reprehenderis, maleuolentia, & inuidia dicta putant: vbi de magna virtute, atq; gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit, supra, velut ficta pro falsis ducit. Summa hæc est: vel se ipsum etiam iusta de caussa, vel alium laudare lubricum est. Hinc illa in Monostichis.

Ὑπὲρ σεαυτοῦ μὴ φράσῃς ἐγκώμια.
Φίλων ἔπαινον μᾶλλον, ἢ σαυτοῦ λέγε.

De te caueto gloriosa prædices.
Potius amicos tolle, quam te laudibus.

Quia homines libentius alios vituperari, quã laudari audiunt: tanta est naturæ nostræ, iudicijq; peruersitas.

ITAL. Q. PAT. ET GEN. AB IOVE SVMMO) Respondetur tertiæ interrogationi. Seruius ita distinguit primum versum, vt Æneas tria videatur quærere, primùm prouinciam, Italiam: deinde Corytum Tusciæ ciuitatem, vnde Dardanus fuit: tum genus, quia ex Electra, & Ioue Dardanus, qui Dardanus auctor est Troiæ.

BIS DENIS NAVIBVS) ἦθος eorum exprimit, qui maria ac terras diuersas obierunt, multaq; perpessu grauia pertulerunt: libenter enim ea narrant aliis. Numerum nauium ambitiosè extollit, *bis denis*, poterat enim dicere, viginti.

MATRE DEA MONST. VIAM) Ne temere, aut forte, vt plerique, nauigasse videatur, hoc addit, & alludit ad historiam, quã ex Varrone recitat Seruius: ex quo Æneas Troia egressus fuerit, quotidie ei stellam Veneris apparuisse, donec in agrum Laurentem venerit.

DATA FATA SECVTVS) Ad refellendam patriæ proditionis suspicionem: quod non sponte, sed dijs ita volentibus patria cesserit. Nascimb. * *Huic suspicioni ex sua persona Maro statim ab initio Æneidos occurrit per illud*, fato profugus.

VIX SEPTEM) propter atrocissimam tempestatem superius expositam. De reliquis adhuc nihil certi habebat, & perijsse potius arbitrabatur. Affectum miserationis amplificat à commutatione fortunæ per αὔξησιν, & cum emphasi. Nam in alienis regionibus neminem nosse, vel à nemine nosci, miserum est. [*Quomodo igitur fama super æthera notus, vt paulo ante dixit, si ignotus? an non sunt hæc pugnantia? Notũ se fama, id est, de nomine dixit, nõ etiam de corpore, & de facie.*] Ibidem inopia premi, rerumque omnium egere, miserius est: at in solitudine errare, vbi nec victus suppetit, nec qui eum suggerat existit, miserrimum est. Postremò etiam addit inuidiosè gradum, quod est, vt ait Fabius, quodammodo supra summum, se Europa atq; Asia pulsum, id est, omnium iam hominũ auxilio destitutum. Nam Troia pulsus Italiam capere non potest, & Libyæ deserta permigrat. Huic geminus locus est apud Euripid. in Hecuba, vbi perdita illa regina suas itidem Agamemnoni ærumnas, atq; infortunia exponit, cum inquit.

Τύραννος ἦν πόλε, ἀλλὰ νῦν δούλη σέθεν.
Εὔπαις ποτ' ἦσα, νῦν δὲ γηρυς, ἄπαις δ' ἅμα,
Ἄπολις, ἔρημος, ἀθλιωτάτη βροτῶν.
Regina dudum, ancilla nunc quidem tua.
Modò cincta gnatis, orba nunc, anus simul
Deserta, & exul, infima in mortalibus.

Nascimb.

Respondent verbis istis Æneæ tam miserabilibus, illa Adherbalis apud Sallustium, quem quidẽ Iugurtha A per scelus regno, & fortunis expulerat. Nunc vero exul patria, domo, solo, atque omnium honestarum rerum egens, quos accedam, aut quos appellem? Poterit etiam conferri illa Platæensiũ querimonia in Plataico Isocratis, qua oratione eos ab Athenienſibus amicis restitutionem flagitantes inducit, cum pacis tempore à Thebanis afflicti atq; euersi essent. Est autem perorationis ferè initium. τίνας γὰρ ἂν ἡμῶν εὕροι τις, &c. Quos enim nobis miseriores quisquam inueniat, qui & vrbe, & agro, & opibus vno die spoliati, rebus omnibus maximè necessarijs æque omnes destituti, errones, & mendici facti sumus, ignari quo nos conuertamus? Pulsi enim patria, desperabundi, & errantes Græciam circuimus, & omnibus habitationibus angimur. B Siue enim calamitosos aliquos inuenerimus, dolemus, qui præter mala domestica, etiam alienorum participes fieri cogimur: siue ad felices peruentum est, dolor noster recrudescit: non quod illorum opibus inuideamus: sed quia in aliorum rebus secundis, nostras miserias, quantæ sint, perspicimus, quæ nos nullum diem sine lacrymis exigere sinunt. Nam & patriam lugere, & hanc mutationem lamentari nullo tempore desistimus. Nominantur autem hìc tres mundi partes; Africa, in qua se iam versari ex indicio Veneris intellexit, Europa, Asia, quib⁹ exclusus sit: illa, propter Italiam: hac, propter Troiam. Itali enim Europæi, Troiani Asiatici, quippe Phryges: sed vtrũq; inuidiosè, C καὶ αὐξητικῶς. Fuerunt qui in duas partes orbem tribuerent, vt Varro de ling. lat. lib. 4. Sallust. in Iugurth. Isocrates in Panegyrico, in Asiam & Europam, Africam nimirum cum Europa coniungentes. Verba Sallustij sunt. In diuisione orbis terræ pleriq; in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam, & Europam esse: sed Africam in Europa. Nonnulli quatuor fecerunt, Africam, Europam, Asiam, Indiam, cuius loco huius memoriæ Geographi nominant Americam, Americi Vespucij, hominis Itali nauigatione primùm apertam, & cognitam.

NEC PLVRA QVER. PASSA VEN.) Quatuor de caussis diutius conqueri Æneam Venus non sinit. Quia nouerat omnia: quia erant illi molesta: quia cõmotis auditorum animis oratoria in conquestione immorari nõ D oportet: quia mater erat, & consulendum erat filij dolori, & calamitati. Regulus.

INTERFATA) Huius verbi *interfatu*, vsus & structura notanda est. Non solum enim Valerius lib. 9. cap. 5 tit. de superbia hoc verbum accusandi casui iunxit, hac sententia, Parui enim habuit L. Philippum Cos. quia interfari cõcionantem ausus fuerat, obtorta gula in carcerem præcipitem egisse: sed & Liuius lib. 36. dicere exorsum Cos. interfatus. Et Plin. epist. 23. & quem interfari nefas esset, hoc est, interpellare, & interrumpere loquentem. German.

Quisquis es, haud, credo, inuisus cælestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adueneris vrbem.
Perge modò, atq; hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios, classemq; relatam
395 Nuntio, & in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætantes agmine cygnos,
Ætheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo: nunc terras ordine longo
400 Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis,

Et cœtu cinxere polum, cantusq; dedere:
Haud aliter puppesq; tuæ, pubesq; tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
405 Perge modò, & qua te ducit via, dirige gressum.

QVISQVIS ES) Perseuerat adhuc, quasi cum incognito loquatur, & quis, qualisue sit Æneas, se nescire simulat, vel potius se scire dissimulat. Quisquis es, siue tu is es, quem te esse dixisti, siue aliquis alius heros, hinc te felicem constat esse, quia Carthaginem venisti, quib⁹ verbis Æneæ animum angoris plenum valde leuat, & ad sibi obtemperandũ præparat: suasura est enim mox, vti vrbẽ petat, nihil de duodecim nauib⁹ amissis sollicitus, quæ omnes in portũ partim iam venerint, partim mox venturæ sint. Quod ipsum, ne tanquã à dea sibi nuntiari existimet, addit, se id ex augurandi disciplina, à parentibus percepta, prædicere: adhuc enim non Venus, sed virgo Tyria videri vult. Augurium statim subijcitur.

HAVD CRED. INVIS. CÆLEST.) Charus, λιτότης.

TYR. QVI AD. VRBEM) Ætiologia, vbi tam benignè hospitio à Didone accipiendus sit.

NAMQVE TIBI RED. SOCIOS) Ratio quare non debeat reuerti, sed rectà pergere. Atq; hactenus quidẽ Venus vt mortalis locuta est: deinceps loquitur vt augur, sic, vt habeat aliquid diuinitatis: & tandem se deam demonstrat. Corrad.

VANI PARENTES) Vanum est mendax. Sallust. Mauri vanum genus. M. Tull. 1. de Off. Nihil proficiunt, nisi admodum mentiantur: nec vero quidquam est turpius vanitate. Idem Tuscul. 3. Tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Nonius.

IOVIS ALES) Tribuitur Ioui aquila, quod ei aduersum gigantes fulmina ministrarit. Vnde Horat. ministram fulminis appellat. Ciceroni 1. de diuinat. Iouis pinnata satelles.

APERTO TVRB. CÆLO) Odium inter aquilas, & cygnos est intestinum, vt cygni aquilas tantũ repellant, non aggrediantur. Ælian. ex Arist. lib. 1. cap. 4. var. hist. καὶ μάχεσθαι τοὺς κύκνους τοῖς ἀετοῖς, ἀμύνασθαι γε μὴν αὐτοὺς, ἀλλ' οὐκ ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων. Est & alioqui cygnus felicissimum nautis augurium. Turneb. lib. 10. cap. 11. * *Odium hoc aquilæ aduersus cygnum declarauit rursum Maro lib. 12. vbi per illam, intelligendus Æneas: per hunc, Turnus ab eo superandus, & neci dandus omnino.*

Namq; volans rubra fuluus Iouis ales ab æthra
Littoreas agitabat aues, turbamq; sonantem
Agminis aligeri: subitò cum lapsus ad vndas
Cygnum excellentem pedibus rapit improbus vncis.

Dixit autem turbabat, *vt iam nunc Æneas sedatam tempestatem intelligat, & suos periculo defunctos.*

AVT CAP. AVT CAPT. DESPECT.) Capere, designare, eligere, non prorsus prendere, quum adhuc despiciant captas: nam si iam descendissent, & terras cepissent, qui despicerent? Capere esse deligere, docet item Donat. in Heautont. hunc ipsum Maronis versum producens. Atq; hoc etiam verbũ videtur augurale fuisse, quum Liuius lib. 1. dicat, prospectu in vrbem, agrumq; capto. De cantu cygnorum egimus in Eclog. 9. super illo. *Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.* Quare inde petas licet, quæ hìc requires. De eodem cantu en habe carmina Lucretij è lib. 4. quibus propter suauitatem cygneæ modulationi poesin suam comparat.

Suauidicis potius, quam multis versibus edam:
Paruus vt est cygni melior canor, ille gruum quam
Clamor in æthereis dispersus nubibus Austri.

Lucanus Panegyrico ad Pisonem, verbis non nihil mutatis, retento sensu.

Sed nec olorinos audet Pandionis ales
Parua referre sonos, nec, si velit, improba possit.

His latinis non admodum aliena sunt Antipatri lib. 3. Epigram.

Λωΐτερος κύκνος μικρὸς θεός, ἢ κολοιῶν
Κρωγμὸς, ἐν εἰαρινᾶις κιδναάμενος νεφέλαις.
Paruus cygnorum melior cantus, strepitus quàm
Graccorum nebulis sparsus in æthereis.

Ioseph. Scalig. in illud è Diris, *Battare cygneas repetamus carmine voces.* Qui omnem prorsus laiutis spem abiecerunt, dicuntur prouerbialiter. τὸ κύκνειον ἄδειν. Iulianus φιλόσοφος. Ἐνταῦθα τὶ πράττειν ἐχρῆν ἀνδραγαθῶν πλάτων, καὶ ἀεισόλεως ζηλωτὴν λογμάτων ἐ ἄρα πειρᾶν ἀνθρώπους ἀθλίους τοῖς κλέπταις ἐκδιδομένους, ἢ καὶ δύναμιν αὐτοῖς ἀμύνειν, οἶμαι, ὡς ἤδιν τὸ κύκνειον ἐξάδουσι δίχα τὸ θεμιστὸς ἐργαστήριον τῶν τοιούτων. Hìc ἐξάδειν, vt decantare apud Ciceronem, & depræliari apud Horatium.

AVT PORTVM TENET) Tenere portum & Ciceronis est, ad Lentulum lib. 1. epist. Tenere portum si nequeas nauigando, tempestati obsequi, artis est. Horat. Ode 14. lib. 1. occupare portum. Anacharsis percunctanti, quam nauim, seu quod genus nauis (sunt enim plura genera) putaret esse tutissimum, quod, inquit, in portum appulsum est. Monere voluit, quamcunq; nauigationem periculosam esse. Eiusdem est, tres digitos à morte distare, qui nauigant: quanta videlicet crassitudo esset tabularum nauis.

Dixit: & auertens rosea ceruice refulsit,
Ambrosiæq; comæ diuinum vertice odotem
Spirauêre: pedes vestis defluxit ad imos.
Et vera incessu patuit dea. ille, vbi matrem
410 Agnouit, tali fugientem est voce sequutus.
Quid natum toties crudelis tu quoq; falsis
Ludis imaginibus? CVR DEXTRÆ IVNGERE DEXTRAM
NON DATVR? ac veras audire, & reddere voces?
Talibus incusat, gressumq; ad mœnia tendit.
415 At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,

Moliriue moram, aut veniendi poſcere cauſſas.
Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedesq; reuiſit
420 Læta ſuas: vbi templum illi, centumq; Sabæo
Thure calent aræ, ſertisq; recentibus halant.

ROSEA CERVICE) Id eſt, eleganti, nitida, vti roſa flos eſt puriſſimus, & ſuauiſſimus. Horat. Ode 13. lib. 10.

Cum tu Lydia Telephi
Ceruicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia.

Eſt autem ceruix poſterior colli pars, vnde origo omnibus neruis, iugulus anterior, vnde vox, halitusq; procedit: collum partes omnes complectitur. *Roſea ceruice refulſit*, inquit Erythræus Indice, id eſt, ſuo flori concolore. Poëtæ cum Græci, tum Latini, os, ceruicem, digitos roſeos dicunt, niueum candorem rubore ſanguinis penitus cum venuſtate ſuffuſum ſignificantes, qualis color ſuauiter rubet in roſa, non quæ Mileſia ſit, quæ nimis purpurea ardere quodammodo videtur, nec rurſus alba, ſed quæ vtrinq; decorem trahit. Hanc Itali à colore ipſo corporis, quod formoſum ſit, incarnoſam, aut carnoſonem nominant: quod corpus hominis vulgò carnem appellamus. * Leibfarbroſen. *De roſæ præſtantia, & ſupra cæteros flores tanquam regno, diximus ex Anacreonte in 4. Georg.* Primus vere roſam, atque autumno carpere poma.

DIVINVM VERTICE OD. SPIRA.) Vt pleraque alia in poetis, è veterum de dijs opinione explicandum eſt, quos credebant ſuauiſſimum odorem ſpirare. Ouid. Faſt. lib. 5. *Manſit odor: poſſes ſcire, fuiſſe deam.* Turneb. lib. 30. cap. 38. * *Et Virgil. lib. 5.* diuini ſigna decoris, Ardentesq; notate oculos, qui ſpiritus illi. *Ouid. de Daphne Apollinem fugiente 1. Metamorph. tale quiddam, hoc eſt tam decentem fugam, diſceſſumq; canit.*

Plura locuturum timido Peneïa curſu
Fugit, cumq; ipſo verba imperfecta reliquit.
Tunc quoque viſa decens. Nudabant corpora venti,
Et leuis impulſos retro dabat aura capillos.
Aucta fuga forma eſt.

PEDES VEST. DEFL. AD IMOS) Quæ prius ad genua nodo collecta erat.

VERA INCESSV PATVIT DEA) Homerus vt aliam linguam, verbaq; tribuit dijs, quam hominibus, ita & alium inceſſum, vt in Neptuno, Iliad. ξ.

Ἴχνια γὸ μέλόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Ῥεῖ ἔγνων ἀπιόνΘ, ἀείγνωτοι δὲ θεοίπερ.

Eius igitur imitatione Maro de Venere, *Et vera inceſſu patuit dea.* Turneb. lib. 11. cap. 8.

QVID NATVM TOTIES) Incuſatio eſt non cõtumelioſa, aut de amaritudine veniens, ſed de religione & affectu. Cur, inquit, tanquam aliena mecum locuta es? cur nomen tuum mater filio confiteri noluiſti? Ergóne tam ſum infelix, vt ex pectore materno depromi crudelitas debuerit? Et hunc quidem luſum luſiſti ſæpius. Quanto tandem æquius erat, vt verbis maternis leuaretur mœſtitudo mea, & data dextra ſe proderet tua in me fides & pietas? Donatus.

TOTIES) Ex 2. Æneid. cognoſcimus, ſepe Æneæ Venerem, non tamen adeò clara, & manifeſta ſpecie viſam.

CRVDEL. TV QVOQVE) Vt Iuno, & qui mihi aduerſantur dij. Melius, hoc verbo amantis affectum exprimi, cui ab amato deſeri, aut ſecum fictè aut durius agi, crudelitatis inſtar videtur. In amore enim omnia ſincera, & aperta eſſe debent. Sic Eclog. 2. *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas.* ✠

VERAS AVD. ET REDD. VOCES) Vt tanquam cum matre filius colloquar.

TALIB. INCVSAT) Longa poſt fugientem incuſatio eſſe non debuit, ſed tanta, quanta peruenire poſſet ad aures tanta celeritate recedentis, inquit Donatus.

AT VENVS OBSCVRO) Locus ex Odyſs. κ. vbi ſimiliter Vlyſſes à Minerua nebula ſeptus, in Alcinoi regis ædes perducitur.

CERNERE NE QVIS EOS) De iſtis cauſſis videndus Corrad.

VBI TEMPLVM ILLI) Quod auguſtum eſſet in vrbe Papho Veneri templũ, ex eo intelligimus, quòd ibi centum aras fuiſſe ſcribit. Etſi enim ad augendum magno eſt vſus numero, tamen ex eo conijcimus loci & ſanctimoniam, & amplitudinem. Nec tamen ex amplificationis licentia, ſed hiſtoriæ fide, certoque, & pleno numero Papinius accepiſſe videtur, cum lib. 5. Thebaid. ſic ſcribat. *Illa Paphon veterem, cẽtumq; altaria linquens.* Turneb. lib. 26. cap. 30. Horat. Ode 30. lib. 1. *O Venus regina Cnidi, Paphiq;.*

CENTVMQ. SABÆO THVRE CAL. ARÆ) Ad aras Paphiæ incruentas alludere videtur Catullus de coma Beronices. *Placabis feſtis luminibus Venerem Sanguinis expertem.* Germ. Adde ex Tacito, Sanguinem aræ affundere vetitum: precibus, & igne puro altaria adolentur, nec vllis imbribus, quamquam in aperto, madeſcunt.

Porro duarum ſyllabarum vocib⁹ ſuus vbiq; decor ineſt, quæ vbi binatim fuerint, aut ternatim collocatæ, aut fortè quaternatim, quinatimúe, ſiue etiam ſenatim, ſiue inchoandis, ſiue finiendis verſibus, ſiue intertexendis, mirum eſt quantopere delectent: repellunt enim ſatietatem illam auribus tam improbè inimicam, ut.

Monſtra deum refero. &
Thure calent aræ. &
Proijce tela manu ſanguis meus. &
Et campos vbi Troia fuit. &
Feror exul in altum. &
Ipſa canas, oro, &
Finem dedit ore loquendi

Quid quod hiſtorici quoq; voces huiuſmodi perlibenter videntur fuiſſe complexi? vt Salluſtius. Arma, tela, equi, viri, hoſtes atq; ciues permiſti. Iouian. Actio.

Recentiorem eſſe thuris vſum in ſacrificijs deorũ, oſtendit Arnobius lib. 7. Nouella enim propemodum res eſt, inquit, neque annorum inexplicabilis ſeries, ex quo eius notitia profluxit in has partes, & delubris meruit intereſſe diuinis. Namq; neq; temporibus, quemadmodum creditur, & perhibetur, heroicis, quid nam eſſet thus, ſcitum eſt, ſcriptoribus vt comprobatur à priſcis, quorum in libris poſita nulla eius mentio inuenitur: neque genetrix & mater ſuperſtitionis Hetruria eius opinionem nouit, aut formam ſacellorum vt indicant ritus: neq; quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vſum cuiquam venit, ſacra cum res fieret: neq; ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa aut eſſe ſciuit, aut naſci: vt pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſollemnium munia. Vnde igitur cœpta eſt vſurpatio eius aſſumi? aut in antiquam, & veterem conſuetudinem quæ nam irruit nouitas, vt quod tempeſtatibus tantis neceſſarium nõ fuit, locum ſumeret in cæremonijs primum? &c. Sed ante Arnobium Plin. lib. 13. cap. 1. Iliacis temporibus, inquit, non erant vnguenta, nec thure ſupplicabatur: cedri tantum, & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo conuolutũ

nidorem verius, quam odorem nouerant. Non fuisse tamẽ thuris vsum valde largum in sacrificijs, documento esse potest, quod ab eodem Plinio relatum est lib.12. cap. 14. de Alexandro puero, cui sine parsimonia thuris ingerenti Leonides Pædagogus dixerat, vt illo modo sacrificaret, cum thuriferas regiones deuicisset. At A ille Arabia potitus, thure onustam nauim misit ei, exhortatus, vt largè deos adoraret.

SERTISQVE RECENTIBVS HALANT) Vtraq; re halant, & thure, & floribus, sed illo etiam, vtpote incenso, calent. Recentia serta expone, è recentibus floribus, id est, vernis contexta.

Corripuere viam interea, quà semita monstrat.
Iamq; ascendebant collem, qui plurimus vrbi
Imminet, aduersasq; aspectat desuper arces.
425 Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumq;, & strata viarum.
Instant ardentes Tyrij: pars, ducere muros,
Moliriq; arcem, & manibus subuoluere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
430 Iura, magistratusq; legunt, sanctumq; senatum.
Hîc portas alij effodiunt: hîc alta theatris
Fundamenta locant alij: immanesq; columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate noua per florea rura
435 Exercet sub sole labor, quum gentis adultos
Educunt fœtus, aut quum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientûm, aut agmine facto
IGNAVVM FVCOS PECVS A PRÆSEPIBVS ARCENT.
440 FERVET OPVS, redolentq; thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum iam mœnia surgunt,
Æneas ait, & fastigia suspicit vrbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetq; viris, neque cernitur vlli.

CORRIP. VIAM) Qui ibant, ab itu iter appellarunt: B quà angustæ semitæ, vt semiiter dictũ. Var. lib. 4. de ling. lat. Officium celeriter eundi arripuerunt; neq; enim via corripitur. Seruius. Dixit alibi Virgil. corripuere spatiũ. Sueton. Tiberio. cap. 34. impensas corripuit, pro imminuit, & cõtraxit. Ita correptas syllabas vocant Grammatici, quod breues cum sint, citius pnuntientur. Torrent.

IAMQVE ASCEND. COLLEM) Hoc spectat ad verisimilitudinem eorum, quæ mox dicturus est de Æneæ admiratione, ac speculatione: locus enim describitur ad spectandum aptissimus, altus scilicet, & longus vnde poterat Æneas spectare, & admirari omnia, quæ narrantur deinceps à Virgilio. Regulus.

QVI PLVRIMVS VRBI IMMIN.) Plurimus, id est longus, vt, *cui plurima ceruix*, id est, longa. In verbo *aspectat*, rei inanimæ sensum attribuit. Seruius. Tria millia passuũ fuisse longũ ex Polybio, & Appiano docet Corra.

MIRATVR MOL. ÆN. MAG. QV.) Ausim affirmare, hunc locum ab Homero traductũ. Ille enim quoq; naufragum Vlyssem, cum amissis socijs, à Nausicaa Alcinoi filia in vrbẽ Phæacum ductus esset, fecit mirari & portus Phæacum, & naues, & mœnia vrbis, & fora. Quibus omnibus rebus intelligitur amplitudo, & dignitas alicuius ciuitatis, & publicorũ in ea locorum. Ambo autẽ principium ducunt à motu, qui subitò inuasit animos duorum illorũ sapientium virorum. Vers. Home. sunt.

Θάυμαζεν δ' ὀδυσεὺς λιμένας, καὶ νῆας ἐΐσας,
Αὐτῶν δ' ἡρώων ἀγορὰς, καὶ τείχεα μακρὰ,
Υψηλὰ σκολόεσσιν ἀρηρότα, θαῦμα ἰδέσθαι.

Sic Cæsar lib. 5. de bell. Gall. de seipso, cum spectasset rem nouam, & supra omnẽ suam expectationem, institutas turres, testudines, munitionesq; hostium admiratur. Non est verò hæc, si diligenter attendimus, admiratio illa, quam vehementer accusabat Democritus, ac vitam beatam impedire, aut partam iam, labefactare opinabatur, cum inprimis laudaret ἀθαυμασίαν, animumq; vacuum ab ipsa, & qui despiceret cuncta, quæ cęteri sine caussa suspiciunt. Non putabat enim ille, oportere, qui securo animo esse vellet, admirari aurũ, gemmas, vestes pretiosas, picturas, ac statuas magno artificio confectas, populares honores, & cætera huiusmodi, quorum desiderio magno qui tenentur, nunquam illi sitim suam ex- C plere possunt. Quare in omni vita solliciti sunt. Contra autẽ, quæ præter nostram opinionem sunt, ac videntur superare vires, ac fortunas eorum qui fecerunt, possumus sine culpa admirari. Victor. lib. 35. cap. 6.

MAGAL. QVOND.) Lib. 4. *Vt primum alatis tetigit magalia plantis.* Magalia, & mapalia Afrorum casæ, idem significant. Censet Regulus, respexisse poetam ad id, quod narrant historici de loco, vbi primùm Roma est ædificari cœpta, ibi scilicet fuisse nemora, & pastorũ humiles casas, & omnia ex paruis initijs ducta paulatim crescere. Magalia Isidor. lib. 15. cap. 12. ædificia Numidarum agrestium oblonga, incuruis laterib⁹ tecta, quasi nauium carinæ sint, siue rotunda in modum furnorum. Et magalia dicta, quasi magaria, quia magar Punici nouam villam dicunt, vna littera commutata, l, pro r.

MIRA

MIRATVR PORTAS) Vnde porta nominata, Isid.lib.15. Etymol.ex Catone. Qui vrbem nouam condit, tauro & vacca aret: vbi arauerit, murum faciat: vbi portã vult esse, aratrũ sustollat, & portet, & portã vocet.

ET STRATA VIARVM) Strata viarum Lucretius quoque dixit lib.1. *Strataq; iam vulgi pedibus detrita viarum.* Est autem tale hoc, qualia illa, suprema montium, clausa domorum, viarum, vana rerum, amara curarũ, munita viæ, acuta, subtai, incerta belli, & alia mille.

MOLIRIQVE ARCEM) Moliri, extruere, dictum à molibus, Vnde demoliri valet destruere. Cic. 3. de Offic. Demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis. Nonius. Stat. 4. Thebaid. *Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.* [*Possis etiam sic exponere, eos cœpisse exædificare arcem, vt principium actionis notet hoc verbum. Quomodo videtur accipiendum illud Terentij:* dum moliuntur, dum comuntut, annus est, *hoc est dum conantur sese ornare, antequam finem faciant.*] Arx ab arcendo, inquit Varro de ling.lat.libr.4. quod is locus munitissimus vrbis, è quo facillimè possunt hostes arceri.

PARS OPTARE LOCVM TECTO) Scribendũ putant nonnulli *aptare*, ex antiquis codicibus: sed ineptè. Est enim verbum militare *optio*. Cum locus peteretur à principe, dicebatur optari. Sic 3. Æneid. *Optauitq; locum regno.* Scalig. Poet.lib.4.cap.16. Terent. And.

Quæ se inhonestè optauit parare hic diuitias
Potius, quam in patria pauper viuere.

Vbi Donatus, optare est vnum de duobus eligere: citat hunc ipsum locum Maronis. Scalig. F. in Varronem. Optare proprie est eligere, considerare. Ergo hic, *Pars optare locum*, id est, eligere. Et optio, electus, ab ὄπτω Græco, video, considero. * *Confirmat Nonius, Optare, est eligere. Lucil. Sat.19.* Quare vt dicimus, non video hic quid magnopere optem. *Profert etiam illud è lib.3. Æn.* Optauitq; locũ regno.

CONCLVDERE SVLCO) Sulcum posuit pro fossa, in qua fundamenta iacerentur.

IVRA MAG. L. SAN. SEN.) Originem, caussamque instituendorũ magistratuum, & condendarum legum demonstrat disertissimè Theodoretus sermon.7. de prouidentia. Non enim, inquit, ab initio statim rerũ opifex his quidẽ seruitutis iugum, illis vero herilem potestatem distribuit: sed vnum omnium nostrum genus creauit. Præterea cum Noæum arcam parare iussisset, & vt salutem ipsi, iustitiæq; mercedẽ tribueret, ipsum & & vxorem vnà cum filiis, & eorundem nuptis ingredi arcam præcepit, nec quisquam seruus ingressus est: sed ea solummodo, quæ verè serua sunt, brutorum videlicet animalium genera, quæ & idcirco vniuersalis rerum conditor in vitam introduxerat. Postquam vero in ijs, quæ postea contigerunt, multa inordinatè, & indecenter, ex hominũ licentia, nullo magistratuum metu coercita prodiisse vidit, omnemq; iniquitatem citra omnem timorem patrari, in magistratus, & subditos humanum genus diuisit, vt nimirum magistratuum metus peccatorum multitudinem imminueret, & quæ sequũtur, scripta, si quod est meum iudicium, prudentissimè.

* *De initiis item, & progressu legum per digressionem disserit Tacitus, cui historico magnam prudentiæ laudem concedi ab omnibus video. Disserit autem Annal. lib.3. Vetustissimi mortalium, inquit, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, &c. satis esto, monstrasse locum, De veriloquio vocis magistratus ita Varro libr.4. de ling. lat. Magister equitum, quod summa potestas huius in equites, & accensos: vt est summa populi Romani Dictator, à quo is quoque Magister populi appellatus. Reliqui, quod minores quam hi magistri, dicti magistratus, vt ab albo albatus.*

Quod libertas sit, ita viuere vt velis, hæc non modo libertas non est, sed vel maximè aduersatur libertati. Qui enim viuit ita vt vult, is quodcunq; appetierit, volet, agetque, iura ipsa naturæ humanæ societatis violans, ac prosternẽs. Apud rectè verò sentientes illi & sunt, & habentur liberi, qui perinde vt debent viuunt, funguntur-que viri boni, patrisfamilias frugi, & iusti ciuis officiis. Veraq; libertas est, seruare leges, tueri tura, eaq; agere, atq; afferre in medium, quæ ad tuendã, stabiliendamq; hominum coniunctionem quàm maximè conferunt. Illisq; qui ferendis, ac seruandis legibus præpositi sunt, quiq; publicæ salutis curam gerunt, ita obtemperare, vt à communi bono ne hilum quidem, vt dici solet, recedatur. Iouian. de Obedient. lib.4.

SANCTVMQ. SENAT.) Propriè sancta sunt, inquit Martianus Iurecos. quæ ab hominum iniuria defensa & munita sunt. Id perspicuè ex verbis M. Tullij cognoscitur, ita dicentis 2. Philipp. Quanquam nemo erat eorum qui tunt tecũ fuerunt, qui mihi nõ censeret parci oportere. Tanta est enim charitas patriæ, vt vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam à me seruatã esse meminissent. Pro Deiotaro: Quiq; illum ordinẽ ab adolescentia grauissimum, sanctissimumq; duxisset.

HIC PORTVS ALII EFFOD.) Prudenter Afri, quæ salutis dignitatisq; sunt, primùm curant, quæ voluptatis, deinde. In theatris tragœdiæ, & comœdiæ aguntur, variiq; generis ludi fiunt, quibus oblectari populus consueuit. Fortasse autem ad theatrũ alludit, quod Romæ M. Scaurus Ædilis struxit, opus, vt Plinius ait, maximum omnium, quæ vnquã fuerunt humana manu facta. Scenam habuit triplicem: cuius ima pars è marmore fuit, media è vitro: columnas miræ altitudinis. Propterea ait, *immanesq; columnas.* Nascimb.

QVALIS APES ÆSTATE) Inter locos, quos ita Virgilius ab Homero transtulit, vt & vicerit, primus hic est, de apibus, iudice Macrob. Saturn. lib.5.cap.11. Describuntur enim à nostro opifices, ab Homero vagæ tantũ. Alter ille discursum, & solam volatus varietatẽ: noster, exprimit naturæ officium. Versus sunt hi 2. Iliad.

Ἠΰτε ἔθνεα εἴσι μελισσάων ἀδινάων
Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς ἀεὶ νέον ἐρχομενάων
Βοτρυδὸν δὲ πέτονται ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν,
Αἳ μὲν τ' ἔνθα ἅλις πεποτήαται, αἱ δέ τε ἔνθα.
Instar apum, denso pulchras examine petras
Cum linquunt, glomerantq; ingentes pluribus vuas
Agminibus, trepidumq; volant, & florea libant
Rura per æstatem, sparsæq; simulq; vagantes
Nunc hùc, nunc illùc.

Plutarchus Commentario de Iside & Osiride, auctorẽ secutus Aristotelem, scribit vnguentorum, florum, pratorum odoriferas respirationes non voluptati tantum, verum etiam valetudini bonæ prodesse: quandoquidẽ cerebrum natura frigidum, & cõcretum, calore & leuitate sua sensim resoluunt. Fucos Xenophon ἀχρήστους prior vocauit, inutiles, siue ignauos eosq; ait ἐκ τῶν σμηνῶν ἀφαιρεῖν. Victor. lib.37.cap.18.

ÆSTATE NOVA) *Vbi pulsam hyemem sol aureus egit sub terras, calumq; æstiua luce reclusit*, vt est in 4. Georg. Noua æstate, quia est & adulta, & præceps. Sic Vere nouo 1. Georg.

DVLCI DISTEND. NECT. CELLAS) Haud multum diuersa Tibull. illo disticho lib.2. eleg.1.

Rure leuis verno flores apis ingerit alueô,
Compleat vt dulci sedula melle fauos.

De fucis, & thymo diximus in 4. Georg. vbi extremi duo versus ad verbum positi reperiuntur. Inde patebit, cur thymo potissimũ mella redolere dixerit poeta. De voce, *præsepe* disseruimus lib. 7. ad illud. *Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.*

O FORTVNATI, QVORVM) Bene, fortunati, qui iam faciũt, quod ipse desiderat, nec potest, reluctãte fortuna.

FASTIG. SVSP. VRBIS) Fastigia intellige operum

rum summitates, ideo suspicit, id est alta aspicit. Quanquam & miratur licet exponere. Seruius. * *Credibile sit, Lucanum voluisse hunc locum reddere, vbi Cæsarii iter Brundusio Romam describit lib.3*

Excelsa de rupe proculiam suspicit vrbem,
Arctoi toto non visam tempore belli,
Miratusq; suæ, sic fatur, mœnia Romæ.
Te ne deûm sedes non vllo Marte coacti
Deseruere viri?

A NEQVE CERNITVR VLLI) Vide Apuleium de deo Socratis, de dæmonum corporibus, qualia sint. pag. 115. Græcorum loquendi genus, *neq; cernitur vlli.* Huc etiam valebunt, quæ collegi in illum locum supra. *Nulla tuarum audita mihi*, &c. Cornel. Fronto. Videmus natura, spectamus voluntate, intuemur cura, aspicimus ex improuiso, animaduertimus animo, cernimus oculis.

445 Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra,
Quo primùm iactati vndis, & turbine Pœni
Effodêre loco signum, quod regia Iuno
Monstrârat, caput acris equi, sic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per sæcula gentem.
450 Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diuæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq;
Ære trabes: foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primùm in luco noua res oblata timorem
455 Lenijt: hîc primùm Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus.

CAPVT ACRIS EQVI) Apud auctores Græcos B iuuenias bouem, quod terræ laboribus exercendis sit destinatus, γαῖον appellari. Apud Mathematicos tauro ascendente genitos, laboriosos, atque perpetuæ deditos seruituti, propterea quod hoc animal ad iugum præcipuè natum est. Qua de caussa Tyriis Carthaginem ædificari aggressis, intermissum opus est, bouillo capite adinuento, alioque vrbis mœnia translata: videbatur enim ostentum id nil, nisi laborem, & anxietatem minitari, donec equi mox adinuento capite, belli signum excepere. Horum alterum Virgilius dissimulauit, qui fabulam scribebat, non historiam, rem tamen agnouisse visus, quod bello genus intractabile futurum dixit: sed facilem victu per sæcula gentem: quippe quæ vel iugũ C acceptura esset, vel freno coercenda. Quamuis non postremi interpretes, *facilem victu* interpretari malint, ad victum comparandum. Pierius lib.3. in Tauro. Idem eodem lib. in Equo. Quod subiungit Virgilius, facilem victu, non de bouillo capite, vt Seruius, sed de ipso eodem equino intelligendum: cuius ostenti ea sit interpretatio, vt facilem victu per sæcula gentem, facilem quæ tandem vinceretur, exponamus: hoc enim magis ad Virgilianam sententiam accedit, quamuis in Tauri commentario Seruianum intellectum illustrare conati simus. * *Immo enimuero, nihil magis hac interpretatione tua, doctissime Pieri, à Virgiliana sententia recedit. Nam quo tandem pacto consentiunt, esse bello egregiam, & facilem quæ tandem vincatur? Contra potius, si bello egregia, ne tandem quidem vincetur, sed inuicta erit magis. Præterea cum illud caput Iuno tutelaris monstrauerit, vtrum illi animos facere, an desperationem injicere debuit? Rem itaq; Seruius tetigit.*

Carthaginem veteribus dici quandoque caccaben, id est καππάβην, quod illarum gentium lingua equinum indicet caput, & eo his versibus allusisse Virgilium, existimat Rhodigin libr.18.cap.38. Quod ad numerum attinet, monosyllabæ binæ simul collocatæ post dactylicam properationem aliquam, numerosæ sunt in medio, sistunt enim tenorem, quem etiam varietate condiunt, vt in hoc ipso verbo, *caput acris equi, sic nam fore bello*, & istis, quos exempli caussa adducemus.

Præcipnè cũ iam hic trabibus contextus acernis. &,
Visa viri, nox cum terras obscura teneret. &,
Quæ relligio, aut quæ machina belli. &,
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent!

In principio similem in modum, veluti ab ipso fundamento tenorem stabiliunt. vt,

Quam tu vrbem soror hanc cernes? &,
Nos te Dardania incensa. &,
Si nunc se ille aureus arbore ramus.

In fine quoque id præstant, vt dactylicam aliquam properationem contineant, ac maturent pausam, vt,

Dardaniumq; ducẽ, Tyria Carthagine qui nunc. &,
Manibusq; meis Mezentius hic est. &,
Quam pro me curã geris, hanc precor, optime, pro me Deponas.

Atque hic quidem extremus versus & in principio, & in fine, atque in ipso medio monosyllabis instructus est, magna cum dignitate. Iouian. Actio.

HIC TEMPLVM IVN.) Hic, apud lucum, in media vrbe, vbi deus tutelaris templum, vt hîc Iuno, tenere debet, id est, in loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur. Vitruuius lib.1.cap.7. Locus medius in vrbe, datur religioni vt omnium præstantissimæ, & omnibus anteponendæ: locus enim medius præstantissimo cuiq; datur. Regulus.

INGENS) Et pro magnitudine ipsius numinis, & pro amplitudine futuræ vrbis. Videtur describere, seu innuere Pantheon, templum à M. Agrippa diis omnibus commune exædificatum, quod gradus æneos, trabes inauratas, valuas æris Corinthij habuisse fertur. D

DONIS OPVLENTVM) Similiter Tacitus Historiar. lib.5. de Hierosolymitano, immensæ opulentiæ templum.

NVMINE DIVÆ) Laudauit hoc templum à loco, quod in vrbe media, à nobilitate deæ, cui condebatur, ab auctore, quæ condebat, ab opulentia. Nunc etiã à præsentia, & maiestate diuinitatis, ibi se exerentis laudat. Denique etiam partes illius describere non omittit.

FORIBVS CARDO STRID. AHEN.) Confer cum illo in Ceiri. *sonitum nam fecerat illi Marmoreo* E *æratus stridens in limine cardo.* Et lib.6. Æneid. *Tum demum.*

mum horrisono stridentes cardine sacræ Panduntur portæ.

* *Templa diuersis locis per orbem Christianum à Chrtstianis Principibus condita, eaq; sumptuosa, ac magnifica, enumerat Steph. Durantius lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, cap. 2. Magnificentissimum Deiparæ à Iustiniano constructum refert Zonaras libr. 3. annal. Alias item Mariæ Virgini ædes idem Imper. Procopio teste condidit, multas, magnificas, & non dicenda pecuniarum mole: vt si quis vnam duntaxat earum videat, credat hoc solum opus ab eo fuisse absolutum, ac circa illud toto imperij sui tempore fuisse versatum. Templa in ciuitatibus esse oportet, sine quibus quis credat pios esse ciues? Mihi vero ciuitas, inquit Chrysost. Homil. 17. ad pop. Antioch., non habens pios ciues, omni villa vilior est, & quacunq; spelunca ignobilior.*

HOC PRIMVM IN LVCO) Primùm, signatè, quoniam & alia secuta sunt, quæ formidinem detraxere. Sed cur post visam matrē, & post illa verba, *Haud, credo, inuisus cælestibus auras Vitales carpis*, & quæ sequūtur, quidquam timet? Putat Seruius, hunc locum esse vnum de insolubilibus: plures enim notauit. Sed nihil A putarim opus huc confugere. Quanquam enim non timebat Æneas, à matre confirmatus, tamen non carebat omni timore eius securitas. Tale est quod in Miloniana ait M. Tullius. Nam illa præsidia, quæ in templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, vt in foro, & in iudicio, quanquam præsidiis salutaribus, & necessariis septi sumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. Præterea ita natura comparatum est, vt sæpe tam diu non timeamus, quam diu res quæ timorem facit, in sensus non incurrit. Cum in illam incidimus, illico omnia præcepta, monita, rationes & argumenta effluunt. Ad ignotos mortales ipse de facie ignotus, multis nec fama cognitus veniebat: & inter ignotos versari incipiebat.

Namq; sub ingenti lustrat dum singula templo
Reginam opperiens: dum quæ fortuna sit vrbi,
Artificumq; manus inter se, operumq; laborem
460 Miratur: videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaq; iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumq;, & sæuum ambobus Achillem.
Constitit, & lacrymans, quis iam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
465 En Priamus: SVNT HÎC ETIAM SVA PRÆMIA LAVDI,
SVNT LACRYMÆ RERVM: & mentem mortalia tangunt.
Solue metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait: atq; animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoq; humectat flumine vultum.

REGINAM OPPERIENS) Quia fortè audierat, vel certè putabat venturam, quum tam ingens templū conderetur, vt regina non posset non illud sæpe visere. Corrad.

BELLAQVE IAM TOT F. VVLG. PER ORBEM) Quia Europa intulit, Asia passa est, Africa pinxit. Seruius.

ATRIDAS, PRIAMVMQVE) Seneca epistola 105. se legisse hoc loco Atriden, non Atridas ostendit. Et sic legendum tum locutio, tum res ipsa docet. Nam si tres, Agamemnonem, Priamum, & Menelaum proponat, quo pacto postea dicit, & sæuum ambobus Achillem? Nec Achilles Menelao sæuus fuit, sed Agamemnoni, quem confodere voluit 1. Iliad. Quàm verò Priamo sæuus fuerit, occiso eius filio Hectore, notum est. Corrad.

Troianorum temporibus picturam non fuisse, litteris proditum est à Plinio libr. 35. cap. 3. Hoc si ita est, poetæ peccatum est. An vero ex illis, non quæ per se sunt, sed quæ καθ' συμβεβηκὸς, id est, secundum accidens, de quibus Arist. in poeticis meminit, an secundum neutrum, viderint alij. Ego tantum dicam quod sentio. Si auctoritati innitendum, non minorem esse Maronis, quàm Plinij. Sin autem Plinius vera scripserit, id καθ' ὅλην à poeta factum fuisse, vt pictores templum Iunonis figuris ornarent, cum pictura adhuc in vsu non esset. Non enim tam exiguo temporis interuallo à Troia capta ad Carthaginis ædificationem pictura eo excellentiæ peruenisse poterat, vt hominibus admirationem afferret. Nascimb.

Æneas picturam belli Troiani in pariete Carthagine fixo obtutu contemplans, indeq; ingemiscens, & collacrymans, quoddam memoria, & celebratione di- B gnum Iulij Cæsaris facinus mihi in mentem reuocat, quod quidem ex intuitu cuiusdam picturæ natum est. Postquam enim ei Quæstori vlterior Hispania obuenit, Prætoris mandatu conuentus iure dicundo circumiens, visa Gadibus apud Herculis ædem Alexandri M. imagine, ingemuit, & quasi pertæsus socordiam, ignauiamq; suam, quod, qua ætate Alexander orbem domuisset, ipse nihil adhuc egregium gessisset, continuò missionem ad captandas maiorum rerum occasiones efflagitauit. Ita Sueton. cap. 7. Hinc scitissimum epigramma M. Ant. Casanouæ.

Spectat Alexandri picta vt certamina Cæsar,
Ast ego nondum aliquid gessi, ait illacrymans.
Quid si & Alexander spectasset Cæsaris acta?
Dixisset: Persas vincere pigritia est.

CONSTITIT, ET LACRIMANS) Paulò post iterum, *Multa gemens, largoq; humectat flumine vultum.* Et libr. 5. *Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ.* Et lib. 6. *Sic fatur lacrymans, classiq; immittit habenas.* Ibid. *Demisit lacrymas longè.* Lib. 9. de Alethe, quem annis, & grauem animi maturū antea vocârat. *Sic memorans humeros, dextrasq; tenebat Amborū, & vultum lacrymis atq; ora rigabat.* De omnibus Troianorū primoribus simul, qui de salute expedienda consultabant, vbi animum Euryali generosissimum, & ad quæque pro suis ciuibus pericula adeunda promptissimum viderant, *perculsa mente dederunt Dardanidæ lacrymas.* De Iulo infrà, *Sic ait illacrymans, humero simul exuit ensem.* De Ænea rursum lib. 11. *Sic ait illacrimans,* Pallantis funeri videlicet, quem ibidem vt fortiter mortuum laudat. Testimoniorū locorumque ex vno Marone plus satis, opinor, comportauimus mediocri quadam diligentia. Vides ne, lector, heroibus, ac viris fortibus

fortibus à Marone nostro tribui lacrymas? id quod in Homero damnauit Plato, vt qui decorum negligeret, dum eos ita molles faceret. Sed vna responsio Homerum, Virgilium Homeri in hoc quoque, vt in aliis innumerabilibus æmulum, immò verò poetas reliquos omnes defendet. Etenim quem mihi nominabis, qui hoc vitet? Igitur hoc statuimus & pronuntiamus, poetas nimium quãtum distare ab illa, quæ cogitatur duntaxat, & fingitur Stoicorum ἀπαθείᾳ: simulacra autem rerum, personarumque eiuscemodi nobis proponere, quales cum res ipsas, tum homines reperiri, omnibus est notissimum. Neutiquam illi prodigiosas, & stultas opiniones, à communi sensu remotissimas sequuntur, verum quæ in vita hominum cernuntur, & cum iudicio vulgi etiam consentiunt, ea sibi ad narrandum, exprimendum, imitandum sumunt. Quale est, & suis, & aliorum, præsertim amicorum illacrymare casibus. Quin & præ gaudio super aliena virtute in fletum prorumpere. Omnino qui se hominem dici, & haberi vult, humanam naturam exuere non debet. Quare quicunque heros, quicunque vir maximo præditus animo, non erit tam durus, tam saxeus vt humanis infortuniis, quibus ipse quoque, vt homo obnoxius est, non moueatur etiam ad gemitum quandoque, & lacrymas. ✠

EN PRIAMVS) Priamum prius Podarcen dictum narrat Apollodorus lib. 2. postea redemptum ab Hesiona sorore, cum illa flameum detractũ sibi dedisset Herculi, qui Troiam expugnârat, Priamum vocitari cæptum.

HIC ETIAM) Etiam apud fines Lybicos, genus intractabile bello.

LAVDI) Virtuti, ex consequente antecedens.

SVNT LACRYMÆ RERVM) Lacrymas rerum, calamitatum, & rerum aduersarum lacrymas vocat. Sic supra, fessi rerum, id est, fatigati naufragij calamitate, & tempestatis iactatione. Turneb. lib. 12. cap. 12.

A MORTALIA) Aduersa, quibus est subiecta hominum natura & conditio, quæ mortalibus solent accidere.

ANIM. PICTVRA PASCIT INANI) Animum pascere dixit etiam 2. Georg. loquens de dispositione vitium.

Omnia sunt numeris paribus demensa viarum,
Non animum modò vti pascat prospectus inanem,

Apud Euripid. Phœniss. αἰδ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος. Æschyl. Agamem. Οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας, ἐλπίδες σιτουμένους. De picturæ initiis, primisq; pictoribus Plin. lib. 35. cap. 3.

MVLTA Q LAR. S. T. VVLT.) Pascere animum, B & gemere, mutuò repugnare videntur. Attamen Æneas suorum Troianorum ærumnas contemplatus in pictura, lætatur, & gemit. Nam Aristotele teste in 1. de arte Rhet. (vnde procul dubio sumptus est hîc locus) in luctu & lacrymis quædam inest etiam voluptas. Sic enim ait. Ac lacrymis inest quidam sensus voluptatis in eo, quod nihilominus flendo meminimus, & quasi intuemur eum qui abest, & res quas gessit, & qualis, quantusque dum vixit, fuit. Hinc illud Homeri. ὡς φάτο, τοῖσι δὲ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γοοῖο. Hæc Nascimb. * *Confirmat sententiam Aristotelis. Quid.* est quædam flere voluptas, Expletur lacrymis, egeriturque dolor, *Et quid multa confirmatione opus, cum id in se quisq; nostrum expertus sit? nisi forte aliquis est, qui aut nunquam, aut semel in vita duntaxat fleuerit, vt inuentus est, qui semel* C *riserit. Maronis vestigia, vt alias sæpissimè, hic etiam pressit Statius. 4. Thebaid. Ille,* largoq; humectat flumine vultum: *hic,* largisq; humectant imbribus ora.

470 Namq; videbat vti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graij, premeret Troiana iuuentus:
Hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis
Agnoscit lacrymans, primo quæ prodita somno
475 Tydides multa vastabat cæde cruentus:
Ardentesq; auertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Troiæ, Xantumq; bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atq; impar congressus Achilli,
480 Fertur equis, curruq; hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic ceruixq;, comæq; trahuntur
Per terram, & versa puluis inscribitur hasta.

NAMQVE VIDEBAT VTI) Caussa delectationis, & fletus proponitur. Sed cum ambæ res pictura illa cierentur, tamen ipsa imitatio artificis manu, & penicillo facta, illam: & nata inde, velut à signo, quod Dialectici instrumentum vocant, tristissimorum casuum recordatio hunc excitabat. Fugabant inuicem circũ mœnia, & quod Græcis erat Hector, hoc vicissim Troianis Achilles: in cuius cristis quiddam erat horribile, & de curru pugnabat, quemadmodum & Turnum, & alios Homerum secutus, pugnantes inducit noster Virgilius. Tale genus pugnandi etiam à Iudæorum regibus legimus vsurpatum. ✠

CRISTATVS ACHILLES) Ex Polybio docet Lipsius de Milit. Rom. lib. 3. dial. 5. duplicem vsum cristarum, siue quod vir maior, & animo quoque crescit: siue quod hosti terrorem magis præbet. vtrumque verum, & nescio quo naturæ ductu vbiq; terrarum fere bellatores hoc adfectant. Et hinc insignia ista familiarũ tam varia, quibus superbimus. Romani sibi in ijs valde placebant. Primi auctores rei Cares, testibus Herodoto, Strabone, Plinio. D

NEC PROCVL HINC RHESI) Rhesus Thraciæ rex, Strymonis fluuij, & Euterpes (quidam Calliopes) Musæ filius, Troianis venit auxilio cum non spernendis copiis. Cum ante vrbem castra posuisset, portis iam occlusis videlicet, Dolon ab Hectore ad Græcorum castra speculanda missus, in Diomedem, & Vlyssem, qui contrà Troianorum castra exploratum veniebant, incidit. Ibi coactus, de aduentu Rhesi enuntiauit. Illi primo somno, vt ait poeta, ipso conticinio Thracas iam sopitos inuadentes, duodecim, & ipsum regem decimum tertium contrucidarunt, equos autem illos candidissi- E mos, antequam pabulum Troianum, aquamq; attigissent (quod ipsum quoqne ad πάθος pertinet) abduxerunt. Res tota ab Homero describitur. Iliad. κ. inuabit etiam in manus sumere tragœdiam Euripid. cui nomen inditum Rhesus. Describit aduentum, & cædem eius Dictys lib. 2. Per idem tempus Rhesus de Eroneo genitus, &c.

tus, &c. De Rheso defleto à Thracibus Tryphiod. initio poematis de euerso Ilio.

Et regis Thraces vlulabant funera Rhesi,
Lethalis somnus quem captum in nocte dolosa
Perdidit, ac sæuo mactandum præbuit hosti.

Sed cur solius Diomedis meminit Virgilius? quoniam ipse in cæde solus versabatur, cæsos autem Vlysses pedibus abstrahebat, vt ad ipsum regem peruenire possent.

NIVEIS TENTORIA VELIS) Vegetius, Tertull. Plin. & alij, papiliones vocant, à similitudine volatilis, cui istuc nominis. Fiebant è velis tensis. Quædam è tabulis consertis mutatilia, quæ Cæsar & alij tabernacula vocant, à similitudine tabernarum, quæ ipsæ, quod ex tabulis olim fierent, sic dictæ. Fuerunt & alia tentoria scortea, quæ Iureconsulti, Cicero, & alij pelles nominant. Inde apud historicos, sub pellibus esse, sub pellibus hybernare. Plura Steuechus ad cap. 3. lib. 1. Vegetij, Sed enucleatissimè, vt solet, & plenissimè, de tentorijs agit Lipsius de Milit. Rom. lib. 5. dial. 5.

ARDENTESQVE AVERTIT EQVOS) Homerus, apud quem fabula Rhesi est Iliad. κ. de his equis. λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Catull. *Non Rhesi niueis, citisq; bigis.* Sed Virgilius vtrumq;, id est, colorem, & celeritatem complexus est, cum eos ardentes vocauit. Ex Mureto in Catull. * *Verbũ auertere sæpius eandem habet vim, quam subducere, abducere, compilare, furari, &c. Cic. in Philipp. auertere legiones ab aliquo, pro abducere. In Verrem Is auersa pecunia aufugit. Ibid. frumentum auersum à repub., abreptum ab aratoribus. Et in epist. Ne patiare Erotem hæreditatem Turianam auertere.*

PRIVSQVAM PAB. GVST. TROIÆ) Si enim prius, quã auerterentur, pabula gustassent Troiæ, Xanthumque bibissent, rex ipse Rhesus secundùm oraculum acceptum interfici non potuisset, vt scribit interpres Homeri lib. 10. nec dissentit Eustathius.

FVGIENS AMISSIS TROILVS ARMIS) Horat. de Troilo Ode 9. lib. 2.

------ nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ sorores
Fleuere semper.

Cic. 1. Tuscul. Quanquam non malè ait Callimachus, multo sæpius lacrymasse Priamum, quam Troilum.] Quæ de Troili morte traduntur ab auctoribus, non vsquequaq; videntur inter se consentire. Quidam enim, vt hic Virgilius, & Calaber, ni fallor, cum Achille congressum in prælio Troilum narrant, & cum viribus esset inferior, peremptum fuisse. Alij, vt Lycophron, & Theocritus, quia ab eodẽ Achille turpissimè perpeti nollet, in tẽplo Apollinis ab eo occisum: quam opinionẽ Tzezes in enarratione Lycophronis refutat, ostendens non fuisse tum eiusmodi Troilum, vt ab Achille flagitiosè amari potuerit: eius verba recitat Canterus lib. 2. cap. 9.

Ex Polybio constat, arma amisisse capitale fuisse militi, cum duplici restrictione, si in acie, si per metum. Signiferis quoq;, si signa. Græcis ῥιψάσπιδες prouerbio infames sunt: & apud Germanos, ait Tacitus, scutum reliquisse, præcipuum flagitium. Pluribus ista Lipsius de Militia Rom. lib. 5. Dial. 18. qui est de pœnis militarib°.

CVRRV INANI) Cum dominus esset occisus, quamuis pedibus hæreret.

PVLVIS INSCRIBITVR HASTA) Vocem *inscribitur*, Seruius exponit, laceratur. Quis vnquam audiuit, puluerem lacerari? sed scribere fuit, quod scalpere, vel sulcare. Ferreo namq; stylo ceratas tabulas, elementorum notis sulcabant. Hoc patet in Nubibus Aristophanis. Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. Hasta autem ipsius Troili, non hostis. Troili epithaphiũ ex Ausonio subiecimus.

Hectore prostrato, nec dijs, nec viribus æquis
Congressus perij Troilus Æacidæ.
Raptatus bigis, fratris coniungar honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

Interea ad templum non æquæ Pallidis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumq; ferebant,
485 Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.
Diua solo fixos oculos auersa tenebat.
Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros,
Exanimumq; auro corpus vendebat Achilles.
Tum verò ingentem gemitum dat pectore ab imo,
490 Vt spolia, vt currus, vtq; ipsum corpus amici,
Tendentemq; manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permistum agnouit Achiuis,
Eoasq; acies, & nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
495 Penthesilea furens, medijsq; in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo.

INTEREA AD TEMPLVM) Ex Homero Iliad. 9. Prorsum cognatus huic loco, eiusdemq; tanquam germanus apparet ille lib. 11., vbi Amata regina, comitibus matronis, Palladi aduersus Æneam supplicat, vrbi ingruentem, & exitium apportantem.

Nec non ad templum, summasq; ad Palladis arces
Subuehitur, magna matrum regina caterua,
Dona ferens: juxtaq; comes Lauinia virgo,
Caussa mali tanti, atque oculos demissa decoros.
Succedunt matres, & templum thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces, &c.

Locum vtrumq; lib. 10. Thebaid. adumbrauit Statius hisce versibus.

At procul Argolici supplex in limine templi
Cœtus, & ad patrios fusæ Pelopeïdes aras,
Sceptriferæ Junonis opem, reditumq; suorum.

Exposcunt, pictasq; fores, & frigida vultu
Saxa terunt, paruosq; docent procumbere natos.
Condiderant iam vota diem: nox addita curas
Jungit, & aggestis vigilant altaria flammis.
Peplum etiam dono, cuius mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat calathis, castæ velamina diuæ
Haud spernenda ferunt.

Sallust. in Catilinar. coniurat. de fœminis Romanis, instante à cõiuratis totius vrbis pernicie. Adhęc mulieres, quibus pro reipub. magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese: manus supplices ad cælũ tendere: miserari paruos liberos: rogitare: omnia pauere: superbia atq; delicijs omissis, sibi, patrięq; diffidere.

CRINIB. ILIAD. PASSIS) Ab eo quod est pando, passum veteres dixerunt, non pansum, & cum præpositione expassum, non expansum. Cælius.

Heri verò prospexisse eum se ex tegulis
Hæc nuntiasse, & flameum expassum domi.

Capillo quoq; esse mulier passo dicitur, quasi proiecto, & expanso. Et passis manibus, & velis passis dicimus, quod significat diductis, atque distentis. Itaq; Plaut. in Milite, à, littera, in e, mutata, per compositi vocabuli morem dispessis dicit, pro eo quod est, dispassis.

Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum extra
Portam, dispessis manibus, patibulum cum habebis.

Gellius lib. 15. cap. 15. Mulieres solutis, passis, demissis capillis, solitas dijs supplicare, ex poetis demonstrat Brissonius Formular. lib. 1. pag. 41.

PEPLVMQVE FEREB.) Magnis in periculis deos precantes, & obsecrantes, eorumq; fidem implorantes etiam vestibus ornabant, illo cultu fauorem numinis emere se credentes. Hoc ex interprete Æschyli confirmat Turneb. lib. 14. cap. 15. græcè sic est παφετίθεσαν δὲ καὶ πέπλους, καὶ ἐνέδυον καὶ πέπλους τὰ ἀγάλματα. Peplum igitur mulieres Troianæ ferunt, vt ea veste Mineruæ simulacrum induant, & deam propitiam habeant. Peplus aut peplum, est vestis muliebris candida. Erat & distincta clauis aureis, & ad extremos vsq; talos defluens, quæ simulacris diuorum, & primùm quidem ab Atheniensibus Mineruæ Panatheneis offerebatur. Hinc matronę Troianæ ab Homero τανύπεπλοι. Montfortius. Multa de peplo Tiraquell. in Leq. connub. 4. num. 27. in voce Peplus. Mittit nos insuper ad Pollucem lib. 7. cap. 13. & Rhodigin. lib. 14. cap. 18.

FIX. OCVL. AVERSA TEN.) Ne intelligas, simulacrũ Palladis sese vertisse: nihil enim vult aliud *auersa*, quam aspernans, renuens, indignans preces illas matronarum. Horat. Ode 10. Epod.

Et illa non virilis eiulatio,
Preces & auersum ad Jouem.

TER CIRCVM ILIACOS RAPT.) Hoc sciebat Æneas, & propterea facilè intellexit, quod pingi non potuit: quod tamen poeta voluit exprimere, quum dixit *raptauerat*, non, *raptabat*, vt dixit, *ferebant*, *vendebat*. Corrad. Singula huius carminis verba, *Ter circum*, &c. singulos habent tum misericordiæ, tum etiam indignationis affectus. Nam vir mortuus raptatur, non vehitur: nec semel tantum, sed ter: & circum muros patrios raptatur. Hæc commiseratio, ab adiunctis, seu circumstantijs nominatur. Si verò Achillis crudelitatem spectes, indignatio est. Nascimb.

Mentio tractus & venditionis huius fit apud Homerum Iliad. 24. & 22. vbi perfossis pedibus ad Achillis currum alligatum, inspectantibus de muro Priamo, & Hecuba ad naues trahitur Hectoris cadauer, alibi ter circum Patrocli bustum. De eodem tractu Cic. 1. Tuscul. Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum, credo, & sentire putat. Ergo hic vlciscitur, vt quidem sibi videtur: at illa (vel Hecuba, vel Andromacha) sicut acerbissimam rem mœret.

Vidi, videre quod me passa ægerrimè,
Hectorem curru quadrijugo raptarier.

Quem Hectorem? aut quandiu ille erit Hector? melius Attius, & aliquando sapiens Achilles. *Immo enimuero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli*, Quædam ex Dictys lib. 3. superaddamus. Ipse cum cæde inimicissimi, tum memoria doloris ferox, spoliatum armis hostem, mox constrictis in vnum pedibus, vinculo currui postremo adnectit. Dein vbi ascendit ipse, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita concito curru per campum, quà maximè videri poterat, peruolat, hostem mirandũ in modum circumtrahens. Genus pœnæ nouum, miserandumq;. Visis spolijs Hectoris desuper è muro, intellectaq; cæde, tantus lamentantium clamor tota ciuitate exortus est, vti aues superuolantes consternatæ deciderent (si credere dignũ est) Gręcis cõtrà, præ lætitia exclamantib⁹. In Culice, vbi culex narrare introducitur, quæ, & quos heroas conspexerit apud inferos.

Hic erat Æacides vultus elatus honore
Alter, Dardanio fusis quod sanguine campis
Hectoreo victor lustrauit corpore Troiam.

Item huius tractus, simulq; venditi corporis exanimi, & luctus consanguineorum ob interfectum hunc vnicum patriæ seruatorem, præclarè itẽ meminit Pentadius in epitaphio Hectoris elegantissimo iuxta ac mœstissimo, cuius posteriores versus apponimus.

Hunc ferus Æacides circum sua mœnia traxit,
Quæ juuenis manibus texerat ante suis.
Heu quantos Priamo lux attulit illa dolores,
Quos fletus Hecubæ, quos dedit Andromachæ?
Sed raptum pater infelix, auroq; repensum
Condidit, & mœrens hac tumulauit humo.

Alexander M. Batin Præfectum Gazæ, quod captus, supplex sibi esse detrectasset, simili pœna multauit. Per talos enim spirantis lora traiecta sunt, religatumq; ad currum traxere equi, gloriante rege, Achillem, à quo genus ipse duceret, imitatum se esse supplicio de hoste capiendo. Curtius lib. 4. Longe humanius se in Darium hostem iam mortuũ gessit. Nam vt scriptũ offendi apud Plutarchum lib. poster. de Fortuna Alexandri, quo loco eum præstantissimis belli ducibus comparat, & singulis anteponit, animi magnitudine vel magnũ Achillem vicit: quippe ille parua pecunia Hectorẽ defunctum vendidit: hic vero grandi ære Darium funerauit.

VT SPOLIA) Quæ Hectori ablata, Gręci jussu Achillis circũtulerunt, vt ea Troiani videre possent. Dictys l. 3.

VT CVRRVS) Currum Achillis intellige, non Hectoris, vt perperam Corrad. quem iurè Modicius reprehendit. Pictura quippe ostendebat Hectorẽ raptatum: quem Achilles currui suo alligauerat. Hector cum fugeret, cum interficeretur, curru suo vsus non fuerat.

TENDENTEMQ. MANVS PRIAM.) Quomodo Priamus, vt Hectoris sui corpus ad sepulturam ab Achille mercaretur, duce Mercurio in eius tentorium venerit, ab eodemq; humaniter habitus, & cœna exceptus sit, habes apud Homer. lib. 24. Iliad. Quem locum inserit Seneca in cap. 33. lib. 2. de Ira, cum docet, sæpe adeo nõ expedire iniuriam vlcisci, vt ne fateri quidem expediat. Exemplum affert Pastoris Equitis Romani apud C. Cæsarem. Deinde ista subnectit. Quid ille Priamus? non dissimulauit iram, & Achillis genua cõplexus est? Funestam, perfusamq; filij cruore manũ ad os suum retulit, & cœna-

& cœnauit: sed tamen sine vnguento, sine coronis: & illum hostis sæuissimus multis solatijs, vt cibum caperet, hortatus est, non vt pocula ingentia, super caput posito custode, siccaret. Totam historiam accuratè etiã ponit Dictys lib.3. Quid factũ relato à Priamo in vrbem Hectoris cadauere, & de eius sepultura idem lib. 4.

SE QVOQVE PRIN. PERMIST. ACH.) Fortem, & strenuum, manuq; promptum virum Æneam significat, qui non staret post principia, vt Thraso ille Terentianus: sed qui ita acriter, & audacter pugnaret, vt non aduersarijs tantum se obijceret, sed in eorum etiam ordinibus, in media eorũ acie versaretur. Quod & Homericum est. Nam de Diomede. Iliad.5. sic scribitur.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης πρὸς τέρσι μιγῆναι,
Ἠέ μ' τρώεσσιν ὁμίλεοι, ἢ μετ' ἀχαιοῖς.

Tydidem haud noris quorum nam in partibus esset,
An socius Græcis, an miles in agmine Troum.

Turneb. lib.18. cap.32. & Nannius lib.7. cap. 6. Non igitur alia mente dictum videtur, quam illud quoque lib.2. *Vadimus immixti Danais haud numine nostro.* Nam quod de insinuata proditione fabulatur Seruius, nimis premeret Æneam, quem poeta vbiq; ἀμύμονα inducit. Vide German.

ET NIGRI MEM. ARMA) Rex Assyriorũ Teuthamus, à Nino vicesimus, per legatos rogatus à Priamo, auxilia misit 20. millia, partim Æthiopes, partim Susianos. Ducem præfecit Memnonem Tithoni filium. Tithonus autem præfectus Persarum erat. Hæc Diodorus lib.2. cap.6. Poetæ Tithoni (qui fuit frater Laomedontis) & Auroræ filium hunc Memnonem dictitant. Quem quidem ab Achille cæsum vti mater luxerit, memorat. lib. 13. Metamorph. Ouid.

Non vacat Auroræ, quamquã ijsdem fauerat armis,
Cladibus, & casu Troiæq;, Hecubæq; moueri.
Cura deam propior, luctusq; domesticus angit,
Memnonis amissi: Phrygijs quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.
Vidit, & ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat: latuitq; in nubibus æther.

Seneca item Troadibus.

—— cuius ob luctum parens
Pallente mœstum protulit vultu diem,
Suiq; victor operis exemplum horruit,
Didicitq; Achilles & dea natos mori.

Ex huius cineribus quo pacto progeneratæ sint aues, quæ appellantur Memnonides, Ioue scilicet Auroræ precibus annuente, ibidem inuenies, & apud Plin. lib. 10. cap.26. Designatè dictum est, *nigri Memnonis arma.* Nam vt ait Dictys, neq; in eadem arte simplex, atque idẽ modus, sed vt quemq; regionis suæ mos assuefecerat, ita telis in alium modum formatis, scutorum etiam, & galearum multiformis species, horrendam belli faciem præbuerunt. Lege quæ sequuntur de eius prælijs, & morte lib.4. Etiam huic Vulcanum ab Aurora rogatum fabricasse arma traditur 8. Æneid.

DVCIT AMAZONID. LVN. AG. PELT. PENTHES.) De origine, & facinoribus Amazonum multa Diodorus lib. 2. cap.11. & lib.3. cap. 4. Herodotus lib.4. Iustin. lib. 2. Orosius lib. 1. cap. 15. Pausan. lib. 1. Hæ solæ ex omnibus fœminis nulla vnquam clade potuerunt deterreri, quin nouam semper aleam subirent: nam & Themiscyra capta, & copijs quas contra Athenienses miserant deletis, ad Troiam cum Athenienſibus ipsis, & vniuersis Græcis pugnarunt. Rationem nominis hanc tradunt, quod infantium puellarum (nam masculos necabant) dextras mammas inurerent, ne sagittarum iactus, seu commoditas hastæ gerendæ impediretur. Ideo Titinnius poeta priscus vnimammas vocauit. Diodorus ita scribit. Amazones τῶν θηλυτέρων τὸν δεξιὸν μαζὸν ὀπικαίειν, ἵνα μὴ κωλὰ τὰς μάχας τῶν σωμάτων ἐπαιρόμενος ἐνοχλῇ. ἀφ' οὗ αἰτίας συμβῆναι τὸ ἔθνος τῶν ἀμαζόνων ταύτης τυχεῖν τῆς προσηγορίας. Hoc est, virginibus dexteram mammam inurere, ne in prælijs tumore suo corporis agilitatem impediat: eaque de causa factum, vt Amazonum gens hoc nomen inuenerit. * *Quia verò securibus vtebantur in pugna, ideo Ouidius in epistola Phædræ securigeras puellas vocauit. Vide amplius de Amazonibus lib.11. ibi* Quales Threiciæ cùm flumina Thermodoontis. *Digna item cognitu, quæ Æneas Syluius in historia Boëmorum cap. 7. de illius gentis Amazonibus, præsertimq; de earundem tanquam Penthesilea, & regina, Valusca litteris commendauit.*

LVNATIS PELTIS) Quid inter parmam, clypeum, scutum, peltam, ancile, discriminis, disputat Aldus Manutius Pauli F. de rebus per epistolam quæsitis lib. 1. cap. 6. Lunam semiplenam pelta referebat. Et Suidas, πέλτον ἀσπὶς ἴτυν μὴ ἔχουσα, clypeus rotunditatẽ non habens. Describit peltam Pierius à se Romæ in marmore visam, lib.42. in Scuto. Eo scuti genere, vt ex Virgilio, Plinio, Nonio perspicuum fit, Amazones vtebantur. Item Macedones, vt Liuij, Plutarchi, Æliani testimonio patet. De materia sequimur Seruium, qui ait loreum scutum fuisse. Ælianus etsi materiam non nominat, leue tamen scutum, exiguumq; vocat.

PENTHESILEA FVRENS) De Penthesilea hæc habeo quæ dicam. Dictys lib.3. Penthesilea regina Amazonum, incertum pretio, an bellandi cupidine auxiliatum Priamo aduentauerat. Gens bellatrix, & ob id à finitimis indomita, specie armorum inclyta per mortales. De eius pugna cum Græcis, & morte lib.4. Dares. A Neptolemo obtruncatam refert. Penthesilea, inquit Iustinus lib. 2. regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium aduersum Græcos ferret, magnæ virtutis documenta extitere. Idem. Orosius lib. 1. cap. 15. Venit autem suppetias post cædem Hectoris, ingentique numero Græcorum perempto, tandem ipsa quoq; fortissimè dimicans ab Achille interfecta fuit. Auctor Dictys, & Diodorus lib. 2. Accipe & versus Tryphiodori super ea, vt quidem Xylander latinos fecit.

Tunc & Amazonides à Thermodoonte feroci
Innuptæ, teneræ quæ propter prælia mammæ
Fœcundam exurunt toto tenus orbe papillam,
Plangebant armis præclaram Penthesileam,
In varios veniens quæ cœtus Martis anheli,
Fœminea multos dextra dare terga coëgit
Ipsas ad naues, nubem repulitq; virorum,
Solus & Æacides congressum illius Achilles
Sustinuit, valida & traiectam cominus hasta
Ad manes misit, cum vitaq; exuit armis.

EXERTÆ CINGVLA MAMMÆ) Exertæ Seruius intelligit nudatæ: nudatam autem vult esse exustam. Supra ex Diodoro cognouimus, dextram adurere solitas: nudassent ergo dextram secundum Seruium. Contrà, hanc, seu locum potius huius tectum habuisse, sinistram autem integram seruasse, & eam exeruisse, perspici potest ex verbis Q. Curtij lib. 6. Agens ille de congressu Thalæstris reginæ Amazonum cum Alexandro, Vestis, inquit, non toti Amazonum corpori obducitur, nam læua pars ad pectus est nuda, cætera inde celantur: nec tamen sinus vestis, quem nodo colligunt, infra genua descendit. Altera papilla intacta seruatur, qua muliebris sexus liberos alunt: aduritur dextra, vt arcus facilius intendant, & tela vibrent. Quæ extrema, eadem sunt cum superioribus.

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuq; hæret defixus in vno:
500 Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna iuuenum ſtipante caterua.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille ſecutæ
Hinc atq; hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiensq; deas ſupereminet omnes.
505 Latonæ TACITVM PERTENTANT GAVDIA PECTVS.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat
Per medios, inſtans operi, regnisq; futuris.
Tum foribus Diuæ, media teſtudine templi
510 Septa armis, ſolioq; altè ſubnixa, reſedit.
Iura dabat, legesq; viris, operumq; laborem
Partibus æquabat iuſtis, aut ſorte trahebat:
Cum ſubitò Æneas concurſu accedere magno
Anthea, Sergeſtumq; videt, fortemq; Cloanthum,
515 Teucrorumq; alios: ater quos æquore turbo
Diſpulerat, penitusq; alias aduexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates:
Lætitiaq;, metuq; auidi coniungere dextras
Ardebunt: SED RES ANIMOS INCOGNITA TVRBAT.
520 Diſſimulant, & nube caua ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris, claſſem quo littore linquant.
Quid veniant. cunctis nam lecti nauibus ibant
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
525 Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit.

HÆC DVM) Hæc quæ ſunt dicta, non omnia quæ erant picta, ne & Æneas nimis otioſus fingeretur, qui omnia conſideraret, cum aliud acturus veniſſet, & poeta nimis lõgus videretur, ſi omnia referret. Corrad.

OBTVTV DEFIX. IN VNO) ſolo, ita vt nihil tunc aliud intuerentur.

REGINA AD TEMPLVM) Venus ſupra, Æneam condocefaciens de locis, & hominibus, ad quos eũ venti proiecerant. *Imperium Dydo Tyria regit vrbe profecta*, inquit. Et ipſo in æde aduentum eius præſtolante, operaq; artificum, & imaginem belli Troiani cum ſtupore contemplante, regina eadem cum ſatellitio accedit, alto in ſolio reſidet, quæque regum partes ſunt, iura, & leges ſancit. Didonem ergo reginam Maro, & hiſtorici faciunt. Quo loco nec inelegans, & grauis poteſt exiſtere diſputatio, Ecquid fœmina principatum vtiliter adminiſtret. Adducam argumenta in vtramq; partem, ſi quis fortè oratoriæ ſtudioſus, declamationem volet conſcribere, & hæc noſtra paucula, exemplorum, inuentorumque ſuorum acceſſione cumulare. Vt autem nôris, cur declamationis meminerim, Caluum & Titianum magiſtros olim rhetoricos Seruius memorat, diſcipulis exercendis, è P. Virgilij Æneide, ac præſertim è lib. 6. declamationum controuerſias deligere pro ſollemni habuiſſe. Themata, inquam, Virgiliana, eorum ſimilia, quæ in forenſi deliberationum, iudiciorumq; diſceptatione verſarentur, illis proponebant: locorum artis in quamq; cauſſam conuenientium admonebant: A multa, quæ ad inuentionem, collocationem, elocutionem requirerentur, eorum ſollertiæ ac induſtriæ relinquebant. Ad quem ferè modum adoleſcentem ſe in ſcholis declamitare coactum D. Auguſtinus in Confeſſion. prædicat: vt facilè cognoſcamus, per Africana quoque Gymnaſia, hoc moris fuiſſe celebratum.

Pro parte igitur inſiciante ſic rationes concludemus. I. Cùm mores animi ſequantur temperamentum corporis, fœminaq; ſit imperfectiore corpore, probabile euadit, animo quoq; imperfectiorem eſſe: qui quam diu corpus incolit, eius inſtrumentis ad functiones ſuas explendas vtitur. II. Secundùm naturam eſſe omnes confitebuntur, vt, quod minus perfectum eſt, à perfectiore gubernetur, illiq; ſubſit. Atqui omnis fæmina viro eſt imperfectior. Ergo illi parere debet, non præcipere. III. Negotium abſurdiſſimum videtur, fœminas condere leges, viris quæ agenda B ſint edicere, bella procurare, bonos, fortes, ac ſapientes docere. Quod cùm ita ſit, etiam perabſurdum ſtatuatur neceſſe eſt, fœminas in viros imperium moliri. IV. In politicis Ariſtoteles clariſſimis verbis id prohibet: ait enim marem imperare, fœminam, obtemperare oportere. Marem meliorem eſſe natura quàm fœminam. Marem, niſi à natura diſceſſerit, imperio eſſe aptiorem fœmina. Adde, quod deus mulieri dixit, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Quibus verbis ſexum hunc imbecillum, & deteriorem præſtantiori ſubiectum eſſe voluit. Non igitur æquum videtur, à fœminis tractari imperia. Pro parte affirmante hæc dici poſſunt. I. Fæmina perinde atque vir ſecundùm naturam conſilio, virtute, prudentia valere poteſt. Qui his valent, eos natura dominos conſtituit. II. Leges, inſtituta, exempla maiorum hoc fieri poſſe coarguunt: nempe vt mulier hiſce ornamentis prædita, atque ideo digna ſit, quæ rempub. moderetur. III. Corporis mollities aut imperfectio humoris fœminam non plus, quam ſenem, aut infirmæ valetudinis hominem mercede virtutis, id eſt, honore, debet pri-

bet priuare. IV. Teſtimonio ſacratum litterarum imperia mulie- A
bria comprobantur. Eſt enim in lib. Iudicum de Delbora, quæ ius dixit Hebræis. V. Poſtremò legimus gentes nonnullas, apud quas mulieres de ſumma repub. conſulerentur, & iudiciis præeſſent, vt Semiramis, Nitocris apud Aſſyrios, Zenobia apud Palmyræos. Claudian. lib. 1. in Eutrop.

------ Medis, leuibusq; Sabæis
Imperat hic ſexus, reginarumq; ſub armis
Barbariæ pars magna iacet.

Patet etiam ex Cæſare, Tacito & alijs ſcriptoribus, cùm plurima, tum maxima Germanos olim de ſententia mulierum geſſiſſe.

FORMA PVLCHERRIMA DIDO) Decoram ſpeciem, & conformationem quandam oris atque corporis totius in regibus etiam quæri, & ad ſubiectorum conciliandos animos valere plurimum, conſtat ſatis inter eruditos. Curtius lib. 6. Plurimis gentibus in corporum maieſtate veneratio eſt, magnorumq; operum nõ alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. Quod ipſum cum minime ignoratet poeta prudentiſſimus, pari modo reginæ formam excellentem tribuendam exiſtimauit. *Forma pulcherrima* inquit. Doctrinam ſalutarem Philonis lib. 2. Allegoriar. legis, à me animaduerſam, quid nimirum faciendum ſit nobis, cùm in formoſæ mulieris alicuius aſpectũ inciderimus; quomodo item in ijs, quæ reliquis obijciuntur ſenſibus, nos ex officio gerere debeamus, viſum eſt hìc potiſſimùm ijs proponere, quorum affectus vel ætatis maturitate, vel diſciplinæ ſeueritate nondum deferbuerũt: ſed adhuc exultant, & frænis parere pro ſupplicio habent. *Si pulchritudine conſpecta captus, pericliturus ne offendas ad eam, fuge clam ab eius imaginatione, nihil amplius menti renuntians; hoc eſt, caue mediteris eam, & cogitatione repetas. Nam continuæ reminiſcentiæ veras formas imprimendo, ladunt mentem, & inuitam concitant. Atque eadem ratio ſenſuum omnium, quicunq; nos attrahunt ad aliquid. In his enim clancularia fuga ſaluti eſſe ſolet: cunctatio verò, renunciatio, dilatioq; ſuperat rationem, & in ſeruitutem redigit. Quapropter caue anime, ne vnquam rem ſenſibilem, a qua periculum imminet, tibi ipſi renunties, néue retractes eam, ne forte ſuccumbens ei, reddaris infeliciſſimus: fuge potius, manumittens te ipſe, libertatem ferocem ſeruituti manſuetæ præferens.* Addamus Clem. Alexand. ex Pædag. lib. 3. c. 11. dictum inſigne, & mandandum memoriæ. *Videtur ſuper omnia auerſandus mulierum aſpectus: nõ ſolum ſi tangantur, ſed etiam ſi ſpectentur, peccari poteſt. Etſi enim* D *fieri poteſt, vt, qui viderit, ſe fortiter gerat, veruntamen ne cadat cauendum eſt. Fieri enim poteſt, vt qui viderit labatur: ſed fieri nõ poteſt, vt qui non viderit, concupiſcat.* Sed dicas forſitan: quàm durus hic ſermo? & quis poteſt audire eum? Audi ergo mollius quiddam prolatum à D. Chryſoſtomo, Homil. 15. ad populum Antiochenum: *Laqueus maximus mulieris forma: imò non mulieris forma, ſed laſciuus aſpectus. Non enim res calumniemur, ſed nos, & noſtrum torporem. Neque dicamus: ne ſint mulieres: ſed, ne ſint adulteria,* &c. Etiam P. Syri verbum eſt, *Nil peccant oculi, ſi animus oculis imperet.* Ignoſcent mihi cordati lectores, vti confido, ſi interdũ ad mores honeſtos, Chriſtianæq; philoſophiæ conſen- E
taneos, vel meo Marte, vel ex probatorum ſcriptorum libris docendos excurram.

MAGNA IVVENVM STIP. CATERVA) Libro 4. *Tandem progreditur magna ſtipante caterua.* Nimirum vt regina, vt populi ſui Princeps, & domina. Cum magiſtratus omnes, tum reges præſertim ſatellitibus, & ſtipatoribus cingi debent partim honoris, partim ſecuritatis cauſſa. Valebunt huc etiam, quæ lib. 4. in eadem poetæ verba de comitatu Principum attulimus.

QVALIS IN EVROTÆ RIP. &c.) Priore loco dicemus de hiſce verſibus, quatenus ad ipſam Dianam pertinent, & de ea ſine comparatione ſumi poſſunt: poſtea cõparationem eius cum Didone perpendemus: Ergò cum Virgilius Homeri lineamentis tabellam ſaltantis Dianæ, choreasq; ducentis expingit, Momus quærat, quid ita viſum ſit vtriq; poetæ, potius eam in ripis Eurotæ tripudiantem ſtatuere, quàm alicuius alterius fluminis. Nam de iugis Cynthi, ꝓpter natalem Delon, nihil habuerit Momus, aut Zoilus quod carpat. Vt igitur à calumnia vtrumq; poetam liberemus, hoc exiſtimo ab eis conſilio ſcriptum eſſe, quod Taygetus mons Eurotæ imminens, eſſet Dianæ ſacer: vt veriſimile ſit, B
eam in loco ſibi dicato, ſacroq;, & grato, in numerum cum Nymphis ſaltare libenter ſolere, non propter aquæ riuum, ſed fluuium potius amœnum. Callimachus hymno in Dianam his verbis ei chariſſimum eſſe dicit Taygetum. Νύσων μὲν Δολίχη, πολίων δέ τοι ἔνδε Πέργη, Τηΰγετός δ' ὀρέων. Equidem credo etiam non defuturos qui mirentur, quid ita deam illam puerperiorum, venationumq; præſidem, tripudiatricem, ſaltatricemq; inducant: ſed mirari deſinent, vbi intellexerint, ita animis hominum religionem illam ſectantium inſitum fuiſſe, vt eam ſemper in montibus, niſi venaretur, ſaltare exiſtimarent. Argumento eſt prouerbium, πότ' Ἄρτεμις οὐκ ἐχόρευσε; quando Diana non ſaltauit? & quòd, vt poeta idem Callimachus canit, ſaltatriculas comites à Ioue C
popoſcerit ſexaginta Nymphas. Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορήτιδας ὠκεανίνας. Sed & Oreades eam ſequuntur, glomeranturq;, cum choros exercet, quia montes omnes in poteſtate Dianæ ſunt: & omnes Nymphæ montium, eius familiares, & propè contubernales habebantur. Nam apud Callimachũ ſibi poſcit à Ioue montes omnes donari. δὸς δέ μοι ὄρεα πάντα. Hæc Turneb. lib. 6. cap. 2. Nunc ad alterum promiſſi caput.

Nihil tam improſperè ex Homero conuertiſſe Virgilium, iudicauit Valerius Probus, vt refert Gell. lib. 9. cap. 9. quam hos verſus Homeri de Nauſicaa. Odyſ. 6.

Οἷη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' ὄρεος ἰοχέαιρα,
Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι,
Τῇ δέ θ' ἅμα Νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο
Ἀγρονόμαι παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα λητώ.
Πασάων δ' ὕπερ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀειγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι
Ὡς ἦ γ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἁδμής.

Qualis per montes incedit læta ſagittis
Diana, aërium per Taygetum, aut Erymanthum,
Et rapidis ceruis, & apris ſe oblectat agendis.
Illi colludunt Ioue natæ agreſtia Nymphæ
Numina. Latonæ pertentant gaudia pectus.
Vertice at illa ſacro cunctas ſupereminet, inter-
Noſci perfacilis, decus egregium omnibus vt ſit.
Sic intacta ſuas anteibat virgo puellas.

Primùm omniũ diuerſum eſſe dicebat Probus, ꝓ apud Hometũ quidẽ virgo Nauſicaa, ludibunda inter familiares puellas, in locis ſolis, rectè atq; commodè confer- E
tur cum Diana venante in iugis montium, inter agreſtes deas. Nequaquã autem conueniens Virgilium feciſſe, quoniam Dido in vrbe media ingrediens, inter Tyrios principes, cultu atq; inceſſu ſerio, inſtans operi (ſicut ipſe ait) regnisq; futuris, nihil eius ſimilitudinis capere poſſit, quæ luſibus atq; venatib⁹ Dianæ congruat. Tum poſtea quòd Homer. ſtudia atq; oblectamẽta in venando Dianæ, honeſtè apteq; dixit: Virgilius autẽ cùm de venatu deæ nihil dixiſſet, pharetram tamẽ facit eam ferre humero, tanq̃ onus & ſarcinam. Atq; illud impenſe

Probus demirabatur, quod Homerica quidem Λητὼ gaudium gaudeat genuinum, & intimum, atque in ipso penetrali cordis, & animi vigens. Siquidem non aliud est, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Ipse autem imitari hoc volens, gaudia fecerit pigra, & leuia, & cunctantia, & quasi in summo pectore natantia. Nescire enim sese, quid significaret aliud, *pertentant*. Præter ista omnia, florem ipsius totius loci Virgilium videri omisisse, quod hunc Homeri versum exiguè secutus sit. Ρεῖα δ' ἀειγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι. quando nulla maior, cumulatiorque pulchritudinis laus dici potuerit, quàm quòd vna inter omnes pulchras excelleret, vna facile ex omnibus nosceretur. Hæc Gellius. Adde ex Vrsino, non satis rectè comparatam Dianam Didoni, cui nec mater erat, & iam Sichæo nupta fuerat: Homerum autem aptè Nausicaæ comparasse, cuius mater Arete viuebat, nec dum ipsa alicui desponsa fuerat.

Nunc quemadmodum defendi queat Virgilius, à Scaligero discamus, Poet. libr. 5. cap. 3. qui hos quidem versus à magistro, illos autem græcos à discipulo confectos se ostensurum pollicetur. Et quanquam huiuscemodi iudicatio, inquit, à doctis explosa, atque ab omnibus excussa est, nobis tamen, quæ diceremus, non pauca, eaque optima reliquerunt. Principiò, cùm personæ comparantur, earum status, mores, studia exprimenda, non loca, vel ipsius Homeri doceamur auctoritate. Idomeneum in campo cõparat apro qui sit in monte. Igni, qui est in montis vertice, armorũ fulgorem in campo. Humanæ cogitationi, quæ in cerebro, aut in corde est, Iunonis motum. Leoni in stabulis, Diomedem in acie. Muscis in stabulis circum mulctras, Græcos & Troianos circum Sarpedonis cadauer. Et Aiacem cedentẽ fortissimè, asino obstinatæ lentitudinis. Pantheræ quæ in syluis esset, extra syluas Agenoreẽ. Postremò Penelopen quoq; comparat Dianæ: quam tametsi non statuit in venatione, nunquam tamen alibi intelligitur à poetis. Præterea quanquam est Nausicaa in agro, non tamen in montibus, non cum arcu, & pharetra. Quod aiunt serium Elisæ incessum esse, longè diuersum ab incessu Dianæ: finxerunt Dianam Bacchanal quodpiã, quasi Nausicaa non moderatè incederet. Neque enim cursum vllum ibi exprimit Homerus, nullam venandi actionem, sed τερπομένη inquit. Quare ne tertia quidem obiectio quidquam est. Nam neque Homerus posuit, neq; Virgilius addidit venationem: sed insignia tantùm, sed chori tantùm exercitationem. Cuiusmodi, verò sit gaudium illud genuinũ, sanè nescio: nisi putarint φρένα aliud esse à Latona. Multo verò efficacius est percurri pectus gaudio (metaphora sumpta à citharoedis) quàm simpliciter gaudere: omnes enim partes occupantur. Longe etiam valentius detineri, idq; in frequentatiuo, & addita, *per*: nam & omnes, vt dicebam, designat partes, & perfectionem vltimam. Quemadmodum igitur illa in montibus, ita hæc in vrbe. Illa inter Nymphas, hæc inter matronas. Illa instans venatibus, hæc operi. Quæ isti duces cæcorum scire noluerunt, pharetræ futiles calumniatores: est enim ibi loco epitheti: qualia multa apud Homerum. Nam etiam inter epulas Apollo ἀργυρότοξος, Achilles vel dormiens πόδας ὠκύς. Et quod isti ignorarunt, ex diuini poetæ verbis addiscant. Neque enim temere appendit humeris pharetram. Soli enim Dianæ, & Apollini id licebat, Nymphæ ad latus gerebant: sicut soli dij ἀμφηρεφέα: alij verò non, sed detectam. Quod si omnia vngue tentare licet, quæram ego quoque vicissim, an Latona ibi sit: neque enim sequitur Dianam. Tum autem quomodo ludunt Nymphæ, si sunt in venatu? Nihil enim venatori detestabilius, quàm fabulæ, & lusus inter venandum: putatur enim à nobis infelix futura venatio. Præterea si extat capite, qua ratione frõtem addidit? Postremò longè consultius dilatum gaudium illud in epiphonema. Est enim Latona tota, extra totam materiam. Huc vsq; Scaliger.

HINC ATQVE HINC GLOM) Vsus est Virgilius, inquit Iouian. in Actio, mirabili artificio, cum vellet duas quatuor syllabarum voces, easdemque dactylicas simul connectere. Præmisit enim duo monosyllaba inter se copulata, quib⁹ numeris quid excogitari potest hilarius, vel quod auribus tam adulanter blandiatur? In octauo quoque, & duodecimo mirificè huiusmodi dictiones implent aures, præsertim vbi fuerint spondaici, vt,

Pallantis proaui de nomine Pallanteum. &.
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.

Quid cùm idem poeta tres simul collocauit quatuor syllabarum voces, insonuitque? *Cornua velatarum obuertimus antennarum.* Vtque sonus esset vocalior, & explosionem adhibuit, cum dicere posset *vertimus*, & id præstitit, mediæ vt syllabæ assonarent vltimis. Hilarem, ac maximè gratum numerum exhibuit Lucretius, duobus è tetrasyllabis, ijsque dactylis, interiecto trisyllabo, post quoque collocato monosyllabo, inquiens. *Omnigenis perfusa coloribus in genere omni.*

GLOMERANTVR OREADES) Nymphæ montium dicuntur Oreades, vt syluarum Dryades, fontium Napææ, vel Naiades, maris Nereides. Sed de generibus Nympharum lege Gyrald. Syntag. 5. & Natalem lib. 5. cap. 12. Napæas quidam contra Seruium potius conuallium, & saltuum esse dicunt, quam fontium, ἀπὸ τῆς νάπης.

GRADIENSQVE DEAS SVPEREM. OM.) Nimirum in muliebri corpore quum alia, tum statura quoque commendatur, cæterisque paribus, quæ longiores sunt, pulchriores ducuntur. Magnitudinem quoq; alteram virtutem corporis muliebris ponit Aristoteles lib. Rhet. 1. cap. 5. Multa super hac re exprobatissimis scriptoribus Tiraquell. in 2. leg. Connub. num. 73. & deinceps. Hoc ergo voluit noster vates. Nec fugit illum, qui in exponendis cuiusdam laudibus, ait,

Fulua coma est, longæq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

TACITVM PERTENT. GAVD. PECTVS) Homerus, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Hoc ita, & suauiter admodum expressit Lucretius, *& tacita pectus dulcedine tangunt.* Expressit etiam Virgilius, secutus Lucretium, & adiutus ipsius ingenio, sed minus poeticè. Victor. lib. 7. cap. 15.

Vt omittam expressisse τὸ ἦθος parentum super incolumitate, fælicitate, pulchritudine, secundis denique rebus sibi gratulantium, ac lætantium, gaudere Latonam super filia in tacito sinu, voluit dicere: quibus verbis intimum quoddam, & secretissimum, & in ipsis medullis gaudium declaratur: quod se foris in vultu non ostendit. Quorum enim vultus multa hilaritate diffunditur, ac rubescit, qui etiam risum edunt in lætitia, eorum gaudium cordis nominat Ecclesiast. cap. 30. *Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Producit ex 4. Tuscul. insignem locum Corrad. & eo respexisse vult Maronem. Quum ratione animus mouetur placidè, atque constanter, tum illud gaudium dicitur: quum autem inaniter, & effusè animus exultat, tum lætitia gestiens, vel nimia dicitur. Hæc lætitia non modo non cadit in deum, sed ne in sapientem quidem: quando, vt ait idem Cicero, gaudere decet, lætari non decet. Plura vide ibi.

INSTANS OPERI) Sic Græci curatores operum ὀπισάτας, & ἐργοδιώκτας vocant. Vnde & Iureconsultis, serui institores: & instans operi, ὀπισθίεσα, vrgens, maturans opus.* *Supra*, Instant ardentes Tyrij, *absolutè positum est. Sic lib. 2.* Instamus tamẽ immemores. Ille instat factum, *lego apud Terentiũ.*

TVM FOR. D. MED. TEST. TEMP.) Verba ex sententia Donati sic ordinat Corrad. Tum septa armis foribus Diuæ, solioque altè subnixa media testudine templi, resedit: hoc est, quum reliquisset armatos satellites ad custodiam in foribus diuæ, & ipsa intrasset in templum, media sub testitudine templi in alto solio consedit. Sic 2. Æneid. etiam loquitur, *iuuenes fortissima pectora*, &c. Et Georg. 4. *Vulcani, Martisq; dolos, & dulcia furta*, nam Vulcani dolos, & Martis furta dicas oportet.

Puto in medio templi fores fuisse, non tantum in primo, & quodam septo disclusum diuæ sacrariũ fuisse, interioremq; cellam, & iuxta eam in medio templo tribunal reginæ. In medio autem templo numinis erat simulacrũ, cui templũ erat dicatum. *In medio mihi Cæsar erit, templumq; tenebit*, inquit Maro. Apuleius, Namq; in ipso ædis sacre meditullio, ante deæ simulacrum constitutũ tribunal ligneum iussus superstiti. Eodem modo dixit Sedulius: *Dumq; sui residens media testudine tẽpli.* Turneb. lib. 10. cap. 11. Testudines sunt loca in ædificijs camerata, ad similitudinẽ aquatilium, ait Corrad. testudinum, quæ duris tergoribus sunt, & incuruis. Nonius, Solet fieri testudo in tẽplo, vt cæli imago reddatur, vt ita nos ad deum, qui in cælo est, colendũ magis excitemur.

IVRA DABAT, LEG. VIRIS) Quod in templo ius dicit, videtur poeta ad morem Romanorum respicere, vt enim Gell. libr. 14. cap. 7. ex Varrone refert, nõ licuit senatusconsultum facere, nisi in loco per augures constituto, ꝙ templum appellaretur. Corrad. Sic in 5. Acestes in primordijs statim vrbis nouæ *Indicitq; forũ, & patribus dat iura vocatis.* Iure optimo. Dixit persapienter Heraclitus: ciues oportere pugnare, non minus pro legibus, quàm pro mœnibus: his quippe carere ciuitatem posse, illis non posse. *Facultati legislatoriæ quatuor hæc coniunctissima esse traditũ est à Philone, lib. de vita Mosis: charitatem erga proximos, iustitiam, amorẽ virtutum, & odium vitiorum. Quisquis enim ad leges ferendas animũ appulit, ab his caussis singulis permotus est. Siquidem charitas docet sententias vtiles proferre in mediũ. Iustitia honoratur vt æquabilitas, suũ cuiq; tribuens. Virtutũ amor approbat quidquid natura bonũ est, & id omnibus dignis exhibet sine inuidia. Odium autẽ vitiorum, exagitat contemptores virtutis, suspectos habens vt hostes humani generis publicos, & perpetuos. Hæc vel singula magnũ est alicui contingere: mirandũ verò, si vniuersa vnus possit consequi.*

DABAT VIRIS) Ipsa fæmina cum esset, supra captum communẽ illius sexus, tantũ valebat prudentia, vt viris posset quid agendũ esset, & quo pacto iustitiæ seruiendũ, præscribere. Est ergo ἔμφασις in vocabulo *viris.*

PARTIB. ÆQ. IVST. A SORT. TRA.) In distribuendis operum laboribꝰ aut sua iustitia, aut sorte vtebatur: iustitia, si videbat ita posse partiri, vt neminem offenderet: sorte, si nõ poterat partiri sine alicuius offensione. Corr.

QVVM SVBITO ÆNEAS) Dolor ingens cum insperata, & summa lætitia commutatur. Quos enim fluctibus haustos, ac penitus periisse crediderat Æneas, ij salui, & incolumes apparebant. Præcipuis nominatis, vulgus indicat, *Teucrorumq; alios.* Nascimb.

CONCVRSV MAGNO) Intellige Afrorũ multitudinem, qui cupidi rerum nouarũ, vt etiam nostrũ vulgus, aduenas circumdabant, & in templũ comitabantur, ꝙ nonnullũ Æneæ timorẽ afferebat, vt sequitur. Nascim.

OBSTVPVIT SIMVL IPSE) Admirationem, lætitiam, metum visis socijs cum Afrorum concursu, auditisq; eorum clamoribus supplicibus, Æneam & Achatem concepisse ait. Obstupuit, & perculsus, ad primum affectum refero. In exspectata enim, seu improuisa admirationem generant. Et quanquam à Venere naues cum sociis in portum venturas audierat, tamen nec prędictionis memor erat, cuius ipsum admonet Achates: & se illo loco eos visurum non sperabat. Gaudiũ ei creabat eorum liberatio. Metum incutiebat concursus Pœnorum, quorum nondum erat manifesta affectio. Quare tametsi vehementer cupiebant iungere dextras, tamẽ dissimulandum adhuc censebant, cognoscendumque prius, quo loco res ipsorum essent, bono ne, an malo: vbi classem reliquissent: quid petituri ad reginam accederent. Pacem orabant illi quidem anteq̃ Didonẽ alloquerentur. Sed quare (ꝓpter impetũ nempe, quẽ in naues, seu egredientes è nauibꝰ faciebãt Pœni, & ꝓpter incendium, ꝙ inferebant) id nec dũ exploratũ illis erat.

ORANTES VENIAM.) Verbum *venia*, frequenter in precibus ponitur, & est Pontificale, vt inquit Seruius. Dicta autem venia ad eliciendam misericordiam: meretur enim beneuolentiam numinum, qui licet innocens sit, veniam, tanquam peccauerit, petit. Lib. 4. *Tu modò posce deos veniam.* Cicero addit, pacem. Pro Fonteio. In bellis gerendis à dijs immortalibus pacem, & veniam non petunt barbaræ istæ gentes. Pro Caio Rabir. A Ioue pacem, & veniam peto.

TEMPLVM CLAM PETEB.) Cur extra templum clamarint Troiani, & apud Reginã Ilioneus placido pectore cœperit dicere, docet Regulus.

POSTQVAM INTROGRESSI) Interdum collisione ex ipsa vel extruditur, vel exciditur potiꝰ integra syllaba, vel eius bona pars, id est, vocalis cũ consonante littera, vt hoc loco, &, *Illum expirantẽ transfixo pectore.* Item, *Illum & labentem Teucri.* si detraxeris, &, deq; altero, ex, dixerisque. *Illum labentem Teucri. Illum spirantem transfixo pectore*, curtum nescio quid statim offenderit. Hoc autem ideo dicimus, quod non vtiq; collisiones ipsæ fiunt necessitate carminis, sed arte potiùs, atq; aurium obsequio, id est numerorum gratia. Cur autem syllabæ ex vocali, & m, compactæ deturbentur vbiq; nunc è versu (nam priscis illis sæculis non semper excludi esse solitum, versus ille Ennianus docet, *& millia millitum octo*) videtur caussæ illud esse, quod propter, m, terminalem, obtusum nescio quid, ac suboscurum sonent, quod aures vix patiantur in fine vocum. Iouian. Actio.

O regina, nouam cui condere Iupiter vrbem,
Iustititiaq; dedit gentes frænare superbas:
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à nauibus ignes,
530 Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis

Est lo-

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt:
535 Terra antiqua, potens armis, atq; vbere glebæ.
Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Cum subitò assurgens fluctu nimbosus Orion
540 In vada cæca tulit, penitusq; procacibus austris,
Perq; vndas superante salo, perq; inuia saxa
Dispulit: huc pauci vestris adnauimus oris.
QVOD GENVS HOC HOMINVM? QVÆVE HVNC TAM BARBARA MO-
PERMITTIT PATRIA? HOSPITIO PROHIBEMVR ARENÆ. (REM
545 Bella cient, primaq; vetant consistere terra,
SI GENVS HVMANVM, ET MORTALIA TEMNITIS ARMA,
AT SPERATE DEOS MEMORES FANDI, ATQVE NEFANDI.
Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis:
550 Quem si fata virum seruant, si vescitur aura
Ætheria, nec adhuc crudelibus occubat vmbris,
Non metus: officio nec te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus vrbes,
Armaq;, Troianoq; à sanguine clarus Acestes.
555 Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et syluis aptare trabes, & stringere remos.
Si datur Italiam socijs, & rege recepto
Tendere, vt Italiam læti, Latiumq; petamus:
Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrûm
560 Pontus habet Libyæ, nec spes iam restat Iuli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesq; paratas,
Vnde huc aduecti, regemq; petamus Acestem.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

NOVAM CVI COND. IVP. VRBEM) Ilioneus primùm reginæ imperium gratulatur, eiusq; iustitiam, quæ prima ac præcipua imperantium virtus est, collaudat. Deinde qua barbarie, & inhumanitate, atque adeò immanitate ab eius subiectis tractentur Troiani, ipsi nullum prorsus maleficium, nullam incursionem in fines, nullam denique cædem, aut populationem meditantes, sed hospitium tantum ad breue tempus in littore petentes, donec se ad nauigationem repetendam cõparassent, exponit. Cælestem Carthaginensibus vltiorem comminatur. A prædicatione Principis sui Æneæ, ab amicitia regis Siciliæ Acestæ, Didonem ad benefaciendum egentibus, & afflictis allicit, subducendæ, instaurandæque classis facultatem petit. Vides nostrum quoque Homerum facere διοτρεφέας βασιλῆας? Agnoscunt ambo à natura docti, quod scriptum reliquit Apostolus, Omnis potestas est à Deo. Et quod in sacris prouerbijs legimus, Meum est consilium & æquitas: per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt: per me Principes imperant, & potestates decernunt iustitiam.

IVSTITIAQVE DEDIT G. FRÆN. SVP.) Probantur versus illi maximè, qui inter dimetiendũ inueniantur complicatis inter se pedibus, inuicemq; insertis, vt pes pedi sit tanquã catena iunctus, ex quo genere hic est. Ad sententiam verborum quod attinet, Cicero 1. Off. Mihi quidem non apud Medos solùm, vt ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros seruandæ iustitiæ caussa videntur olim bene morati reges cõstituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant, virtute præstantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat.

TROES TE MISERI) Digni ergo misericordia quæ debetur miseris: & non offensione ac malo tanquã hostes, cum nocere Poenis nihil possint.

VENTIS MARIA OM. VECTI) Alibi, *acti fatis maria omnia circum.*

PARCE PIO GEN.) Ne, quamuis prohibeat infandos à nauibus ignes, ipsos tamen tanquam prædones interfici iubeat.

PROPIVS ASPICE RES NOSTRAS) Non desunt, qui oculum fauoris, & beneficentiæ signum dicant: & in sacris verbum *aspicere* significare se propitiũ, & benignum ostendere. Videmus enim apud Maronem,

nem, vbi Iupiter Libyæ defixit lumina regnis, reginam rite quietum accipere in Teucros animum mentemq; benignam. Contrà vero, de Pallade acriter irata, *Diua solo fixos oculos auersa tenebat.* Hunc vero fauorem, qui per oculum indicatur, Theologi nostri gratiam vocant. Vnde quos Deus aspicit, fortunatos: quos auersare videtur, derelinqui, & infelices esse profitemur. Pierius lib. 38. in Oculo.

Res nostras, res vestras, meum, tuum, suum, nostrum, vestrum, nihil his inter homines dictu vsitatius: quia videlicet nos dominos, ac possessores rerum putamus: nec intelligimus quomodo nihil penitus, nec corpus, nec animus, nec aliarum rerum quidquam in nostra sit potestate. Tantumodo enim ad vsum, & fructum nobis à Deo concessa sunt. Quare χρήσει μὲν, at non κτήσει nostra dicamus licet? Super hoc sapienter scriptum reliquit Philo. libro de Cherubin. *Equidem constitutus ex corpore & animo, qui mentem, rationem, sensum habere videor, nihil horum meum peculiare inuenio. vbi enim erat meum corpus antequam nascerer? quò discessurũ post obitum? vbi sunt quæ aliquid videntur, ætatum differentiæ? vbi infans, puellus, puer, ephebus, adolescentulus, vestitus prima lanugine, perfectus vir? Vnde venit anima? quo discessura? quamdiu nobiscum habitatura? quænam eius essentia? Possumusne dicere, quando eam accepimus? ante natiuitatem? sed tum nondũ eramus. Concretæ ne sunt corporibus? at sic deuoluemur ad rediuiuas natiuitates. An non sunt? Certè nunc cum viuimus, imperata facimus magis, quam imperamus, & noscimur magis, quam noscimus. Nouit enim nos ipsa, nobis incognita, mandata dat quæ exequi necessum est, quasi famulos dominæ: & vbi nos relinquere voluerit, ac migrare ad suum illum principem, desertum destituet hoc, in quo viuimus, domicilium: & retinere si voluerimus, elabetur. Habet enim naturã tenuium partium, vt nullã ansam præbeat corpori. Quid intellectus qui in me habitat, fallax, coniector, erroneus æstimator, delirans, stultescens, demens interdum in excessu, & atra bili, & longo senio? At sermo mihi peculiaris est, aut vocis instrumẽta. Nonne ad quemuis morbum lingua deficit? nónne vel eloquentisimũ os obturatur? Nonne multi exspectatione mali alicuius nequeunt hiscere? Atqui ne sensus quidem dominus comperior, & bonum, si non etiam seruus, ab eo per vim tractus, ad colores, ad figuras, ad voces, ad odores, ad sapores, ad cætera corpora. Per quæ omnia liquere satis puto, nos alienis vti possessionibus, nec gloriam possidendo, nec diuitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidpiam vel corpori, vel animæ proprium, immo ne vitam quidem. Vsum fructum habemus solum. Quod si agnosceremus, curaremus tanquã res dei, præcogitantes, morẽ esse domini recipere sua, quandocunq; ipsi visum fuerit. Sic enim ademptas ferremus leuius. Nunc pleriq; omnes dum existimant hæc sua esse, ac ppria, priuati quopiã eorum, & egentes mox opprimuntur mœstitia. Est igitur non solum verum, sed etiam ad consolationem vtilissimum, credere, mundum hunc, & quæcunq; continet, esse creatoris, ita possessiones sunt opera,* &c.

NON NOS AVT FERRO) Occupat quod poterat obijci. Græcis olim, & Barbaris mare accolentibus, & insulanis hunc prędandi morem fuisse, proditum est à Thucydide lib. 1. Cum enim nauigijs consueuissent inter se commeare, tandem ad piraticam faciendam se dederunt. Quibus se viri potentes etiam duces præbuerunt, & tenuiores hinc præcipuè sibi victum quæritabant. Nondum enim istuc in turpibus numerabatur, sed potius in honorificis: quasi videlicet progymnasma quoddam militare esset. Apud veteres etiam poetas, præternauigantes semper interrogantur, num prædones sint. Tanquam his qui interrogantur non turpe sibi ducentibus hoc facinus, & his qui quærunt, non exprobrantibus.

EST LOCVS, HESPER.) Narratio, quæ cum exordio, vel præjudicio pulchre connectitur. Non venimus Libycos populare penates, sed Italiam petimus, vt dicetur: quod Ilioneus vt faciat, ante locum describit, & ita narrat. Corrad. Viderunt Seruius & Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 1. ab Enniano fonte manasse illud, *Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt.* Ille enim sic in 1. Annal. *Est locus, Hesperiam mortales quam perhibebant.* Hesperus autem Hispaniæ rex à germano Atlante ob regni cupiditatem pulsus, ad Tuscos se cõtulit, factusq; Etruriæ Principi adhuc infanti tutor, & administrator, Saturniam à suo nomine Hesperiam dixit. Macrobio tamen Hesperia ἀπὸ τῆς ἑσπέρας, quod occasui subiecta.

TERRA ANT. POTENS ARMIS) Antiqua, vel nobilis, vel quæ vetustate certet cum cæteris regionibus, habitata à Iano, & Saturno dijs antiquissimis. Antiquam autẽ vocat & lib. 3. Potens armis, quæ multum valeat viris & armis. Georg. 2.

Quæ genus acre virũm, Marsos, pubemq; Sabellam,
Assuetumq; malo Ligurem, Voscosq; verutos.

Corrad.

VBERE GLEBÆ) Vide 2. Georg. de laud. Italiæ.

OENOTRII COLVERE VIRI) Hic Virgilij quasi interpretem egit Aristoteles, cuius verba è 7. Polit. adscribam. Φασὶ γὰρ οἱ λόγοι, τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τότε ὄνομα μεταβαλόντας ἰταλοὺς, ἀντ' οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς εὐρώπης ἰταλίαν τοὔνομα λαθεῖν ὅση ἐντὸς ἅσα τοῦ κόλπου τοῦ σκυλλητικοῦ, καὶ χαμιτικοῦ, Interpretari nihil attinet, cũ Virgil. eius verba summa fide retulerit. Quidã libri, quos castigatiores puto, nõ *Oenotrij coluere viri*, sed Oenotri trisyllabωs legunt, vt ω in dictione græca incolumis maneat. Oenotria autem dicta fuit ab Oenotro Lycaonis filio, qui ex Arcadia huc cõmigrauit, cumq; quintũ numerant ab Ægæo, & Phoroneo, qui primi in Peloponneso regnum obtinuerunt. Nonnulli hunc eundẽ, & Noe, & Ianum fuisse existimant, idq; ex linguarum etymologijs deducunt. Nannius lib. 7. cap. 7.* *Cum Peucetio fratre, alijsq; Græcis è Peloponneso in Italiam traiecit Oenotrus. Ille, super Iapigiæ promontorium cum suis sedem fixit. Hic occidentalem Italiæ partem, quæ tum Ausonia ab Ausonibus indigenis, occupauit. Ibi parua & contigua oppida condidit, & quantum agri obtinuit (fuit autem id non modicum) ab se Oenotriam nominauit. Vide plura lib. 1. apud Dionysium.*

NVNC FAMA MINORES ITAL. DIXISSE) De nominibus Italiæ ex Iunij Animaduersionibus, principio huius libri satis multa, quæ hic quoq; poni potuissent. Minores apud idoneos scriptores dicuntur posteri, seu posteriores, quibus respondent maiores. Horat. ad Pison. *censor, castigatorq; minorum.* Lucret. lib. 5. *quas lacrymas peperere minoribus nostris.*

HVC CVRSVS FVIT) Dedita opera creditur imperfectum fecisse versum, vt abrupto eo, cursum abruptũ significaret. Complura sunt hemistichia eiuscemodi in Æneide, nec omnia sensu perfecto: quæ Virgilius vtiq; perfecisset, si libros suos emendare potuisset. Quamq; sunt, qui eum cõsultò imperfectos reliquisse asserant, quasi qui nosset, futurum neminem, qui ceu Apellis inchoatam, seu dimidiatam Venerẽ posset absoluere. Et sane de vetustioribus poetis non fuit, qui id tentare auderet. Sed ista hemistichia, primi duntaxat, & secundi libri apud Nannium integrata inueniuntur. Vtrum vero Nannius ipse integrauerit, quædam saltem, an ab alio ita cõpleta acceperit, curiosius exquirere nihil est

opus. Placet ea carmina hîc proponere, & lectori censenda relinquere. Aliena verba, seu assumenta mutata litera notauimus.

Huc Cursus fuit, huc ventis cita classis abibat.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant,
Dardanidæ, nutuq; eadem, vultuq; professi.
Munera, lætitiamq; dei liquidissima vina.
Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab vno
Disce omnes, vultumq; & verba vt finxerit idem.
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat. sed eum damnatum fata trahebant.
Ferro accincta vocat, prædasq; ostentat ab alto.
Vos agitate fugam, mihi viuere non datur vltra.
Attentare nefas, donec me flumine viuo
Abluero, tum te confestim onere ipse leuabo.
Congeritur, pueri & pauidæ longo ordine matres
Stant circũ, gemitu, & lacrymis terra ipsa madescit.
Quem tibi iam Troia peperit fumante Creusa. *aut,*
Quem tibi iam Troia obsessa est enixa Creusa.

Currere porrò, & cursus ad nauigationem transferuntur. Horat. Ode 6. lib. 1. *Nec cursus duplicis per mare Vlissei.* Ode 34. eiusdem lib. *nunc retrorsum Vela dare, atq; iterare cursus Cogor.* Noster Æneid. 3. *Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?*

NIMBOS. ORION) Dictus est primum Vrion, dedeinde propter euphoniam Orion. Vide Palęphatum. Ortus huius creat tempestates.

IN VADA CÆCA TVLIT) Cæcum poetis est sæpissime ἀόρατον, quod sub aspectum non cadit, quod cerni non potest, quod occultum, quod abditum est, quod latet. Lucret. lib. 1. *Quare etiam atq; etiã sunt venti corpora cæca.* Vocat ventos corpora cæca, quoniam nescitur quid, & vnde sit ventus, & tamen esse aliquid, & corpus, ex effectibus, & agitatione syluarũ, aquarum, nubiũ apparet. Idem. *Ictibus illorũ cæcis impulsa cientur.* Virgil. 4. Georg. de apibus. & *spicula cæca relinquunt.* Lib. 2. Æneid. *Limen erat, cæcæq; fores.* Et lib. 3. *cæcis erramus in vndis.* Lib. 6. *cæca regens filo vestigia.* M. Tull. lib. 2. de orat. res cæcas, & ab aspectus iudicio remotas.

PENITVSQ. PROCACIB. AVSTRIS) Terent. Hecyra, de Bacchide. *Maligna multò, & procax facta illico est*, id est, dispoliatrix, & petax. Procare enim est petere. Et procacibus austris, id est, impudentibus: nam qui multum petit, impudens est, & procax. Sic Donatus ibidẽ. Lucret. lib. 6. *Interdum perscissa furit petulantibus Euris.* Horat. Ode 26. lib. 1. *Tradam proteruis in mare Creticum Portare ventis.* Et Ode 16. Epod. *quocunq; per vndas Notus vocabit, aut proteruus Africus.* A græco autẽ fonte hæc cadunt. Pollux lib. 1. Εὔπολις δὲ καὶ ἄνεμον ἀσελγῆ εἶπε τὸν βίαιον. Eupolis, inquit, ventum impotentem, & furiosum, vocat petulantem, proterum, procacem, lasciuum. Gifan. in Lucret.

QVOD GEN. HOC HOM.) Postquam ostendit, Troianos non venisse populatum, sed vi tempestatis compulsos, & ideo misericordia dignos, qui contrà afficiebantur iniurijs (ante aduentũ Mercurij puta, quo auctore postea ferocia corda posuere) dolore & ira commotus abrumpit orationem, & inuehitur in Carthaginenses. Corrad.

QVÆVE HVNC T. B. PAT.) Arbitratur Regulus, hæc verba, *Quod genus hoc hominum, quaúe hunc tam barbara*, &c. posse referri aliò, non ad Tyrios, vt dicat, non reperiri vllum genus hominum, quod hoc faciat, peregrinos videlicet à littore arceat: neq; vllam gentẽ esse adeo barbaram. Vnde magnitudo iniuriæ perspicitur: quippe cuius nullum exemplum extet vel apud barbaros. Sed poeta se valde imperitum ostenderet.

A Quare eo sensu dictum accipiamus, vt sit inuectio cum admiratione, è dolore profecta, vt rectè sentit Corrad. Barbaras gentes, quæ peregrinos, & hospites exosos habuerint, eorumq; commercia penitus auersatæ sint, recenset Alex. ab Alexand. lib. 4. cap. 10. Ibid. qui nam populi hospitia sanctè coluerint.

HOSPITIO PROHIB. ARENÆ) Genus loquendi bonis scriptoribus solemne. Plautus Milite. *me vxore prohibent.* Cic. pro Ligario. nos iacentes ad pedes, supplicum voce prohibebis? Liuius lib. 7. & prohibendo populationibus, quos rapto viuere necessitas cogebat. Cognata hæc sunt adagio, Ne terra quidem iuuit, οὐδ' ἀπὸ γῆς ὤνησεν, id est, ne minimo quidem. Quasi dicat,
B ne glebam quidem impertiuit, aut, ne terræ quidem hospitio dignatus est.

SPERATE DEOS. M. F. ATQVE NEF.) In Monostichis.

Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός.
Est iustus oculus, cuncta qui considerat.
Euadet alti nemo plagam numinis.

Theognis.

Οὐδεὶς πω ξεῖνον πολυπαίδη ἐξαπατήσας,
Οὐδ' ἱκέτην θνητῶν ἀθανάτους ἔλαθε.

SI GEN. HVM. AC MORTAL.) En quam inuidiosè.
C Genus humanũ, inquit, & mortalia arma, cum paucos illos Troianos prohibuissent in littus descendere. Sed hoc oratorium est, ex paruis magna facere. Possunt hi duo versus quamuis potentissimum, ac superbissimum ad modestiã adducere. Deus enim est, qui deponit potentes de sede, & superbis resistit. Ille pro recte factis præmium, & pro scelere supplicium rependit. Huius manus nemo, ne mortuus quidẽ effugiet. Nabuchodonosor Assyriorum rex vocauit omnes maiores natu, omnesq; duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui: dixitq; cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio. Et ecce vna mulier fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor. Iudith. cap. 2. & 14. Alius huic cogno-
D minis, propter superbiã quoq; eiectus est ab hominibus, cum feris habitauit; fœnum vt bos comedit. Donec scias, inquit Daniel. cap. 4. quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud. Senacherib item, qui Ezechiæ arma temnebat, vna nocte centum octoginta quinque millia militum perdidit, & ipse à filijs suis est iugulatus. Regum libr. 4. cap. 19.

REX. ER. ÆN. N. Q. I. ALT.) Poterat objici, cur absque duce nauigarent, quod minimè fit ab illis militibus, qui magna aliqua de caussa aliquò proficiscuntur. Quamobrem πολιτικῶς occurrit, sibi regem esse, quem ab ijs bonis commendat, quibus regem, &
E imperatorem inprimis decet excellere. Ea sunt iustitia, pietas, prudentia, & fortitudo militaris. Videtur respexisse ad illũd Homeri carmen, quod Alexandro M. summopere placebat, & quo vniuersum regis officium complexus est. ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Nascimb. Cæperat narrare Ilioneus, sed cum venisset ad locum, vbi Troiani tanta fuerant iniuria affecti, indignatione abstractus, digreditur. Laudat Æneam à quatuor virtutibus, iustitia, religione, prudentia militari (dum dicit, nec bello, nam in bello est consilium & prudentia, in armis robur spectatur) & fortitudine. Corrad. * *Sed quia verum est illud Platonis: quales in Repub. Principes sint, tales reliquos solere esse ciues, ex regis sui commendatione, sibi quoq; & suis laudem quarit.*

SI VE-

SI VESCITVR AVRA) Sic postea in 3. *Quid puer Ascanius, superátne, & vescitur aura Ætheria?* De qua tautologia vide Corrad. Veteres studiosè fecerunt, vt non modo verbis, sed etiam totis sententijs eadem iterum eloquerentur. Vt Homer. Iliad. β. ὑπέσχετο, καὶ κατανεῦσεν. Et Iliad. γ. κοιμήσαντ' ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὕπνῳ δῶρον ἔλοντο. Et ibid.

Ὅς θνητός τε ἔοι καὶ ἔδοι δημήτερος ἀκτήν,
Χαλκῷ τε ῥυκτὸς, μεγάλοισί τε χερμαδίοισι.

Vescitur aura Lucret. quoq; dixit lib. 5. *Nam quæcunq; vides vesci vitalibus auris*, vt Græci βόσκεσθαι πνεύμασι. Et Sophocles, τέως δὲ κώφοις πνεύμασι βόσκει. German. & alij. Vesci etiam significat vti, Nonius, citans hunc ipsum poetæ versum. Et Lucret. lib. 5.

Quoúe modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter se vesci per nomina rerum.

Pacuuius Chryse. *Fugimus, qui arce hac vescimur.* Idem Armorum iudicio. *Qui viget, vescatur armis, vt percipiat præmium.* Cic. 5. de finibus. Si gerundis negotijs possit orbatus paratissimis vesci voluptatibus.

NON METVS, OFF. NEC TE CERT. PRIOR.) Si viuit Æneas, ne te pœniteat priorem in illum officia cõtulisse: perinde, ac si dicat, futurum est, vt duplex ad te gratia reuertatur, vt Gratiarum simulacrũ docet. Corrad. Turneb. lib. 10. cap. 11. mauult legere. *Non metus, officio ne te certasse priorem Pœniteat*, quàm *nec te certasse.* Vt dicat, Haud equidem vereor, ne te pigeat, pœniteatq; in nos officia aliqua contulisse. Porrò Græci eoq; modo dicunt, ὑ φόβος.

SVNT ET SICVLIS REG.) Dici posset, Si verò Æneas perijt, quis gratiam referet? Sunt, inquit, in Sicilia amici nostri, potentes, qui possunt referre gratiã. Sed dum addit *arma*, videtur etiam vltionem minari, & Didoni metum incutere, si patiatur vltra lædi Troianos. Corrad.

TROIAN. SANG. CLARVS ACEST.) Vide Dionysium lib. 1.

QVASSATAM VENTIS LICEAT) Epilogus, summam petitionis in exordio positæ continens, & consilium ac finem Troianorum, per narrationem explicatum summatim complectens: continet etiam rei facilitatem, qui vnus est ex locis suadendi præcipuus. Facile est enim quassatam classem subducendi facultatẽ dare, vt ex syluis trabes conficiantur, ac remi ad nauigandum. Regulus.

Petitio justa *liceat subducere*, in terram trahere naues (contrarium deducere) & in syluis aptas trabes A remis legere. *Stringere* defrondare. Seruius. Sequitur ratio petitionis bipartita. Ideo cupiunt resarcire classem, ut vel in Italiam queant porrò pergere, rege tamen, & socijs septem nauium antea relictis: vel si id non contingat, si Æneas (quod quidem miserabile, & indignum foret) submersus cum filio perijt, Æneas qui est eorum salus prima, altera Ascanius, in Siciliam ad Acesten hospitem, & amicum reuerti possint, & ibidem quod reliquum est æui exigere.

SIN ABSVMPTA SALVS) Explicatur verbis sequentibus. Si tu pater optime Teucrũm perijsti naufragio, & perijsti cum Ascanio, qui erat altera spes nostra, tunc vnà nos tecum quoq; perijmus, & salus nostra, quæ à tua salute pendebat, simul absumpta est. B Pro perditis enim sese ducunt, si Italiam visuri nõ sint, sed in Sicilia cogantur sedem ponere.

AT FRETA SICANIÆ SALTEM) Siculi quondam Italiam habitarunt. Deinde Pelasgis simul, & Aborigini bello impares, liberis, ac coniugibus cum auro & argento sublatis, totam regionem suam eis cesserunt: versiq; per montana ad meridiem, & peragrata tota inferiore Italia, cum vndecunq; pellerentur, tandem paratis ad fretum ratibus, & obseruato secundo æstu ex Italia traiecerunt in insulam proximam. Sicani tum eam tenebant, genus Hispanicum: quod fugatum à Liguribus paulo antè ibi habitare cœperat: Sica- C niamq; de suo nomine vocauerat, quæ prius Trinacria dicebatur, à forma triangula. Horum numerus non magnus erat, pro insulæ amplitudine, plerisq; agris incultis jacentibus. Huc igitur deuecti Siculi, primum partes ad occidentem versas coluere, deinde & plerasq; alias: mutatoq; nomine insula cœpit vocari Sicilia. Atq; ita Siculum genus reliquit Italiam. Hæc Dionysius lib. 1.

CVNCTI SIMVL ORE FREM.) Alludit ad morem cum Græcorum, tum etiam Romanorum, apud quos res publicè approbari solebant strepitu, plausuq; populari. Cic. pro Archia. Et nostri illi fortes viri, & rustici ac milites dulcedine quadam gloriæ commoti, D quasi participes eiusdem laudis, magno illud clamore approbauerunt. Igitur *fremebant*, id est, murmurantes approbabant. Et est Hom. versus 1. Iliad. Ἐνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν ἀχαιοί. Nascimb. * Cuncti *significat quidem omnes, sed coniuncti, & congregati: at vero* omnes, *etiamsi diuersis locis sint. Festus. Veruntamen poetæ verborum liberrimi, hoc discrimen, vt item alia in alijs haud religiosè admodum seruant. Seruauit hic Virgilius, & propriè locutus est.*

565 Tum breuiter Dido vultum demissa profatur.
Soluite corde metum Teucri: secludite curas.
Res dura, & regni nouitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.
QVIS GENVS ÆNEADVM, QVIS TROIÆ NESCIAT VRBEM?
570 Virtutesq;, virosq;, & tanti incendia belli?
NON OBTVSA ADEO GESTAMVS PECTORA POENI:
Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab vrbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq; arua,
Siue Erycis fines, regemq; optatis Acestem:
575 Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo, vestra est: subducite naues.
TROS, TYRIVSQVE MIHI NVLLO DISCRIMINE AGETVR.

Atq; vtinam rex ipse Noto compulsus eodem
580 Afforet Æneas. equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema iubebo,
Si quibus eiectus syluis, aut vrbibus errat.

TVM BREVITER DIDO) Pro se, ac socijs orantem Ilioneum, amicè attenteq; audiuit Dido, atq; vt fæminæ, tametsi viris imperitanti, decorum fuit, oculos demissos tenens, vicissim respondet ea, quibus se Troianis medullitus ostenderet, quæque tristitiam, & metum illis omnem, vt ita dicam, expectorarent, & ad talem mulierem in omni genere virtutis, humanitatisq; perfectã imis sensibus colendam, ac diligendam hortarentur. Initio responsionis bonum eos habere animum iubet: quod quidem habitum futuræ orationis indicat, vt aliâs etiam fieri mos est, & Donatus solet obseruare. Post, suspicionem depellit; caussas, quamobrem fines suos diligenter tueatur, duas adducit: nouitatem regni scilicet, cui magnæ semper difficultates obijciuntur, & odium in se fratris. Declarat tandẽ quo sit erga Troianos animo, omniaq; illis officia sua effusissimè pollicetur.

VVLTVM DEMISSA) Vt pudica, nam in quarto postquam soluit pudorem, huc illuc voluit oculos.

SOLVITE CORDE METVM) Supra similiter Iupiter anxię Veneri respondens, statim ei à principio timorem detraxit. *Parce metu Cytherea.* Sed, *soluite corde metum,* quid aliud est, quam quod mox sequitur, *secludite curas?* ἐκ παρεμφάσεως vocant Grammatici. Etsi enim curis agitari potest, qui non metuat, tamen in metu sine magna, magnisúe curis nemo est. Quemadmodum verò vsitatè dicunt latini, soluere animum cura, metu, & similibus: sic item soluere curam, metum. Horat. Ode 9. Epod.

Curam, metumq; Cæsaris rerum iuuat
Dulci Lyæo soluere.

Luc. lib. 1. *Atq; animi curas è pectore soluat.* Sic impedire animum curis, expedire curas.

QVIS GENVS ÆNEADVM) Statius 1. Thebaid. vide quomodo hæc sua fecerit.

--------quid nota recondis?
Scimus ait, nec sic auersum fama Mycenis
Voluit iter, regnum, & furias, oculosq; pudentes,
Nouit & Arctois si quis de solibus horret,
Quiq; bibit Gangen, aut nigrum occasibus intrat
Oceanum, & si quos incerto littore syrtes
Destituunt.

VIRTVT. VIROSQVE) εἰ δὲ ἀνδρῶν. Virtutes virorũ.

TANTI INCENDIA BELLI) In belli mentione sæpè ignem videas vsurpari: & aruspices belli significatum ei tribuerunt. Ardere bello Italiam dixit Cicero.

NON OBTVSA ADEO GEST. PECT.) Terentius Eunucho, *Non adeo inhumano ingenio sum, vt quid amor valeat, nesciam.*

NEC TAM AVERS. EQVOS) Turnebus arbitratur in hanc dictum sententiam, lib. 18. cap. 32. non adeò obtusi & hebetes, ignariq́ue & stupidi sumus. Stupidiores enim sunt, qui longius ab aura solis, & tepore incolunt, vt populi Septentrionales. Atqui hoc ipsum, Turnebe, dixerat poeta verbis antegressis expressè, non esse adeo stupidos, & obtusos, nec adeo omnẽ sensum humanitatis amisisse: vt hoc altero versu videatur caussam addere, cur nõ sint tam obtusi, & inhumani, quia non tam longè à sole remoti sint, quia non in mundi angulo habitent. Omnino verisimilius, qui allusum censent ad fabulam de Atreo, cuius immanitatẽ, cum ille fratris sui Thyestæ liberos iugularet, coctosq; patri edẽdos apponeret, sol, ne aspiceret facinus crudelissimũ, alio à Mycenis flexisse cursum dicitur. Hygin. cap. 88. Quare sententia erit vtriusq; carminis simul: non sumus tam crudeles, nec in figura humana belluarũ mores, feritatẽq; imitamur.

SEV VOS HESPER. MAG.) Primùm se, suosq; purgauit, & suspicionẽ inhumanitatis, immanitatisq; amolita est. Nunc plus offert multò quam rogabatur, quod regium est: regum est enim liberalitas, & munificentia. Offert præsidium ad eos siue in Italiam, siue in Siciliam deducendos. Offert commeatum, & pecuniam. Offert deniq; ipsam vrbem, & quos nunquam viderat, propter opinionem virtutis, inter ciues suos numeraturam pollicetur. Quid hac regina beneuolentius, quid humani? fingi poterit? Hesperia vocatur etiam Hispania. Idcirco additur hic *magnam:* nõ quod amplior sit, sed illustrior. Respicit, nisi fallor, poeta ad id, quod bona pars eius magna Græcia dicta est, à plurimis vrbibus, quas in ea Græci condiderunt.

VRBEM QVAM STAT. V. EST) Mutatur aliquando genitiuꝰ partitionis in casum partiũ apud Græcos. Hom. οἱ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει. Quod exemplum citans Demetrius, multò hoc grandius, & magnificentius dictum vult, quam si dixisset, τῶν δύω σκοπέλων, &c. Caussam affert, quia sic consuetudinem imitatus esset, & vsum loquendi communem: quidquid autem ex consuetudine est, & peruulgatum, idem humile, & abiectũ est, & admiratione caret. Ista igitur ratio est, cur poetæ libenter à vulgaribus loquendi modis discedant, vt nouitate admirationem, & dignitatẽ poemati concilient. Ex istiusmodi locis etiam hic Virgilianus est, quo Latinus poeta à consuetudine discedens, nõ parũ ei dignitatis ob ipsam nouitatem conciliauit. Victor. in Demetriũ.

Sic interdũ loqui solent boni scriptores, & maximè poetæ & Epici, & Comici, vt antecedens priore loco positum eiusdem casus sit ad relatiuum. Ter. Eunuh. *Eunuchum quẽ dedisti nobis, quas turbas dedit?* Lege ibid. Donat. Plaut. Amphit. *Naucratem quem conuenire volui, in naue non erat.* Epid. *Sed istum quem quæris Periphanem Platenium, Ego sum si quid vis.* Lamb. in Plaut.

SVBDVCITE NAVES) Vt eas vel reficiatis, vt petistis, vel, vt hic maneatis, si vultis.

AGETVR) regetur. Vult igitur ipsa eorum esse regina, nõ eis partem regni tradere. Nam τὸ *Vrbem quam statuo vestra est,* dixit more communi. Dicimus enim, quod meum est, tuum est, & tamen vt nostrum tuemur. Etsi hoc etiam modo exponere liceat, vestra est, vt in ea habitetis, non regnetis. Corrad.

ATQVE VTINAM REX IPSE) Considerandũ, quàm artificiosè poeta verisimiliter ad amorem Didonis in Æneam quasi per gradus quosdam descendat. Nã primò per picturam ostendit Æneam inter principes Didoni notum. Deinde per orationem Ilionei omnium regum virtute ac iustitia præstantissimum. Ex quo verisimile fit, Didonem tanti viri videndi desiderio captam esse. Hinc ad præstantiam illius miro quodam modo, ac diuinam pulchritudinem veniet, vnde sequetur maximè verisimilis amor reginæ. Regulus.

EQVIDEM PER LITT. CERT.) Hoc quasi ὀπιμαῖον, & auctarium quoddam est meritorum, ac beneficentiæ idonis, quod etiam certos, id est fideles per omne imperium suum se missuram recipit, qui Æneam ipsorum ducem diligenter per vrbes, & syluas inuestigent: si forte

si forte naui fracta eiectus alicubi vagetur: inuentumq; A ad se perducant, vt humanitatem suam in eum nauare possit. Quamuis autem Carthago sit in ea parte Africæ, quę dicitur Libya, non tamen ipsa totam tenebat Libyã. Quare συνεκδοχικῶς dictum accipe.

AVT VRBIBVS ERRAT) vicinis, aut vicinorum, non ipsius Didonis. Iarbas libr. 4. *Fœmina quæ nostris errans in finibus vrbem Exiguam pretio posuit.*

His animum arrecti dictis & fortis Achates
Et pater Æneas, iam dudum erumpere nubem
585 Ardebant. prior Æneam compellat Achates.
Nate dea, QVÆ NVNC ANIMO SENTENTIA SVRGIT?
OMNIA TVTA VIDES, classem, sociosq; receptos;
Vnus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.
590 Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraq; in luce refulsit:
OS HVMEROSQVE DEO SIMILIS. namq; ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenq; juuentæ
595 Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum, Pariusúe lapis circundatur auro.

ERVMP. NVBEM) Erumpere sæpius poetis agendi verbum est. Sic Tibull. *Fontibus vt dulces erumpat terra liquores.* Cic. quoq; ad Atticum. ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati.

PRIOR ÆNEAM COMP. ACH.) Quærit minor maioris sententiam. Plura ei euenta proponit, ex quibus facilè colligat Æneas, quid facto opus sit, nempe, vt se reginæ exhibeant. Nascimb.

VNVS ABEST, MED. IN FLVCT.) Vnus ille, quem oculis suis submergi viderunt, est Orontes cum Lycijs suis, de quo supra.

Vnam quæ Lycios, fidumq; vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, &c.

QVVM CIRCVM. REPENTE) Homerum imitatur, apud quem Vlysses nebula à Pallade circumfunditur: cumq; ad Alcinoum regem, eiusque vxorem Areten accessisset, nebula euanuit.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' Ἀρητῆς βάλε γούνασι χεῖρας Ὀδυσσεύς,
Καί τότε δὴ ῥ' αὐτοῖο πάλιν δύτο θέσφατος ἀήρ.

IN ÆTH. APERTVM) Id est, purum, serenũ. Nonius.

CLARA LVCE REFVLSIT) Quanto magis fulsisset in tenebris? Vel refulsit, cum in clara luce fuit, nam prius in nube, seu nebula non fulgebat.

OS HVMEROSQVE DEO SIMIL.) Homeri sunt ex 6. Vlysseæ.

Τὸν μὲν ἀθηναίη θεῖκεν διὸς ἐκγεγαῦῖα
Μείζονα τ' εἰσιδέειν, καὶ πάσσονα, καδδὲ κάρηϊ
Οὖλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθεϊ ὁμοίας.

Superat multis modis Virgilius. *Os humerosq; deo similis*, luculentius est, quam maiorem, & crassiorem efficere, hoc enim boum est. Et, *cæsaries* est verbum militare. Quo non contentus, addit, *decoram.* Homerus autem οὖλας pessimè. Crispitudo namque pusilli animi nota est, aut leuitatis. Idcirco leones crispi minus animosi existimantur. Illa vero pæne supra humanum captum, *lumenq; iuuentæ Purpureum.* Et illa non minus, *lætos oculis afflarat honores.* Scalig. Poet. lib. 5. cap. 3. Quomodo in hac descriptione pulchritudinis Virgil. pictores imitetur: quomodo Æneam à partibus corporis, & ab adiunctis, ab effectrice demum huius elegantiæ commendet, videndus Regulus. Hellenismus est, os humerosq; deo similis, qualis apud Horat. sat. 1. lib. 1. *multo iam fractus membra labore.* Et Ode 1. lib. 1. *nunc viridi membra sub arbuto stratus*, & mille talia.

LVMEN. IVVENT. PVRP.) Purpureum, & roseum, quod alibi me docere memini, poetis valent, pulchrũ, nempe ab elegantia & pulchritudine purpuræ, & floris illius, quẽ ex Anacreonte laudauimus lib. 4. Georg. Itaque multa dicuntur, à poetis præsertim, purpurea, quæ colorem purpuræ non imitantur. Quid enim minus, quã nix? Albinouanus tamen purpuream vocauit, *purpurea sub niue terra latet.* Credo, quod ab Horatio purpureos olores, id est, excellenter candidos, nitidos, puros, ideoq; elegantes appellari animaduerterat. Ciceroni, & Virgil. Georg. 4. mare dicitur purpureũ. Propertio lib. 1. purpureum papauer, quod Catullo luteũ. De luce Maro 6. Æneid. *& lumine vestit Purpureo.* Est tamẽ ferrugineæ quoddam purpuræ genus, secundum quod mare, & papauer forsitan purpurea nominantur. Porrò natura, varietasq; purpuræ, ex Iun. animaduersor. lib. 2. cap. 2. planissimè cum explicari, tum intelligi posse videt. Tria fermè, ait, purpurearũ vestium genera, ab auctoribus enumerata lego, ἀλυργίδα, πορφυρίδα καὶ φοινικίδα. Et post pauca: Enimuerò vocabulorũ etymo intuenti mihi, atq; expensius rimanti, ἀλυργὶς videtur cæruleum paludamentũ, siue mauis, trabea exponi posse. Nam colorẽ cæruleũ ἀλυργὸν à maris colore dici puto, ἀπὸ τῆς ἁλὸς: quo modo accipitur, quod legimus, Odysseam Homericã olim ἐν ἀλυργοῖς ἐδήμασιν, vt Iliada ἐρυθροβαφέσιν, agi consueuisse: cœruleis quidẽ illam, ppter Vlyssis per mare errores: hanc verò rubeis, propter cædes, & cruenta bellorum vulnera. Deinde φοινικίδα interpretor, quæ palmeum colorem mentiretur, illis φοινίκα palmã nuncupantibus. Postremo πορφυρίδα, rectè purpuream à cruore, saniéue piscis purpuræ dici posse censeo: nigricantẽ videl. magis, à cuius similitudine πορφύρεον κῦμα, & πορφύρεον θάλασσον Homer. extulit.

LOT. OCVL. AFF. HON.) Læti honores oculorum, est vultus splendor quidã, & dignitas admiranda, cuius præcipua pars oculi: quos cum suffuderit lætitia, mirũ dictu, quantus vultui decor accedat. Stat. li. 2. Thebaid.

Quantus honos, quantusq; pudor (ne credite patri)
Et super hesternes licuit cognoscere mensas.

Loquitur de filiabus suis Adrastus Argiuorum rex. Pulchritudo ista Æneæ tam admirabilis, à Venere matre collata mihi redigit in memoriam sanctissimę viduæ Iudithæ speciem illam, qua Assyrij tantopere obstupefacti sunt, qua captus Holofernes caput amisit. Quamuis igitur iam antè esset mulier formosissima, tamen quia rem magnam, nempe salutem patriæ agitabat animo, scriptum est cap.10. postquam expositum est, quomodo sese compsisset, & omne corpus ornauisset: Cui etiam dominus contulit splendorem: quoniã omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat. Et ideo dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt in comparabili decore omniũ oculis appareret. Verè huic magnanimæ fæminæ, liberatrici, & seruatrici suorũ ciuiũ dici potest deus & decorã cæsariem, & lumẽ iuuentæ purpureum, & lætos oculis honores afflauisse. ✠

PARIVSVE LAPIS) Candidissimum est marmor Parium. Hor. Ode 19. lib. 1.

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Hinc Maro insulã Paron nominauit niueam. 3. Æneid. Plin. lib. 36. cap. 5. loquens de nobilibus operibus, & artificibus statuarijs, Omnes autem tantum candido marmore vsi sunt è Paro insula, quem lapidẽ cœpere lychinitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, vt auctor est Varro, multis postéa candidioribus repertis, nuper etiam in Lunensium lapidicinis. Sed in Pariorum mirabile proditur, gleba lapidis vnius cuneis diuidentium soluta, imaginem Sileni intus extitisse.

Tum sic reginam alloquitur, cunctisq; repente
Improuisus ait, Coram, quem quæritis, adsum
600 Troius Æneas, Libycis ereptus ab vndis.
O sola infandos Troiæ miserata labores:
Quæ nos, relliquias Danaûm, terræq; marisq;
OMNIBVS EXHAVSTOS IAM CASIBVS, OMNIVM EGENOS,
Vrbe, domo socias: GRATES PERSOLVERE DIGNAS
605 NON OPIS EST NOSTRÆ, Dido: nec quidquid vbiq; est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
DII TIBI (SI QVA PIOS RESPECTANT NVMINA, SI QVID
VSQVAM IVSTITIÆ EST, ET MENS SIBI CONSCIA RECTI)
PRÆMIA DIGNA FERANT. QVÆ TE TAM LÆTA TVLERVNT
610 SÆCVLA? QVI TANTI TALEM GENVERE PARENTES?
IN FRETA DVM FLVVII CVRRENT, DVM MONTIBVS VMBRÆ
LVSTRABVNT CONVEXA, POLVS DVM SIDERA PASCET,
SEMPER HONOS, NOMENQVE TVVM, LAVDESQVE MANEBVNT,
Quæ me cunq; vocant terræ. Sic fatus amicum
615 Ilionea petit dextra, læuaq; Serestum.
Post alios, fortemq; Gyan, fortemq; Cloanthum.

CORAMQVE QVEM QVÆR. AD) Exabrupto decuit inchoare orationem, qui improuisus, & insperatus apparebat. Optabat quidem eius præsentiam apertis verbis Regina: sed occultè, quotquot aderant eius proceres, & satellitium. Rectè igitur, cunctis, ait, quando cunctorum erat vnum, idemque desiderium, talem virum videre gestientium. Vel ad Didonem tantùm, & Ilioneum refertur τὸ quæritis, Illa enim dixerat, *Si quibus eiectus syluis, aut vrbib⁹ errat*. Hic verò, *Sin absumpta salus, & te pater optime Teucrûm Pontus habet Libyæ*. Atque hæc ex Donati sententia. ✠

O SOLA INFANDOS) Gratias agit, & est demõstratiui generis oratio, cuius artificium ex Rudolpho Agricola perpendit Regulus. Vehementer sibi reginã conciliat, dum eius in se, ac suos singulare genus pietatis per exclamationem extollit. Quò enim quis calamitosior, & egentior est, eò illi succurrentis benignitas laudabilior. Quæ si cumulatior etiam, quàm pro necessitate fuerit, satis laudari non potest. Talis est Didonis, quæ tot malis, & ærumnis terra mariqúe pressos, & omnium rerum penuria conflictantes, ciuitate donare parata est, ac pro suis ducere, nullo discrimine. Cur autẽ dicat *sola*, cum & homines quidam, & dij nonnulli eorum labores miserati sint, caussas plures adducit Cotrad. quem adi. Ex tribus prima placet: sola, inter mortales, & alienos. Nam de dijs, Venere, Apolline non loquitur poeta: & Anius amicus peruetus, Helenus & Acestes propinqui erant, vt non potuerint quodammodo non miserari suos. ✠

VRBE, DOMO SOCIAS) Malè Seruius, vrbe, domo, id est, hospitio publico, & priuato: quia tunc oratio descenderet: nec hoc ipsum dixerat Dido, sed obtulerat vrbem, & sedem, id est ciuitatem, & domicilium: quæ duo vult Æneas duobus etiam verbis significare, vrbe, & domo. Potest autem quis habere ciuitatem, siue ciuis esse, nec tamen in vrbe domicilium habere. Cotrad.

GRATES PERSOL. DIGNAS) Qui beneficiorum memores fuerint, gratiamque retulerint, enumerantur aliquot ab Æliano variæ histor. libr. 4. cap. 5. Nugantur, qui grates referri, gratias agi volunt: id est, grates ad facta, gratias ad verba pertinere. Veteres vtraque voce indiscriminatim vsi sunt. Ouid. in Ibin grates agere dixit. Cic. in som. Scip. Et grates, inquit, tibi ago summe sol. Liuius libr. 10. Læti, atque alacres, dijs populoq; Romano grates agunt. Vt autem gratias agere, referre, sic &

sic & grates agere, referre, (pro quo hìc Virgilius persoluere) latinè dicimus. Grates habere, quemadmodum gratias habere, inuenies apud Plautum in Persa, & Sticho.

MAGNVM QVÆ SPARSA PER ORB.) Meminit historiæ. Multi enim post excidium Troiæ, orbis diuersa tenuerunt, vt Helenus Epirum, Antenor Venetiam, alij Sardiniam secundum Sallustium. Seruius.

DII TIBI SI QVA PIOS) Gratus est sine dubio, non solum qui reddit beneficium, si potest, verum etiã qui illud crebra recordatione vsurpat. Pius autem, qui bene merenti à deo, cuius est orbis terræ, & plenitudo eius, pro exiguis ingentia, pro caducis immortalia, pro terrenis cælestia ex animo precatur. Et id ex Christianorum officiis haud postremum est. Cur verò dubitat vir religiosissimus, an numina respectent pios? An non multis id exemplis in se ipso cognouit? Duplex occurrit solutio. Virgilius aliquot locis non se satis Stoicum præstat in asserenda diuina prouidentia, sed ὀπικούρειον quiddam olet. Potest etiam responderi, locutum more vulgi. In rebus enim certis, ac veris planè, hanc tamen formam sermonis adhibemus, vt dubitare videamur, cum asseramus potius. Vt, si est vlla dei misericordia, nõ abijciet nos sperantes in se. Perinde est, ac si dicamus. Deus est misericors, & idcirco non deseret nos sperantes in se. Ita hoc loco: *Si qua pios respectant numina*, &c. id est, quàm numina respectant pios, & quàm vspiam est aliquid iustitiæ, seu probitatis in terris, tam te respiciant, propter virtutem tuam, ac tibi præmia digna ferant. *Si quid nouisti rectius istis Candidus imperti, si non, his vtere mecum.*

Modicij explanatio hæc est. Qui benefaciunt miseris, accipiunt præmia à deo, ab hominibus, & à conscientia sua. Deus tribuit, quia respicit pios. Homines iusti tribuunt, quia natura quandam iustitiã inseuit hominibus, qua impelluntur ad amandum eos, quos alijs vident benefacere, etiamsi nihil ipsi accipiant. Illis habent gratiam, & referunt, cum opus est. Conscientia denique pro præmio est. Vt enim qui sibi conscij sunt officij prętermissi, dolent: sic qui officium præstiterunt, gaudent in sinu, & sentiunt animi quandam quietem, quæ pro pulcherrimo pręmio est. Est igitur verborũ sensus. Parem tibi gratiam referre non opis est nostræ Dido, nec aliorum omnium Troianorum. Dij tibi, si respiciunt pios: si quid vsquam iustitiæ est, homines scilicet, si qui iusti sunt, & mens sibi conscia recti, id est, conscientia tua recte facti præmia digna ferant.

QVÆ TE TAM LÆTA TVL. SÆCVLA) Mos hominũ est, ex viuentium probitate & præstantia laudare ætates siue sæcula, & ex liberorum virtutib°, beatos prædicare parentes. Sic in 3. Helenus Anchisæ. *Vade, ait, ô felix nati pietate.* Plaut. *Fortunatus, qui illum eduxit sibi.* Ita apud Terent. And. dicit se propter mores Pamphili honestos laudari Simo.

Cum id mihi placebat, tum vno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.

Obseruat Donatus interpres.* *Sed iustissimè tantopere admiratur, & ore pleno Didonem cõmendat Æneas, quandoquidẽ nulla re homines propius ad deorum excellentiam, & traditum ab idoneis scriptoribus accepimus, quã dandis beneficijs, iuuandoq; accedunt.*

IN FRETA DVM FLVVII) Seneca Medea, *Dum flumina in pontum cadent.* Eclog. 5. *Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit, Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.* Hæc tametsi eandẽ continent sententiam, tamẽ non sunt æquè speciosè dicta: vt ista, *In freta dum fluuij* &c. Seruijt enim poeta dignitati materiæ, vt in Bucolicis humilitati. Cic. 2. Philipp. Dum genus hominum, dum pop. Romani nomen exstabit, quod quidem erit, (si per te licuerit) sempiternum, tua illa pestifera intercessio nominabitur. Nam in reprehensione, perinde vt in laude hac forma orationis vti concessum est.

DVM MONT. VMB. LVST. CON.) Dum in montibus vmbræ partes inclinatas tegent, & perambulabunt. Nam cum de montibus vmbræ cadunt, vt ait in Bucol., eas potissimùm partes, quæ sunt inclinatæ & cõuexæ, solent occupare. Corrad.

POLVS CONVEX. DVM SID. PASCET) Primum recitabo sentiam Brodæi, deinde Turnebi. Ille lib. 2. cap. 17. in hunc modum. Ego, reclamante vulgata codicum fide, *palus* approbo. Neque enim quo pacto polus, id est, vt arbitror, cælum pascat sidera, in animum induco: Stoici autem, quorum ferè placita amplectitur Virgilius, terræ, oceaniq; vaporibus planetas, stellas alias, atq; astra ali crediderunt: quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere. Testis in libris κυκλικῆς θεωρίας Cleomedes, & Laertius in Zenone. Τρέφεσθαι δὲ τὰ ἔμπυρα ταῦτα, καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα, τὸν μὲν ἥλιον ἐκ μεγάλης θαλάττης, τὴν δὲ σελήνην ἐκ πολάμων ὑδάτων, τὰ δ' ἄλλα ἀπὸ τῆς γῆς. Item Plin. lib. 2. cap. 68. Per paludem igitur aut omnẽ simpliciter humorem intellige, aut mare ipsum: quod, vt aliâs planum feci, λίμνην vocat Homerus. Quid si ostendam Seruium palus legisse? Pasci inquit, aquis marinis cælestes ignes physici dicunt. Nisi enim ita esset, cur aquarum marinarum, nihil ad potum spectantium, mentionem inferret? Cur deinceps scholium suum Lucani hoc docẽtis testimonio fulciret? Vnus me pungit aculeus, quo sublato, patent omnia. Is vtiq; est, quod Virgilius 6. spiritum Titania astra alere, Deum innuens, refert (hunc enim spiritum quendam igneum esse, per vniuersum mundũ permeantem, ac peruagantem, è Stoicorum schola depromit) cuius prouidentia, tanq̃ domini, sidera alantur. Eis verò nutrimentum humor suppeditet: vti familiæ, ac seruis heri procuratione cibis, ac potus alimentum accommodant, & suggerunt. Quidam apud Virgilium per spiritum, cælestem, & æthereum teporem, naturæ seminarium, spiritumq; vitalem intelligunt.

Turneb. lib. 5. cap. 5. Astra conuexa non videntur, cum globosa potius, & rotunda sint: ego conuexa dici astra interpretor, non singula, sed vniuersa: conuexitatem enim eandem, quam cęlum efficiunt, toto obsita, & dispersa cælo vndiq; in orbem. Sed ecquonam modo polus ea pascit? Censent Stoici sidera, cum igneæ sint, & feruentis naturæ, pasci humore. Quare aliqui *palus* legunt, non polus. Sed nihil censeo esse caussæ, cur hic nouitatis studiosi simus. Nam cum cælum verset astra tanquam palantia, & errantia, & tanquam alimentum sequentia dum voluuntur, fit perinde, vt tanquã pastor ea pascere videatur. Hoc si sensu accipias, qui, vt reor, & probalis est, nec indignus poeta, nihil profectò habeas, cur quidquam hìc nouandum putes.

Non multum diuersis verbis ab his dixit Lucretius lib. 1. *vnde æther sidera pascit.* Ex opinione vtiq; veterum philosophorum, existimantium solem, & cætera sidera, & stellas humoribus Oceani, & terræ vaporibus ali. [*Quam opinionem tetigit & Anacreon Ode quadam, vbi per inductionem probat, cum omnia bibant, sibi quoq; potatione haud intercendum.*

Πίνει θάλασσα δ' ἄυρας	Et potat, æquor auras,
Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν.	Phœbusq; potat æquor.

Et Lucanus, Nec non Oceano pasci Phœbumq;, polumq;. *Claudian. 2. Raptus, de Luna.* Læua parte soror vitrei libamina potat vberis. *Mitto alios.*] Sic M. Tull. lib. 2. de natur. deor.

Ergo

Ergo cum sol igneus sit, Oceaniq́ue alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est aut ei similis sit igni, quē adhibemus ad vsum arq; victum: aut ei, qui corporibus animantiū continetur. Ibid. Probabile est igitur, præstantē intelligentiā in sideribus esse, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terrenisq; humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Hæc Lamb. in Lucret.

Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto: & sic ore loquuta est.
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Túne ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam?
Atq; equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patrijs, noua regna petentem,
Auxilio Beli. genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore iam ex illo casus mihi cognitus vrbis
Troianæ, nomenq; tuum, regesq; Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seq; ortum antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agitè, ô, tectis, iuuenes succedite nostris.
Me quoq; per multos similis fortuna labores
Iactatam, hac demum voluit consistere terra.
NON IGNARA MALI MISERIS SVCCVRRERE DISCO.

SIDON. DIDO) Cur nam Sidonia vocatur Dido, cum Tyrij condiderint Carthaginem, duce Didone eò profecti? Quia cognati Sidoniorum fuerunt Tyrij, quod vtramque vrbem, Tyrum inquam, & Sidona ædificasset Agenor. Hinc Tyro capta ab Alexandro, multis saluti fuere Sidonij, qui intra Macedonum præsidia erant. Hi vrbem quidem victores intrauerunt, sed cognationis cum Tyrijs memores, multos Tyriorum etiā protegentes, ad sua perduxere nauigia: quibus occultati, Sidona vecti sunt. Curtius lib. 4.

IMMANIB. APP. ORIS) Non tam propter mare, vt ait Seruius, importuosum, quàm propter gentes immanes, quæ sunt ibi. Afri enim mobiles, violenti, callidi, bilingues, sæui, infidi, & perfidi à scriptoribus appellantur: suprà Venus, *genus intractabile bello*. Vide Corrad.

TVNE ILLE ÆN.) Exornatio est, laudatur enim Æneas, & secūdus amoris gradus indicatur, nempe colloquium. Laudatur autem primum à parentibus nobilissimis. Sed quia, vt ait Arist. lib. 1. Rhet. certa & indubitata laudamus, principio orationis non dubitanter, neque interrogatiúe, vt Grammatici loquuntur, sed auctore Quintil. lib. 11. cap. 3. cum admiratione, & emphasi protulit hæc verba, *Tu ne ille Æneas?* Regulus.

QVEM DARD. AN. A. V. GEN.) Arnobius lib. 4. vbi deas hominū amorib⁹ implicatas recenset, etiā Venerē cum Anchisa nominat. Sed soli amant apud vos mares (Dij) & fœmineo sexui sua conseruata est sanctitas. Nōne vestris cautum est litteris, adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Proserpinam in Adonem, matrem eius Cererem in Iasonem nescio quē rusticanum, & post Vulcanum, Phaëtontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem Æneadūm matrem, & Romanæ dominationis auctorem?

Ennius lib. 1. Annal. *Te nunc sancta precor Venus, & genetrix patri nostri.* Vbi Æneam Troianum sine controuersia intelligit, qui Reipub. Rom. princeps, eā ob caussam toties à Virgilio pater est appellatus. Horat. Ode 15. lib. 4.

Troiamq́, & Anchisen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

Quamuis fortasse hoc melius de Æneæ posteris, & Iulia gente accipiatur, à Venere oriunda. Ab eo Romani dicti Æneadæ Iustiniano Imp. Nouell. 47. in præfat. Si quis respexit, inquit, ad vetustissima hominum, & antiqua Reipub. Æneas nobis Troianus rex, reipub. princeps, & nos quidem Æneadæ ab illo vocamur. Hinc nomen Veneris Genitricis toties ab auctorib⁹ vsurpatum. De genealogia vero Æneæ placitum est versus aliquot de 4. Fastor. Nasonis subtexere.

Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum?
Scilicet Electram concubuisse Ioui.
Huius Erichthonius, Tros est generatus ab illo:
Assaracum creat hic, Assaracusq́ Capyn,
Proximus Anchises, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremq́ humeris altera sacra tulit.

Quem Anchisæ, inquit Virgilius, Venus genuit. Sic Terent. Andr. *Perecastor scitus puer natus est Pamphilo.* Noster lib. 12. *quos fida crearāt Vna tot Arcadio coniux Tyrrhena Gylippo.* * *Natum Æneam Venere & Anchise, clarissimis verbis testatur in catalogo Homerus, simulq́ locum τῆς συνουσίας exprimit.*

Δαρδανίων αὖτ' ἦρχεν ἐὺς παῖς ἀγχίσαο
Αἰνειάς, τὸν ὑπ' ἀγχίσῃ τίκε δῖα Ἀφροδίτη
Ἴδῃς ἐν κνημοῖσι Διὰ βροτῷ ἐυνηθεῖσα.

Lucianus lib. de Astrologia, vide quæso quorsum hanc diuinam Æneam, & quorundam aliorum originem referat. Nam qui consentaneum est, credere Æneam Veneris fuisse filium, aut Minoa Iouis aut Ascalaphum Martis, aut Autolycum Mercurij? Verùm si homines pij, diisq́ grati fuerunt, eos nascentes, hunc Venus, illum Iupiter, alium respiciebat Mars. Etenim qui patresfamilias sunt morta-

mortalibus in hoc progignendi genere, ij velut parentes sibi similia producunt omnia, & colorem, & formam, & facta, & animum. At rex quidem Minos Iouis auspiciis, Æneas formosus Veneris fauore natus est, fur Autolycus: ac ea illi ferocitas ex Mercurio contigit. Hæc quantum apud te valere debeant, nosti Christiane lector, sunt enim vanissima.

ATQVE EQVIDEM TEVCRVM) Occupat Dido, quod Æneas quærere, vel dubitare poterat, quo pacto hæc ipsa sciret. Idcirco affirmat, à Teucro hæc omnia audiuisse. Teucri in exilium vltro abeuntis meminit quoq; Horat. lib. 1. Ode 7. Teucer siquidem, vt patris iracundiam declinaret, lueretq; inultam sua socordia fraternam cædem, solum vertit, & Sidona peruenit, cum solerent Græci vel leuissima de caussa, ne paternas diras irritarent, voluntarium exilium consciscere: vnde apud Homerum Phœnix.

Ἀλλ', ὅτε δὴ πρῶτον λίπον ἐλλάδα καλλιγύναικα,
Φεύγων νείκεα πατρὸς ἀμύντορος ὀρμενίδαο.

German. * *Teucer non receptus à patre Telamone ob segnitiem non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum appulsus, cognominem patriæ suæ Salamina constituit. Velleius lib. 1. Horat. Ode citata.*

Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.

De Belo, & Cypro vide annotata supra, ad illum locum, sed regna Tyri germanus habebat Pygmalion.

MEMINI SIDONA VENIRE) Sidonem Phænices ita à piscium vbertate appellarunt. Sidon Phænicum lingua piscem significat. Traduntur Sidonij inuentores sideralis scientiæ, & arithmeticæ: ijdem primi mortalium certam nauigandi rationē inuenere. Plura Montf.

IPSE HOSTIS TEVCROS INSI. L. FER.) Ex oculato teste cognouit Dido bellum illud Troianum, atque adeo exscidium. Nihilominus in extremo libro ab Ænea audire concupiscit, quæ eodem illo Græco narrante cognouerat. Res enim magnæ, & ipsa nouitate mirabiles, etiam iterū, ac tertiò auditæ delectant. Plura tamen ibi petit, *Erroresq; tuos*, de quibus Teucer nihil narrare potuit. Cuius testimonium de Troianorum virtute ideo maioremvim habet, quia hostis. Nam vt amici laus suspecta, reprehensio sincera: sic inimici vituperatio pro falsa, laudatio pro vera habetur. Nam si quid in re inesset vitij, illi potissimùm reprehēderent. Gloriabatur præterea Teucer apud Didonem de materno genere magis, quam de paterno. Quo argumento intelligi potuit, quanti Troianos faceret. Et hoc ad Æneæ laudem proficit, cuius nobilitatem, & claritudinem gentis fateantur etiam ipsi hostes, adeo, vt quia inde vel ex parte oriundi sint, se beatissimos putent. Erat verò mater Teucri Hesione Laomedontis filia, Priami soror, quam priore expugnatione Ilij Hercules Telamoni (quem patrem Teucer habuit) virtutis ergô in munere dedit.

QVARE AGITE O TECTIS) Inuitatio in regiam. Cum ego vobis auxilium, & ciuitatem sim pollicita: cum nata sim ex eo patre, qui sit alijs auxiliatus: cum vos digni sitis, qui beneficium accipiatis. Corrad.

ME QVOQVE PER MVLTOS) Suo exemplo ad spem rerum meliorum eos erigit. Vt ipsa ex infelici felix euaserit, vt sibi labores in requiem versi sint, ita secum quoque actum iri confidant.

NON IGNARA MALI, MIS. S. DISCO) Eruditè Rhodigin. lib. 24. cap. 2. quid apathia, dispathia, metropathia, propathia, sympathia, antipathia sit, exponit. Est autem oratoribus item sua homoeopathia, de passionis nata similitudine, quam vndiq; scientissimus exprimit poeta, velut hoc ipso loco sub persona Didonis: & lib. 9. *& patriæ strinxit pietatis imago.* Item in 12. *fuit & tibi talis Anchises genitor.* * *Pro Murena Cic. Hoc natura affert, vt eis faueamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur. Est igitur hic verborum Maronis intellectus. Docuerunt me mala mea, quæ passa sum, aliorum misereri: quod minus faciunt, qui similia non sunt experti.*

635 Sic memorat: simul Ænean in regia ducit
Tecta: simul diuûm templis indicit honorem.
Nec minus interea socijs ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
640 Munera, lætitiamq; dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, medijsq; parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroq; superbo:
Ingens argentum mensis, cælataq; in auro
645 Fortia facta patrum: series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

SIC MEMOR. SIMVL ÆN.) Valerius Flaccus lib. 2. Argonaut.

Sic memorat, lætosq; rapit, simul hospita pandi
Tecta jubet, templisq; sacros largitur honores.

Vides, credo, vnde effinxerit.

DIVVM TEMP. IND. HONOR.) Supplicationes indixit, vt Carthaginenses ad omnia delubra dijs gratulatum irent, propter aduentū Troianorum, præsertimq; Æneæ, tanti viri, & Anchisæ atque Veneris filij. Qua verò cærimonia peragerentur supplicationes, quibus de caussis indicerentur, accurate litteris persecutus est Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27.

VIGINTI TAVROS) Quamuis essent naues tantum 19. Sed maluit superesse, quam deesse. Non in præsentes duntaxat, sed absentes etiam est liberalis, quibus mittit munera, quæ laudantur à genere, à numero, & à fine, cuius caussa missa sunt, vt scilicet diem illū lætum traducant. Hic Principis liberalis perfecta forma expressa est, qui dat beneficia, quibus, quando, quomodo & qua de caussa debet. Vide Arist. 4. Ethicor. cap. 1. Regulus.

HORRENTIA TERGA) Non sale, neque setis, vt placet Corrado, sed magna, ingentia, quorum aspectus horrorem posset incutere.

MVN. LÆTITIAMQVE DEI) Pro certo confirmat Gell. lib. 9. cap. 14. hoc loco scripsisse Virgilium dij, pro diei. Quod imperitiores dei legunt, ab insolentia scilicet vocis illius abhorrentes. Sic autem dij

declinatum est à veteribus, vt fames famij, pernicies pernicij, progenies progenij, luxuries luxurij, acies acij, &c. Quòd vinum appellat lætitiam, ex effectu efficiens intelligimus, seu effectum pro caussa positum accipimus. Munera autem dei, Bacchi scilicet, quoniam vini inuentionem fabulæ ad eum referunt. Infra, eundem lætitiæ datorem vocat Dido: cui testimoniũ ferre possunt præter alios auctores vinosi poetæ duo, Horatius, & Anacreon. Sine caussa, vt arbitror, hic verbosus est Corrad. vt aliâs sæpe.

AT DOM. INT. REG. SPLEN. LVX. INST.) Dum superiora fierent, pars domus interior, non ea, in quam ductus Æneas fuerat, regalibus ornamentis instruitur, & fit splendida. Vel, quamuis sit splendida, tamen instruitur. Ita Corrad. Sine vlla dubitatione Catullum est imitatus, de nupt. Pelei & Thetidis inter alia sic canentem.

Ipsius at sedes quacunq; opulenta recessit
Regia, fulgenti splendens auro, atq; argento.
Candet ebur solijs, collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida luxu.

MEDIISQVE PAR. CONVI. TECTIS) intelligendum est, triclinia in media cœnatione sterni consueuisse, vt ministrantibus nimirum liberrimus relinqueretur locus. Sic lib. 3. legimus, *Aulai in medio libabant pocula Bacchi.* Malè quidam exponunt, medijs tectis, sub dio: quomodo enim potuissent lychni dependere laquearibus aureis? * *Huc assumat, qui volet, lectionem de sumptuosissimis, adeoq; intemperantissimis Heliogabali, Galieni, Caij, Sullæ, Vitellij, Neronis conuiuijs, deq; conuiuiorum generibus, quæ produntur litteris à Iouiano Pontano, de Conuiuentia, libello prorsus aureo, omniumq; elegantiorum ingeniorum lectione dignissimo. Quanquam quis tandem illius & eruditissimi, & facundissimi, ac nitidissimi scriptoris liber, qua pagina, qui versus, non sit lectu dignissimus?*

ARTE LABOR. VESTES) Vestis generaliter dicitur, vt stragula, forensis, muliebris. Vestimentum pars aliqua, vt pallium, tunica, penula. Festus. Vide præterea quæ à nobis notata sunt infra, *stratoq; super discumbitur ostro.* Omnino hic stragulæ vestes & quæ dicuntur peristromata, accipienda sunt.

INGENS ARGENT. MENSIS) Ingentia ex argento pocula. Mensarum apparatum argenteum appellabant argentum, vt etiam auri nomine vasa aurea. Scæuola, Auro legato vasa aurea continentur, & gemmis gemmea. Licet etiam hunc locum sumere de abacis, seu repositorijs pretiosæ materiæ & operis, haud minus ipsis lectis discubitorijs, in quibus solebant exponere lances, & vasa omnis generis, argentea, aurea, pura, cælata, aut gemmis etiam distincta, murrhina, crystallina, gemmea, aut ab excellentibus fabricata artificibus. * *En tibi iam Valer. Flaui imitationem, lib. 2.*

Stant gemmis, auroq; tori, mensæq; paratu
Regifico, centumq; pares primæua ministri
Corpora, pars epulas manibus, pars aurea gestant
Pocula, bellorum caussas expressa recentum.

SER. LONGISS. RERVM) Rerum ab ipsis patribus gestarum.

PER TOT DVCTA VIROS) Iouem, Epaphum, Belum priscum, Agenorem, Phœnicem, Belum minotem, qui & Metres dicitur, patrem Didonis.

Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatem:
Ascanio ferat hæc, ipsumq; ad mœnia ducat.
650 OMNIS IN ASCANIO CHARI STAT CVRA PARENTIS.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre iubet, pallam signis, auroq; rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis,
655 Pergama cum peteret, inconcessosq; hymenæos,
Extulerat: matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, colloq; monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroq; coronam.
660 Hæc celerans, iter ad naues tendebat Achates.

ÆNEAS RAPID. AD NAVES) Postquam quæ Dido faciebat descripsit, ad Æneam reuertitur, vt dicat etiam quid ille fecerit. Ille vero misit Achatem, qui filium adduceret, reliquos consolaretur, & munera simul afferret, quæ reginæ offerentur, quod ante facere non poterat, quam omnia tuta esse cognosceret. Corrad.

NEQVE ENIM PAT. CONSIST. M. PASS. AM.) Quemadmodum Virgilius, consistere mentem non patitur amor, sic Cice. consistere eius animum sine furore, & amentia non sinunt. Idem in Anton. Nec vero vnquam te vigilantem, neque in somnis mente credo posse consistere. German.

OMNIS IN ASCANIO. CHARI) Quare omnis cura Æneæ staret, id est, defixa esset in Ascanio filio, patet ratio: quia filius, quia vnicus, quia illi imperium Italiæ, Romanaque tellus debebatur, vt ait in 4. Iupiter, & non ignorabat Æneas. Ipse tantarum rerum fundamenta duntaxat, & initia expediturus erat. Nec verò vlla res tam vsitata est parentibus, quam velle gaudijs suis interesse, participesque fieri liberos.

MVN. PRÆTER. ILIACIS) Ad duplicandam diei hilari-

hilaritatem, ad commendandam Æneæ magnificentiam, ſtudiumque referendæ gratiæ & ad reginam deniq; arctius deuinciendam, valde opportunè dona quædam Virgilius, eaq; maximè idonea, idoneo tempore, inter medias ſcilicet epulas offerenda excogitauit, id eſt, in medio gaudiorum. Ea ſunt quinque: palla ſignis aureis rigida: cyclas, circumtexum habens limbum, in acanthi ſimilitudinem: ſceptrum: monile ingens, baccis conſertum: corona gemmis interlucentibus. Prima duo fuerunt Helenæ: reliqua Iliones, natu maximæ filiarum Priami, Thracum reginæ: quippe quæ cũ Polymneſtore nupta fuerat. His Dido & ſexui, & perſonæ ſuæ congruenter, atq; perfectè exornatur: mulier cultu muliebri, regina ornatu reginarum. Quæ quidem & Æneam virum principem, regis potentiſſimi generum dare, & Didonem talem fæminam, reginamq; accipere conueniebat. Hac ratione Æneas ſeruauit egregiè, quod in donatione munerum obſeruandum præcipit Seneca lib. 1. de Benef. cap. 2. Cauebimus, ait, ne munera ſuperuacua mittamus, vt fœminæ, aut ſeni arma venatoria, aut ruſtico libros, aut ſtudijs ac litteris dedito retia. Vide prouerb. Cani das paleas, aſino oſſa. Sed quo pacto ſeruauit? quia, vt dictum eſt, mulieri muliebria, reginæ regia donauit.

PALLAM SIG. AVROQVE RIG.) A jureconſultis inter muliebria ornamenta ponitur. Liuius lib. 7. decad. 3. ait ſenatum Romanum ad reginam Cleopatram dono miſiſſe pallam pictam, cum amiculo purpureo. Nonius ait eſſe honeſtæ mulieris veſtimentum, hoc eſt, tunicæ pallium. Dictam ſentit Seruius ἀπὸ τοῦ πάλλειν, ea autem ad veſtigia vſq; demittebatur. Tibull. lib. 1. eleg. 7. *Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.* Plura Tiraquell. in 4. legem Connubial. num. 26.

CROCEO VELAM. ACANTHO) Per velamen croceo acantho circumtextum, quod Euripides κρόκεον πέπλον, videtur poeta innuere κρόκωτον, vnde & κροκώτιον, veſtem nimirum rotundam, & fimbriatam, quæ nobilioribus matronis in vſu fuit, à quo κροκωτοφόρος. German.

ORNAT. ARGIVÆ HEL.) Argiuam vocat, nõ quod Argis nata ſit, oppido non ita longè à Mycenis diſtante in Peloponneſo: ſed quod Argos non ſolum pro vrbe, verùm pro Peloponneſi tota regione vſurpatum ſit, vt docet lib. 8. Strabo. Helena autem filia Tyndari regis Laconiæ fuerit, & Lacedæmonem Peloponneſo contineri non dubium ſit. Sed non ſolum Peloponneſiacos, quin Græcos omnes Argiuos dictos ex æquo, auctor eſt Plutarchus in Quæſt. Rom. Germ.

PERG. CVM PETERET) Helenæ perfidiam, & mœchiam carpit Oenone epiſt. ad Paridẽ apud Ouid.

Sit facie quamuis inſignis, adultera certè eſt,
Deſeruit ſocios hoſpite capta deos.

Inter declamationes veterum quorundam Græcorum Sophiſtarum, eſt illa Gorgiæ in Helenam, qua in abſurdo, ſeu incredibili argumento ludens, eam quadripartita hac diſiunctione, iniuſtè ob deſertum, violatumq; matrimonium accuſari contendit. Si in crimine eſt Helena, quia Troiam cum Paride nauigauit, cum id vel diuina neceſſitate compulſa, vel vi rapta, vel oratione perſuaſa, vel amore hoſpitis fecerit, ſequitur ob horum vnam cauſam eſſe. Sed ob nullam eſt, quod, vt dicebam, ludens oſtendit. Fruſtra itaque reprehenditur. Cæterùm petebat quidem Helena cum adultero ſuo Pergama, verùm aduerſantibus ventis in Ægyptum delata, & à Proteo rege retenta eſt, Paride demum dimiſſo. Hiſtoriam perſequitur Herodotus lib. 2. Euterpe. Principium hoc eſt, Et ſane percunctanti mihi ſacerdotes de Helena, referebant ita rem eſſe geſtam. Alexandrum rapta è Sparta Helena, quum renauigaret domum, in mari Ægæo ventis excuſſum in Ægyptiacum pelagus, atq; illinc, non remittentibus flatibus, appulſum in Ægyptum ad oſtium Nili, quod vocatur Canabicum, &c. Inter declamationes Libanij fertur vna, qua Menelaum pro concione Troianorum Helenam ſuam repetentem, ac niſi reddatur, perniciem illis ab exercitu, qui iam aderat, denuntiantem inducit. Troianos ciues vehementer offenſos fuiſſe, cum viderent adduci Helenam, auctor eſt Dictys Cretenſis lib 1. cum pars exemplum facinoris execraretur, pars iniurias in Menelaum admiſſas doleret, nemo approbaret, indignarentur, vt dictum eſt, omnes, & res ad tumultum ſpectaret. Catalogum raptarum, & bella propter mulieres geſta, habes lib. 1. apud Herodotum. Steſichorum poetam lyricum oculis orbatum, quia de Helena contumelioſè locutus ſit, editaq; poſtmodum palinodia, aſpectum recuperaſſe, fabuloſè traditum, & creditum eſt. Meminit Plato in Phædro, hoſce eiuſdem verſiculos recitans.

Οὐκ ἔς ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος,
Οὐδ' ἔβας ἐν νηυσὶν ἐὐσέλμοις
Πέργαμα τρίας.
Non verus fuit ille ſermo, neq; cauis
Nauibus exceſſiſti, neq; adiſti
Pergama Troiæ.

Quomodo rapta ſit à Theſeo, conſule Diodorum lib. 4. cap. 7.

MATRIS LED. MIRAB. DONVM) Inter donum, ait Vlpian. de verb. ſignif. & munus hoc intereſt, quod inter genus, & ſpeciem. Nam genus eſſe donũ Labeo ait, vel à dando, vel à donando dictũ: munus ſpeciem. Nam munus eſſe donum cum cauſſa, vtputa natalitium, nuptiarum. Quam varijs autem ex cauſſis quam varia munerum nomina apud Græcos haberentur, vide ibidem Comment. Alciati, & eiuſdem Diſpunct. lib. 3 cap. 13.

MONILE BACCATVM) Monile dicitur ornatus muliebris, qualem habuiſſe Eriphylen fabulæ ferunt. Ex eo etiam equis propendens à collo ornamentum monile vocatur, ita Feſtus. De baccato monili Sueton. in Galba cap. 18. Monile margaritis gemmisque conſertum, ad ornandam fortunam ſuam Tuſculanam, ex omni gaza ſecreuerat.

HÆC CELERANS) Poſitum vides in actione hoc verbum, quemadmodum & properare alicubi, exemplo Græcorum nimirum. Nam σπεύδειν, & ταχύνειν aliquando ijs actiua ſunt.

At Cytherea NOVAS ARTES, NOVA PECTORE VERSAT
CONSILIA: vt faciem mutatus, & ora Cupido
Pro dulci Aſcanio veniat: donisq; furentem
Incendat reginam, atque oſſibus implicet ignem.

665 Quippe domum timet ambiguam, Tyriosq; bilingues:
Vrit atrox Iuno, & sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus:
Nate, Patris summi qui tela Typhoëa temnis,
670 Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater vt Æneas pelago tuus omnia circum
Littora jactetur, odijs Iunonis iniquæ,
Nota tibi: & nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisq; moratur
675 Vocibus, & vereor quò se Iunonia vertant
Hospitia: HAVD TANTO CESSABIT CARDINE RERVM.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor: ne quo se numine mutet,
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
680 Quà facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad vrbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura:
Dona ferens pelago, & flammis restantia Troiæ.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
685 Aut super Idalium secreta sede recondam:
Ne quà scire dolos, mediusúe occurrere possit.
Tu faciem illius, noctem non amplius vnam,
Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Vt cum te gremio accipiet lætissima Dido
690 Regales inter mensas, laticemq; Lyæum:
Cum dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasq; veneno.

AT CYTHEREA NOVAS ARTES) Pulcherrima οἰκονομία poetæ, qui res omnes optimè describit. Dido Æneam in regia tecta duxerat, ad socios Æneæ munera mittebat, & ornandam domum curabat: Æneas Achatem ad filium mittebat, Achates properabat. At Venus mater, quæ pertinebant ad Æneæ salutem, satagebat, Cupido paulo post matri parebit. Ita suo quisq; munere fungitur. Corrad.

Quod videret poeta, pudicæ mulieris regno nouo constituendo, stabiliendoq; intentæ difficillimè animum ad amores, ac voluptates corporis adduci posse, quodq; nouerat ingenium Pœnorum perfidum, ne à verisimili discedat, ad deorum opem atq; consilium confugit. Sic enim quæ infra, & in 4. de Didonis in Æneam amore narrantur, magis fiunt verisimilia, quamuis sint falsa. Ergo ad hoc fingendum, vide quam aptas elegerit personas. Venerem matrem, deam, ac fœminam, Cupidinem deum amoris, filium Veneris, Æneæ fratrem, puerum. Venus enim, quod mater est, non potuit obliuisci filij vteri sui. Quod est fæmina, ad dolos est ꝓpensa. Nihil enim fæmina fallacius. Quod Venus, hoc est eius proprium munus, amoribꝰ incendere hominum animos. Hoc idem conuenit & Cupidini filio: nam quales parentes, tales & filij. Ratione quoq; Tyriorum hoc fuit faciendũ, nam cum dolosis A dolosè est agendum, & cum Cretensi cretizandum. Regulus.

Cytherea, Venus, ab vrbe Cythera, in quam primum deuecta esse dicitur concha, cum in mari esset concepta. Festus. Seruius ab insula dictam vult, quæ tantum numero plurali dicitur, vt lib. 10. *sunt alta Cythera*. Vide amplius de hoc nomine Pierium lib. 47. in Lyra, hieroglyphico Amor. Artes τῶν μέσων est, sunt enim bonæ, sunt malæ artes. De bonis Terent. And.

Nihil istac opus est arte ad hanc rem, quam paro,
Sed his, quas semper in te intellexi sitas,
Fide, & taciturnitate.

B Sallust. in Catilin. imperium ijs artibus facilè retinetur, quibus initiò partum est. Ibid. Huic, quia bonæ artes desunt, dolis, atque fallacijs contendit. Item. Animus imbutus malis artibus, haud facile libidinibus carebat.

FVRENTEM INCENDAT) Id est, incendendo furere faciat, vt, *animumq; labantem Impulit*. Et supra, *submersas obrue puppes*.

OSSIBVS IMPLICET IGNEM) De igne amatorio diceturprincipio lib. 4. *traxitq; per ossa furorem*, dixit de eadem lib. eodem.

QVIPPE DOM. TIMET AMB.) Ætiologia, quare Venus velit Didonẽ Æneæ amore capi. Quia induci deinde non

de nõ poterit, vt illi noceat. Est verò caussa timendi, nõ triplex, vt vult Corrad. sed duplex: siquidem domus ambigua, & Tyrij bilingues vnam faciunt, vt sit ἐπεξήγησις. Bilingues vocat Tyrios, id est Pœnos, quia fraudulenti, & dolosi, tales enim videntur duas habere linguas. Altera est atrox Iuno, infensissima Troianis. Aliter Turneb. exponit illud bilingues, lib. 11. cap. 24. Nam Carthaginenses & Tyriorum, & Afrorũ lingua vtebantur. Duplici autem lingua qui vtuntur, infideles, & veteratores improbiq; habentur. Itaq; Hannonem Plaut. Pœnulo, vt bilinguem dicit esse bisulca lingua, quasi proserpentẽ bestiam.

SVB NOCTEM CVRA RECVRRSAT) Cura, quæ propter Iunonis odia Veneri nata fuerat, quotidie sub noctem recursabat. Vel dicas, eodem die sæpius aliquem posse de vna re cogitare: & ita Venerem crebrius eo die, præsertim sub noctem cogitasse, ita, vt cura recursarit, & sub noctem, quæ si non instabat, non procul tamen erat. Corrad.

ALIGERVM AMOREM) A Platone in Phædro Cupido dicitur πτερόεις id est alatus, vel pennatus. Cic. 2. de natur. deor. pennatum vocat. A Phurnuto dicitur πτερωτὸς, quasi dicas volans, & pennatus, quoniam amantium cogitationes tenues, & ad auium modum vagas facit.

NATE, MEÆ VIRES) Non enim sine amore cõlitur Venus. Artificium huius orationis docebit te Regulus.

PAT. SVMMI QVI TEL. TYPH. TEMNIS) Haud insulsè quidam triumphum Cupidinis scripsit, quo in libro, non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam victorem facit. Enumeratis quippe amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis, ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Iupiter cum cæteris dijs ante currum triumphantis ducitur catenatus. Lactant. lib. 1. cap. 11. * *De potestate Cupidinis, etiam aduersum deos illos immortales, scitum est epigramma illud in Append. Virgiliana, eius statuæ subscriptum.*

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Pensa dedi Alcidæ, Bacchum seruire coegi.

De eadem multa prædicat Venus dialogo quodam Luciani Tom. 4. non longe ab initio, quem habet cum Cupidine: vbi ille etiam leonibus se imperare autumat, eorumq; tergis conscensis, & prehensa iuba equitis ritu insidere. De Typhœo gigante Seneca Medea. Qui regna concussit Iouis. *Describunt eum Hesiod. in Theogonia, Apollodorus lib. 1. & eiusdẽ cum Ioue pugnam, & deorum trepidationem exponunt: qui eius metu varias formas sub quibus laterent, sumpserant. Ouid. 15. Metamorph. de insula Sicilia eidem supplicij caussa iniecta.*

FRATER VT ÆNEAS NOTA TIB.) Tibull. lib. 2. eleg. 5. *Impiger Ænea volitantis frater amoris.* Nota tibi, pro notum, numerus pro numero, & est hellenismus. Plaut. non rarò, mira sunt, pro mirum est.

NOSTRO DOL. SÆPE DOLORE) Cur non dixit, casu accusandi, & nostrum doluisti sæpe dolorem? eleganter hoc, vt Cælius ad Ciceron. epist. 2. libr. 8. In theatrum Curionis Hortensius introijt, puto vt suum gaudium gauderemus.

TEN. DIDO, BLANDISQVE MORAT. VOCIBVS) Quam multos blandæ istiusmodi fæminarum voces (de quibus potissimùm puta dixisse P. Syrum in Mimis, *Habet suum venenũ blanda oratio*) ergo quam multos moratæ sint, atque à maximis, & gloriosissimis inceptis retardauerint, historiæ loquuntur. Hoc & Æneæ viro sapienti contigit, vt oblitus quò tendebat, & immemor promissi in Italia imperij, apud Didonem hæreret in Africa. Quare Iupiter necesse habuit, cælesti nuntio susceptam illi, nec dum peractam profectionẽ, & sedes illas in Italia quietas in memoriam redigere. Et credibile est, Æneam aliquamdiu se forticulum præbuisse, animoque aduersus blandimenta muliebria obfirmato perstitisse. Sed habent hoc naturale blanditiæ, inquit Seneca lib. 5. Natural. cap. 1. etiam cum reijciuntur, placent, & sæpius exclusæ, nouissimè recipiuntur.

IVNONIA HOSPITIA) Iunonia hospitia ex eo dicta, quod Carthago Iunoni dicat esset, quæ Iunonia quoq; vocata est. Turneb. lib. 18. cap. 32.

HAVD TANTO CESSAB. CARD. RERVM) Hunc habet sensum, non poterit in tanta rerum opportunitate cessare: vt sit de prouerbio tractum, quo dicitur, Res in cardine est: hoc est, in articulo. Ita Seruius. M. Tullius: in eo cardo vertitur, pro eo, quod est, ex hoc tota res pendet. Quintil. lib. 12. Nam vt taceam de negligentibus, quorum nihil refert, vbi litium cardo vertatur. Idem lib. 5. Nam si fatetur, multis ex caussis potuit cruenta esse vestis: si negat, hic caussæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Sumptum ab ostijs, quæ cardinibus sustinentur, voluunturque. Chiliad. * *Adde hæc ex Budæi Forensib. Cardinem caussæ in aliquo articulo ponere, vel summam controuersiæ, & denique caussæ factum ex eo pendere velle: est, quod aiunt Forenses, ius ex eo sumere.*

ET CINGERE FLAMMA) Vox militaris, cingere flamma, & metaphorica, ab obsessis igne ferroque vrbibus. φλογὶ ἀμφιβάλλειν. German.

NE QVO SE NVM. MVTET) Ne aliquo numine quasi imperante sententiam mutet, & quem amare cœpit, certè hospitio accepit, offendat, persequatur, aut etiam occidat. Numen Iunonis significat, quæ vel Irim mittere, vel ipsa venire potuisset, & hoc Didoni mandare. Numinis autem nomen tacet hic, vt ante in verbo *cessabit*, ne toties Iunonem nominans, Cupidinem tantæ deæ maiestate terrefaciat. Corrad.

QVA FACERE ID POSSIS) Facere à facie, quod rei quam facit, imponit faciem, vt fictor cum dicit fingo, figuram imponit: cum dicit informo, formam: sic cum dicit facio, faciem imponit. Varro libr. 5. de ling. latin.

NOSTRAM NVNC ACCIPE MENTEM) Locus attentionis. *Nostram mentem*, consilium, rationem.

REGIVS PVER) Tum propter Priamum, cuius erat ex filia Creusa nepos: tum propter regnum illi in Italia destinatum.

AD VRBEM SIDON.) quam condunt Sidonij, id est, Tyrij, à vicino, Tyrus enim vrbs Phœniciæ vicina Sidoni. Vnde & ipsa Dido Sidonia in hoc ipso, supra, & 4. lib.

MEA MAXIMA CVRA) Est quidem Æneas cura, sed longe maior Ascanius, cuius pluribus locis prouida, & sollicita introducitur. Hoc autem more communi parentum, qui magis amant nepotes quam filios, quandoquidem magis per illos, quam per hosce immortales se futuros sperant. Dona quæ sint, iam audisti: ea & medijs è flammis erepta, & è fluctibus ipsis integra seruata sunt: quorum prius dixit ad commendationem supra, *Munera præterea Iliacis erepta ruinis.*

HVNC EGO SOPITVM SOMNO) παραλιπτικῶς obiectioni occurrit, ne quæratur, quid Ascanio fiet, si ego abiero? Sopitum autem, id est somno approbè irrigatum.

SVPER ALTA CYTHERA) De insula Cytheris quid mãdauerit memoriæ, grauissimus scriptor Thucydides, pretium fuerit audire, lib. 4. Cythera autem insula est, è regione Laconiæ sita, ad Maleam promontorium. Lacedæmonij verò incolunt eam vicinam, & quotannis mittebatur eo prætor ex Sparta, qui in Cytheris ius dicere solebat. Erat enim eis ibi onerariarum nauium ex Ægypto, & Libya accurrentium receptus, & inde prohibebantur latrocinia, vt è mari minus Laconiam vexare possent. Nam ab hac patte solum opportunum erat eam maleficiis infestare. Tota enim insula versus Siculum, & Creticum mare vergit. Hæc Thucyd. * *Duæ fuerunt tantum huius insulæ ciuitates, quarum altera dicebatur Scandia, versus mare sita: altera insulæ ipsi cognominis, Cythera. Sed pro insula numero multitudinis Cythera Cytherorum effertur.*

FACIEM ILLIVS FALLE DOLO) Videtur hic fallere faciẽ dixisse, vt Sophocles in Philoctete μορφὴν δολεῖν. Hic siquidem fallere faciem est, ὑποκρίνεσθαι mentiri, & simulare. German. Faciem falle, ait Scalig. Poet. lib. 4. cap. 16. id est falsam habeas, præ te feras. Inusitatus dicẽdi modus. Dicimꝰ enim, Cupido fallit Elisam, σφάλλει. Fallit autem falsa facie, id est, non sua: ergo non vera. Quare si facies falsa est, ergo aliquis illã fefellit, ἔσφηλεν: quod est, dimouit à natura sua. Non quod Ascanij facies immutata sit: sed quod ab alio repręsentata. Etiam apud Hesychium scriptũ est, σφάλλον, κολάκευσον. Igitur etiam simulare significauit. Hoc non animaduerterunt Grammatici: & Seruius malè interpretatus est, faciem pro vultu. Nemo, inquit, alienam faciem potest accipere. Profecto nemo homo: at poetarum dij possunt. *Iuturna in faciem mutata Metisci.* Et. *Fit Beroe Ismarij coniux longæua Dorycli.* Nisi Ascanij faciem sumpsisset sibi Cupido, frustra vultu illius se, suosq; texisset dolos. * *Quod Scalig. affirmat, deos poetarum facies alienas, hominum nempe assumere, confirmat Homerus locu pluribus per Odysseam & Iliadem, vt norunt qui legerunt, quique ἀμαρτύρως mihi credent.*

NOCTEM NON AMPL. VNAM) Breue tempus petit Venus, vt facilius impetret. Nec postea quidquam de Cupidinis discessu, & Ascanij reditu dicet: quoniam multa tacentur, quæ facta intelliguntur. Corrad.

NOTOS VVLTVS) notos ipsis Troianis, notos tibi, qui cognoscis Ascanium, vt fratris filium.

REGAL. INT. MENS. LAT. LYÆVM) Facile amor conciliatur inter epulas, & pocula. Sine Cerere & Baccho friget Venus. Est autem Latinus poeta Græcos imitatus in illo, laticemque Lyæum, pro Lyëium, & περιφρασικῶς dixit pro vino, seu liquore Bacchico. Vt item libr. 11. *Errauere iugis, ferro sonat alta bipenni.* Solent Græci interdum duo substantiua coniungere, quorum alterum pro adiectiuo accipiendum: vt, νηυσὶ πρυμνῆσι in nauibus puppibus, pro postremis nauibus, seu nauium partibus. Iliad. κ. γῆι πᾶσα πρύμνη. Odyss. 2. νῆι δ' ἔνι πρύμνη. Latex à latendo. Omnis autem liquor dici potest hoc nomine, propriè quidem aqua, ab eo, quod intra terræ venas lateat. Vinum latet intra vuam. Solinus paulò licentius, Non coibant in corpus vnum latex vineus, & latex aquæ. Apud Lucretium inuenies latex absinthij: apud Ouid. latices Palladios, pro olei liquore. Expleri latice fontis lacteo Apuleius libr. 1. Metam. pro aqua pura, & nitida. Hartungus Decuria 3. cap. 6. & alij. * *Latex Lyæus pro Lyæius, id est, Bacchicus. Bacchus enim vini repertor poetis, quod pueris notum est. Hoc ipsum, eiusq; nomina, & effectum indicat in Athamante Ennius, vt est apud Charisium in his versibus.*

Iis erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Illis Lyæus vitis inuentor sacræ.
Tum pariter, Euan, euhoe, euhoe, Euius,
Ignotus iuuenum cœtus, alterna vice,
Inibat alacris, Bacchico insultans modo.

ATQVE OSCVL. D. FIGET) Osculorum alia diuina sunt, alia humana, & vtrorumque modi varij. Lege Lipsium Elector. lib. 2. cap. 6. Neq; vero genas duntaxat, sed oculos quoq;, & os, seu labra, quod vulgus semilitteratorũ ignorat, idq; honestissimè etiam osculabantur. Quin os sæpius: nam auctore Festo, oscularі inde dictum est, quod ora inter se, qui oscularentur confertent. Catull. ad Verannium ex Hispania reducem.

Visam te incolumem, audiamq; Iberum,
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, applicansq; collum
Jucundum os, oculosq; suauiabor.

Plin. libr. 11. cap. 37. Profectò in oculis animus habitat: Ardent, intenduntur, humectant, conniuent. Hinc illæ misericordiæ lacrymæ. Hos cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. Osculum, & suauium his intellectibus discernuntur, ait Nonius: quod ab ore osculum, & suauium à suauitate dicatur. Ac propriè quidem si loqui velimus, oscula secundum Donatum in And. Terentij officiorum sunt, basia pudicorum affectuum, suauia amorum, siue libidinum. Vsus, vt alia innumera, confudit.

OCCVLTVM INSPIRES IGNEM) Aptè, atque eleganter imitatus est Homerum ille enim ἐμπνεῖν. Vsus est autem pluribus locis hoc suo verbo Virgilius, sed eximiè in præsenti, cum facit Venerem erudire filium, instruereq;, vt melius efficiat, quod volebat, ac tempus illud requirere suspicabatur, id est, vt in animo Didonis πάθος excitet, inflammetque ipsam amore Æneæ. Vbi autem Vlysses apud Homerum admonet Achillem, vt antequam educat copias in aciem, iubeat milites curare corpora, quia prælium longo temporis spatio perduraturum erat, acriter pugnaturis Græcis, ac Troianis, cum deus ambabus partibus robur dederit, ita locutus est: ἐν δὲ θεὸς πνεύσῃ μένος ἀμφοτέροισιν. Sic in 15. verbum mutauit, & pro ἐνέπνευσεν dixit ἐνῆκεν, μένος πολύθαρσος ἐνῆκεν. Virgil. autẽ delectatus est hoc verbo, *inspirare.* Nam de Alecto quoq; ait. *Vipeream inspirans animam.* Et de apibus, *læsaq; venenum Morsibus inspirant.* Et de Ænea, *magnam cui mentem animumq;, Delius inspirat vates.* Aliquando tamẽ ipse quoq; illud variauit, vt cum dixit, *Immisitq; fugam Teucris, atrumq; timorem,* vt Homerus, ἐν γὰρ Ἀπόλλων ἧκε φόβον. Victor. lib. 38. cap. 6.

Paret Amor dictis charæ genitricis: & alas
Exuit, & gressu gaudens incedit Iuli.
695 At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat: & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.
Iamq; ibat dicto parens, & dona Cupido
700 Regia portabat Tyrijs, duce lætus Achate.

Cum

Cum venit, aulæis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamq; locauit.
Iam pater Æneas, & iam Troiana iuuentus
Conueniunt: stratoq; super discumbitur ostro.
705 Dant famuli manibus lymphas: Cereremq; canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemq; pares ætate ministri,
710 Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrij per limina læta frequentes
Conuenere, toris iussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum,
Flagrantesq; Dei vultus, simulataq; verba:
715 Pallamq;, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipuè infelix pesti deuota futuræ
EXPLERI MENTEM NEQVIT, ARDESCITQVE TVENDO
Phœnissa, & puero pariter, donisq; mouetur.
Ille vbi complexu Æneæ, colloq; pependit,
720 Et magnum falsi impleuit genitoris amorem,
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fouet inscia Dido
Insideat quantus miseræ deus. at memor ille
Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
725 Incipit, & viuo tentat præuertere amore
Iam pridem resides animos, desuetaq; corda.

ET ALAS EXVIT) Horat. Ode 12. libr. 3. *Cithereæ puer ales.* Ales Amori attribuerũt recentiores poetæ, aiunt Græci, cum vetustissimi nihil de eo tale prodiderint. Ac fuit, cum non solum alatum, sed etiam barbatum pinxerunt, quod minus vulgare est. Ita enim de se loquentem introduxit Theocritus. μήδε τρέσης ἂν τυσὸς ὢν δάσκια βέβειθα λάχνα. Sic enim legendum, τυσὸς Doricè τυῖθός. Scalig. F. in Append. Virgil. * *Sed quamobrem alas affinxerunt tandem Cupidini? Caussam discimus vel ex Propertij lib. 2. eleg. 12. quo loco reliqua item eius arma, siue insignia, proprietatesq; explicantur.*

Idem (pictor) non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostraq; non vllis permanet aura locis.

GAVDENS) Quòd amor lætus esse soleat: quod libenter obediret matri: quòd libenter talia faceret, vt qui suo fungeretur officio; quòd opem ferret fratri: quòd referret Ascanium, qui tum lætus erat, & ad patrẽ iturus. Corrad.

AT VENVS ASCANIO) Arist. lib. 1. inter caussas, quibus quis adducitur ad faciendam iniuriam, & aliquem fallendum, spem celandi annumerat. Hinc intelligitur Veneris cõmentum de fallenda Didone verisimiliter à poeta excogitatũ, & cum superius dixit, *Hunc ego sopitum somno*, &c. & nunc, cum inquit, *At Venus*, &c. vbi à persona Veneris decorum seruatur: nam dolosæ sunt naturâ mulieres. Cadit etiam in puerum hoc ipsum cõmentum. Pueri enim sunt plurimi somni, & à matribꝰ solent foueri in mollibus toris, & lectulis odoratis collocari, quò altius dormiant. Item à loco res fit verisimilis, in lucis altis, & in vmbra, inter molles herbas, & arbusta facilè quis latere potest puer. Regulus.

PER MEMB. Q. IRRIGAT.) *Lucret. libr. 4.* Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem Irriget. *Furius Bibaculus*, mitemq; rigat per pectora somnum.] Præclare scriptum extat à Iouiano sub extremum Actij Dialogi, poetæ finem, seu officium esse, dicere appositè ad admirationem. Quem tenorem comparandæ admirationis non tantum in grauioribus, ac serijs seruant rebus, verùm in ijs quoque, in quibus lectorum, atque auditorum delectatio, voluptasq; sola quæritur, vt in hoc loco. Singulis pæne è verbis, Venerisque è gestibus gignitur virtus hæc, quam & in dicendo, & in mouendo, nec minus in oblectãdo assequi poetę omni arte, studioq; cõtendunt.

MOLLIS AMARACVS) Amaracus herba mollis, laudatissima in Cypro nascitur, vt scribit Plin. libr. 21. cap. 22. suaueolentem vocat Catull.

DVLCI COMPLECT. VMBRA) Altius dormitur in vmbra. Hinc Ouid. somni domum collocat, quò sol nunquam accedat. Corrad.

IBAT DICTO PARENS) Ibat Carthaginem versus, obsequens Veneris auctoritati.

PORTABAT) Non portabat suis humeris, quippe puer, sed portantibus quasi præerat.

AVREA) vel regina, & tum explicabis, *pulchra*, vt aurea Venus: vel aureis vestibus ornata: vel sponda, & tum fiet synæresis.

SPONDA) Lecti latere, id est, tabula, quæ lecti latus sustinet, quam vel hodie spondam vocamus, & quidem lecti, in quo dormimus. Sed & lecti dicitur,

in quo

in quo comedentes accumbebant, qui ſternebatur pro dignitate perſonarum. Vnde hìc aurea ſponda, id eſt, ſtragula veſte aurea cooperta. Vide Corrad.

MEDIAMQ. LOCAVIT) In lecto, qui medius eſſet, accubuit: ne quis credat Æneam, & aliũ quempiam in eodem etiam lecto ſic accubuiſſe, vt Dido media eſſet. Nam mulieres in eodem lecto non accumbebant cum viris, niſi mariti, aut amatores eſſent. Vide. Corrad.

A Græcis primùm manauit accubitus, quàm pop. Rom. ſemel acceptum, in magnis copijs perpetuò retinuit. Sed vt accubitus index eſt diſſolutæ lætitiæ, & iucunditatis cuiuſdam viro parum dignæ: ſic ſeſſio ſeuerior, & à voluptate remotior. Propterea Cato ille Vticenſis, quo nemo patriam dilexit magis, poſt exortum ciuile bellum, mœrore animi affectus ſedens, non cubans ſemper cœnauit. Fortaſſe eodem modo Græci, cum faſtidita vetere paſimonia, contemptaque verecundiæ norma, delicatè, & molliter viuere placuit, morem cubandi in cœna à barbaris acceperunt. Nam Syphacem Numidiæ regem cubantem cœnaſſe, & cum eo Scipionem, & Haſdrubalem teſtatur Liuius libr. 8. de bello 2. Punico. Nec dubito, quin Virgilius, cum hæc de Didone ſcriberet, ad barbaram hanc conſuetudinem reſpexerit: vt item lib. 2. *Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.* Apud veteres Romanos illos conſidendi, non accumbendi vſus erat. Poſtea viri diſcumbere cœperunt, mulieres ſedere: quia turpis viſus eſt in mulieribus accubitus. Poſtea tamen mulieres cum viris accumbere cœpiſſe, contagione morum deprauatas, indicat Valer. libr. 2. Lege Plura apud Ald. Manut. de quæſit. per epiſtolam lib. 2. cap. 4. de accumbendi, & comedendi ratione. Dicemus rurſum lib. 7. ad illud, *Perpetuis patres ſoliti conſidere menſis.*

TROIANA IVVENTVS) Illi qui cum Ilioneo venerant, quos etiam ſupra iuuenes vocauit Dido, & alij fortaſſe, qui Aſcanium comitati venerant. Corrad.

STRA. SVP. DISCVMB. OSTRO) Super lectis oſtro ſeu purpura ſtratis, quod ſub horam cœnæ fiebat. Stragulæ veſtes, propterea quod toris inijcerentur, vocatæ ſunt toralia, vocabulis græcis periſtromata, & peripetaſmata. Et erant purpurea, ac ferè textilia, ſiue acu picta. Martial. *Babylonica picta ſuperbè Texta Semiramia quæ variantur acu.* Plautus.

Ita veſtra ego latera loris faciã vt valde varia ſient,
Vt ne periſtromata quidẽ æquè picta ſint Campanica,
Neq; Alexandrina belluata, conſutaq; tapetia.

Et poeta noſter, *Conuenere, toris iuſſi diſcumbere pictis.* Huc quadrant etiam verba Ciceronis è Tuſcul. 5. Collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtratoq; pulcherrimè textili ſtragulo, magnificis operibus picto. Eadem hæc ad illum verſum qui præcedit accommodentur, *Arte laboratæ veſtes, oſtroq; ſuperbo.* Vbi verò ſe in lectis ordine collocaſſent Romani (quorũ varios ritus varijs in locis depingit Virgilius, ſuumq; poema ijs exornat) ſolebant lauare manus. Quapropter cum illa præceſſerint, *ſtratoq; ſuper diſcũbitur oſtro:* bene ſubijcitur, *Dant manibus famuli lymphas.* Plaut. Perſa.

Tu Sagariſtio, accumbe in ſummo, meum natalem agitemus amœnum
Date aquam manibus, apponite menſam.

Pro *lymphas* quidam eruditiores legunt, *nymphas,* quod multò ποιητικώτερον eſt.

CEREREM CANISTRIS EXPEDIVNT) Expedire hìc, eſt proferre. Cicer. in Verrem de ſupplicijs. Hominem proripi, atque in medio foro nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Nonius.

ORDINE LONGO) Legitur, *ordine longam,* vt referatur ad penum, quæ vox continenti verſu ſequitur. Teſtatur Gellius lib. 4. cap. 1. Meminiſti enim credo, inquit, queri ſolitum, quod Virgilius dixerit: penum conſtruere vel longam, vel longo ordine.

ADOLERE PENATES) Verbum proprium ſacra reddentium, quod ſignificat votis, ac ſupplicationibus numen auctius facere: vt eſt in ijſdem, *macte eſto,* & intelligi debet ab eo, quod eſt adoleuit, id eſt, creuit, & adultum, quod eſt auctum, & aucta ætate. In Bucol. *Verbenaſq; adole pingues, & maſcula thura,* id eſt adde, cumula. Lucret. lib. 4. adolentq; altaria donis. Nonius. * *Obſeruare licet Statium hanc deſcriptionem conuiuij ſecundi Meſis æmulantem 1. Thebaid.*

---------- adolere focos, epulaſque recentes
Inſtaurare iubet: dictis parere miniſtri
Certatim accelerant, vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues, auroq; ſonantes
Emunire toros, altoſq; inferre tapetas.
Pars teretes leuare manu, ac diſponere menſas.
Aſt alij tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis, &c.

CENTVM ALIÆ TOTIDEM, PAR.) Quod famulas famulis, muliebrem ſexum virili admiſcet poeta in miniſtrando, eius rei cauſſas Corrad. ſtatuit tres. Vel voluit oſtendere etiam tum morem fuiſſe apud externos, vt famulæ ſimul cum famulis maribus miniſtrarẽt: vel decorum ſeruauit, quod eſt, vt reginæ vtique famulæ potius, quam famuli ſeruiant, mulieres mulieri: vel ſignificauit hoc ipſo, apparatum tantum fuiſſe, vt onus totum famuli ſuſtinere non poſſent, niſi famulæ ſubuenirent.

Miniſtrabant autem Romæ menſis pueri ætate pares, veſte pretioſa non tam veſtiti, quàm ornati, Miniſtrabant etiam puellæ, quod antiqua marmora Romæ extantia demonſtrant. Sueton. Tiberio. Sex Claudio libidinoſo, ac prodigo, ſe in cœnam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine mutaret, aut demeret, neq; vllis puellis miniſtrantibus cœnaretur.

TORIS PICTIS) Non oſtro ſtratis, vt illi, in quibus diſcumbebant Troiani: hoſpitibus enim honor habendus fuit.

FLAGRANTESQVE DEI VVLTVS) qui ſcilicet faces, atq; incendia amoris præ ſe ferrent. Sic. Cic. pro Cælio, flagrantiam oculorum: qui nempe amoris æſtum atque incendium intuendo emitterent. Dei dicit ex ſua perſona, non enim Tyrij ſciebant eſſe deum, hoc eſt, Cupidinem. Et quomodo hìc negat Didonem ſpectando expleri potuiſſe ob diuinam elegantiam pueri: ita lib. 8. paſtores ait ſatiari non potuiſſe, ſpectanda vaſtitate, ac mole Caci. *nequeunt expleri corda tuendo.*

FALSI IMPLEVIT. G. AMOREM) Quod Pſeudaſcanium illum, Æneæ amorem impleuiſſe dicit, pari ferè ſententia Tacitus lib. 1. Cum oſculis, cum lacrymis dolorem meum impleuero, me quoq; trucidari iube. obſeruat. German. Videtur hypallage, pro, impleuit falſum genitorem magno amore: id eſt, ſatiauit amorem Æneæ complexu ſuo.

REGINAM PETIT) vt puer oſculaturus, vt Cupido capturus. Apto verbo vſus eſt, quaſi inſidijs aggreſſurus. Mire autem exprimit factum, affectumq; mulieris puero blandientis, quam venuſta exornat repetitio: & ex futura illius calamitate commiſerationem renouat. Naſcimb.

AT MEM. ILLE MAT. ACID.) Memor Cupido præceptorum matris, paulatim ex animo Didonis, imaginem Sichæi delet, ac penitus eradit: ac pro illo amore pigro, inerti, mortuo, alium ſufficit, iuuenilem, vehementem, viuidum, flagrantem, in Æneam ſcilicet. Hoc eam præuertit, id eſt, præoccupat, ne quid Æneæ

Iunonis machinatio, si quid tanto cardine rerum incepta uerit nocere queat. Iacob. Pont. Acidalia Venus dicitur, vel quia inijcit curas, quas Græci ἀκιδας dicunt, iuxta illud Catulli, *spinosas Erycina serens in pectore curas*: vel certè à fonte Acidalio, qui est in Orchomeno Bœotiæ ciuitate, in quo se Gratiæ lauant, quas constat Veneri esse sacratas: ipsius enim & Liberi filiæ sunt: nec immeritò, Gratiæ enim per horum fere munera conciliantur. Seruius.

PAVLATIM ABOLERE SICHÆVM) Vt nemo repente fit bonus, ita nec malus: gradus sunt vitiorum, quemadmodum & virtutum. Vt igitur τὸ εἰκὸς seruetur, paulatim, non subito debet Cupido ex animo Didonis Sichæi delere memoriam: quod fieri necesse erat ad id, quod volebat Venus. Nam vigente prioris mariti amore, nouo amori nullus erat locus. Regulus.

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ.
CRATERAS MAGNOS STATVVNT, ET VINA CORONANT.
Fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant
730 Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi: & noctem flammis funalia vincunt.
Hîc regina grauem gemmis, auroq; poposcit,
Impleuitq; mero pateram, quam Belus, & omnes
A Belo soliti: tum facta silentia tectis.
735 Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)
Hunc lætum Tyrijsq; diem, Troiaq; profectis
Esse velis, nostrosq; huius meminisse minores.
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno:
Et vos ô cœtum Tyrij celebrate fauentes.
740 Dixit, & in mensa laticum libauit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ILLE IMPIGER HAVSIT
SPVMANTEM PATERAM, ET PLENO SE PROLVIT AVRO:
Post alij proceres. cithara crinitus Iopas
745 Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes: vnde imber, & ig-
Arcturũ, pluuiasq; hyadas, geminosq; Triones: (nes:
Quid tantùm Oceano properent se tingere soles
750 Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrij, Troesq; sequuntur.
Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido: longumq; bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
755 Nunc quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles.
Immò age, & à prima dic hospes origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusq; tuorum,
Erroresq; tuos. nam te iam septima portat
760 Omnibus errantem terris, & fluctibus æstas.

POSTQ. PRIMA QVIES EPVL. MEN. REM.) Bene sapienterq; Maro indicat tumultuosum, ac sobrium vno eodemque versu, sub paucorum verborum immutatione conuiuium. Nam vbi sub apparatu regio procedere solet luxus ad strepitum, *Postquam prima quies epulis*, inquit: at cum heroes castigatis dapibus assidunt, non reducit quietem, quia nec præcessit tumultus: sed inquit, *Postquam epulis exempta fames*. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 1. Turneb. libr. 22. cap. 22. hîc mensas intelligit fercula, & magidas, & lances. Nam saturis conuiuis remouentur. Vrsinus de Triclinio, Siue oblonga, inquit, siue, vt postea, rotunda, apponi dicebatur mensa, media scilicet inter conuiuas: vnde putat Varro dictam mensam, quasi μέσην. Vbi verò cœnassent conuiuæ, mensa tolli dicebatur. Plaut. Truculento. *Cedò soleas mihi. Properate, atq; auferte mensam.* Athenęus lib. 5. ἀπαλλαγέντων δὲ τῶν δειπνούντων, αἱ τράπεζαι ἐξαιρούντο. Toties autem mensas, hoc est, repositoria, quoties fercula, & obsonia mutari, & conuiuantibus apponi à duobus solita fuisse, non, vt postea mos obtinuit, vt singula fercula singuli ferrent, conijcere possumus ex ex ijs, quæ scribit Alexis apud Athenæum.

Ὡς εἶδε τὴν τράπεζαν ἀνθρώπους δύο
Φέρουσας εἴσω, ποικίλων παρηψίδων
Κόσμου βρύουσαν, &c.

Mensas enim dicebant, quibus imponebantur vasa tum escaria, tum vinaria, quas ferculis onustas duo serui, vt diximus, conuiuis apponebant. Ad quod testimoniũ accedit Seruij etiã auctoritas, qui in versum hũc sic scribit. Quia apud antiquos mẽsas ipsas apponebant pro discis. * *Cur mensa cum tolleretur, semper omnino aliquid super ea relinqui vellent, caussas aliquot indicat Plut. Quæst. Rom. quæst. 24.*

CRATER. MAG. STATVVNT, ET V. COR.) Crater vas est, quod Latini crateram vocant, in quo veteres vinum aqua temperabant. Statuebant autem tres crateras antiqui Græci in cœna: primam Mercurio, alteram Gratijs, tertiam Ioui Seruatori, quẽ διὰ σωτῆρα vocabant. Sed & earum vnam post epulas mensis remotis statuebant ad libationẽ, & inuitationem. Nam se Græci post conuiuium poculis inuitare solebant, quam consuetudinem hìc imitatus est Maro. Vertit autem verbum Homericum Iliad. 1. κύρεσι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο, alio sensu, quam interpretes Græci accipiunt, qui *coronant*, explanant, ad summãm coronam, & marginem implẽt, cum Maro explicet, vinum floreis coronis ornant, vt ex illo 3. Æneid. intelligitur, vbi scribitur. *Tum pater Anchises magnum cratera corona Induit, impleuitq; mero.* Coronabant enim pocula & hilaritatis caussa conuiualis, & libationis: vt Maronis expositio melior sit, quàm Græcorum interpretum. Turneb. lib. 12. cap. 13. * *κρατὴς dictus est, quanti κρατὴς, quod veteres è cornu bibere solerent: inde factum verbum κρᾶσαι miscere, seu temperare vinum. Putat Mercurial. Variar. lib. 1. cap. 22. hoc rudibus eorũ moribus tribuendum, & quia forte crediderint, inde potandi maiorem securitatem accedere. Nã reges Indorũ ex Asini Indici cornu bibere voluisse, auctor est Ælianus, sperãtes, à morbo epileptico, & venenis inde tutos fore. Ritus huius coronandi pocula testis citetur etiã Tibullus lib. 2. eleg. 5.*

Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadit,
Aut è veste sacris tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.

Græcorum autem fuisse consuetudinem, quod & Turnebus notauit, ꝓcedente conuiuio, seu secundũ conuiuiũ proculis maioribus poscere, id est, inuicẽ se pronocare, testatus est in 3. Verrin. M. Tullius his verbis. Fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur: hospes hortatur, poscunt maioribus poculis. Voluit hac oratione significare Cicero, quod Græci dicebant τὴν μείζονα αἰτεῖν, subaudientes vocẽ κύλικα. Consule, si otium est, Victor. lib. 22. cap. 1. Est autem hoc admirari solitus Anacharsis Scytha: quippe qui arbitraretur potum non ad aliud adhibendum, nisi ad sitim depellendam. Quamobrem perabsurdè fieri, si tum plus bibatur, cum iam nulla restet sitis.

Cæterùm cur in conuiuijs publicis contrariis poculis vterentur, in principio scilicet minutis, in fine verò amplioribus, caussam rationi consentaneam ex Alexandri Tralliani problem. 1. refert Mercurialis Variar. lib. 1. cap. 22. Epularum gratia, in quibus frequentius bibere decebat, vt crebrius potarent, ideo à paruis incipiebant: quippe cum parua pocula implere satis, vbi liberalissimè potare liberet, nequirent. Quod si ab amplioribus incepissent, æque repleri necesse erat, & subinde minus potare: siquidẽ natura à largo protinus haustu accepto velut expleta, copiam omnem subsequentem contemnit. Exaduerso, si paruis poculis assuetæ, paulatim ampliora exhibeantur, facile copiam quamcunq; sustinet.

Verumenimuero aduersus ista immania pocula, haustusq; immodicos, & crebros quid Athenæus lib. 11. ca. 21. ex Symposio Xenophontis à Socrate dictũ narret, in rem nostrã erit cognoscere. Videntur mihi etiam virorum corpora idem pati, ꝓ plantæ, quæ in terra natæ fuerint. Illæ siquidem, vbi cæli frequentibus imbribus irrigatæ sunt, nullo se pacto erigere possunt, neq; auris perflantur. Verùm vbi quantum sufficit biberunt, & rectè, & feliciter surgunt, & ad fructuum generationem

A facillimè producuntur. Sic nos etiam sumus affecti. Nã si potum frequentiorem hauriamus, statim & mens, & corpora nostra ab æquitate declinãt, ac ne respirare, nedum dicere quidquam possumus. Quod si nobis pueri in minora pocula irrorauerint, vt Gorgoneis verbis & ipse vtar, sic vino non coacti ebrij fieri, verum leniter commoti, in comitatem lætitiamq; conuertemur.

DEPENDENT LYCHNI) Inseruit operi suo Virgilius & græca verba: sed non primus hoc ausus: auctorum enim veterum audaciam secutus est. Sicut Ennius in 9. *lychnorum lumina bis sex.* Et Lucret. in 5. *Quin etiam nocturna tibi terrestria quæ sunt Lumina pendentes, lychni.* Sed hac licentia largius vsi sunt veteres, parcius Maro. B Quippe illi dixerunt & pausam, & machæram, & acaciã, & malacem, & similia. Nec non & Punicis, Oscisq; verbis vsi sunt, quorum imitatione Virgilius peregrina verba non respuit, vt in illo 2. Georg. *Sylvestres vri assiduè.* Vri enim Gallica vox est, qua feri boues significantur. Et 3. Georg. *camuribus hirtæ sub cornibus aures.* Camuris peregrinum verbum est: id est, in se redeuntibus. Et forte nos quoq; hac ratione cameram figuramus. Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 4.

Eadem voce, lychnus, Cicero vtitur pro Cælio. Alia fori vis est, alia triclinij, alia subselliorũ ratio, alia lectorum: non idem iudicum cõmessatorumq; conspectus, lux deniq; alia solis, alia lychnorum. Horatius ferè in cõuiuijs suis lucernas vocare maluit. libr. 3. Ode. 21. *viuaq; C producent lucernæ.* Ode. 8. eiusdem lib. *vigiles lucernas Perfer in lucem.* Iterum. *Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat.* Apud Suet. in Iulio cap. 37. lychnuchi sunt iuuenes, qui vecti elephãtis, lychnos prę ferebant in triumpho Gallico Capitolium ascendenti: aut certè iuuenum simulacra, quemadmodum inquit Lucret. lib. 2. initio. Torrentius in Sueton.

Nunc ad morẽ explicandũ veniamus, hactenus enim de vna voce dictum. Faciemus autem istuc recitato loco Lipsij ex Elect. lib. 1. cap. 3. In omni publica, & priuata lætitia, mos fuit ianuã ornari lauro, & lucernis. Quẽ ornatum intellexit Seneca ep. 67. Quid tu existimas ea tantũ optabilia esse, quæ per voluptatẽ, & otium veniunt? quæ D excipiuntur foribus ornatis? Et Tertul. clarè in Apolog. Cur die læto nõ laureis postes ad adumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, sollemnitate publica exigente inducere domi suæ habitum alicuius noui lupanaris. Apuleio lib. 4. domus tota lauris obsita, tẹdis lucida, strepebat hymenęũ. Eiusmodi autẽ lucernæ pensiles erant, suspendebanturq; catenulis, accensæ ad ædium singularum ianuas, aut fenestras. Has lucernas puto hìc intellexisse Virgilium.

Sed cum poeta dicat, lychnos illos, siue lucernas dependere laquearibus aureis, liceat nobis doctorum opinionem secutos, nominatim Bernartij in Papinium, pace & venia bona Lipsij, de lucernis tricliniaribus interpretari, quarum vsque hodie in peruetustis E marmoribꝰ exempla monstrari dicuntur, vtebanturq; his quondam, si quando in noctem intempestam conuiuij hilaritatem extenderent. Immo candelabrorum olim in cœnis nullus fuit vsus. Noctis tenebras lucernis pensilibus dispellebant. Horat. Ode 8. lib. 3.

Sume Mæcenas cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem.

Reliqua omitto. Non id tamen rigidè verum, scribente Lucret. lib. 2.

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur.

LAQVEA-

LAQVEARIBVS AVREIS) Laquearia ſunt, quæ cameram ſubtegunt, & ornant, quæ & lacunaria dicuntur, quod locos quoſdam quadratos, vel rotundos ligno, vel gipſo, vel coloribus habeant pictos, cum ſignis intermicantibus. A lacu per diminutionem fit lacunar. Inde alia diminutio lacunarium & per antiſtoechon laquearium. Iſid. lib. 15. cap. 8.

HIC REG. G. GEMMIS PAT.) Remotis primis menſis mos fuit, vt calix maximus apponeretur, vini plenus, qui boni ominis cauſa circumferebatur, ac de illo guſtabant omnes. Hoc Athen. fiebat, & nunc in Germania. Regulus.

Non diſpar locus eſt apud Statium, ex hoc vtique conformatus, vt apparet.

Victa fames, ſignis perfectam, auroq; nitentem
Iaſides pateram famulos ex more popoſcit,
Qua Danaus libare deis, ſenioriq; Phoroneus
Aſſueti.

Præterea in poculis erant pateræ, inquit Varro lib. 4. eò quod pateant, latinè ita dictæ. Hiſce etiam nunc in publico conuiuio antiquitatis retinendæ cauſſa, cum magiſtri fiunt, potio circumfertur, & in ſacrificando dijs, hoc poculo magiſtratus dat deo vinum.

TVM FACTA SIL. TECTIS) Regina & locutura, & libatura, rectè tanquam in ſacris fit ſilentium, faueturq; linguis.

IVPIT. HOSPITIBVS) Deus hoſpitalis dicitur, quem hoſpites inuocabant, ſi quando hoſpitium violaretur, Iouem Xenium appellant, quemadmodum amici φίλιον Iouem inuocabant, & ſodales ἑταιρεῖον, & gentiles, id eſt, cognati ὁμόγνιον, & qui eiuſdem fratriæ erant, φράτριον, & fœdere coniuncti ἐνόρκιον, quaſi iuriſiurandi vindicem. Erant autem hoſpitia priuata apud antiquos, quæ magna erat neceſſitudo: idcirco hoſpitium ſæpe pro amicitia ponitur. Fuit item antiqui moris teſſeram dari hoſpitibus dimidiatam, quam quicunque attuliſſet ad hoſpitem, continuò agnoſci poſſet, & hoſpitio accipi, tanquam amicus, & vetus hoſpes. Hoc autem jus neceſſitudinis ad poſteros tranſibat. Ob id teſſeram hoſpitalem diligenter obſeruabant. Plaut. Pænulo. *Deum hoſpitalem, & teſſeram mecum fero.* Qui autem ius hoſpitij violabat, is teſſeram hoſpitalem confregiſſe dicebatur. Idem Ciſtell.

Abi, quære vbi iureiurando tuo ſatis ſit ſubſidij.
Hic apud nos iam, Alceſimarche, fregiſti teſſeram.

Si quem igitur contracti hoſpitij pœnituiſſet, renuntiare hoſpitium ſolebat, ne hoſpitij jus violaret. Cicer. in Verr. act. 3. Itaq; iſte vehementer Sthenio infenſus, hoſpitium ei renuntiat, domo eius emigrat Hoſpitium autem publicè interdum contrahebatur, quæ græcè proxenia dicitur. Liuius lib. 5. de Timaſitheo quodam Liparenſi, qui legatos Romanorum Delphos proſecutus, Romam inde hoſpites reſtituit, à piratis liberatos: hoſpitium, inquit, cum eo ſenatuſconſulto eſt factum, donaque publicè data. * *Inter ſexcenta Iouis cognomina eſt etiam ξένιος & hoſpitalis, quaſi hoſpitij præſes, & vindex, ſub quo cognomine apud antiquos magna religione colebatur. De eo Ouid. 10. Metamorph.* Ante fores horum ſtabat Iouis hoſpitis ara. *Meminit & Cicero pro Deiotaro. Si veneno te interemiſſet, Iouis quidem illius hoſpitalis numen nunquam celare potuiſſet, homines fortaſſe celauiſſet. Vide Bud. annotat. poſter. in Pand.*

HVNC LÆTVM TYRIIS DIEM) Quare appellet diem, cum eſſet nox, tres ponit cauſſas Corradus. Vel intelligendus dies ciuilis, in quo dies & nox continetur. Vel cummore Græco fiat conuiuium, fortaſſe tempus etiã more Græcorum deſcribitur. Athenienſes enim à ſole occaſo ad ſolem iterum orientem, omne id medium tempus vnũ eſſe diem dixerunt. Vel locutus eſt more Romano: qui ſacra, quæ fiebant ſex horis prioribus noctis, diei ſuperiori tribuebant. Tunc verò Dido Ioui libans, quaſi rem ſacram faciebat.

ESSE VELIS) Religioſus veterum mos fuit, quo deos rogabant, vt vellent Plin. libr. 28. cap. 2. In Africa nemo deſtinat aliquid, niſi præfatus Africam: in cæteris verò gentibus, deos ante obteſtantur, vt velint. Ouid. 3. de arte. *O ita Phœbe velis, ita vos pia numina vatum.* Tibull. lib. 3. eleg. 4.

Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et fruſtra immeritum pertimuiſſe velit.

Adi Briſſon. Formular. lib. 1. pag. 69.

ADSIS LÆTITIÆ BACCHVS DATOR) Non tantum vt volens propitiusque eſſet is deus, quem inuocabant, ſed etiam vt dexter adeſſet interdum rogabant, & ſimpliciter, vt adeſſet. Briſſon. Formular. libr. 1. pag. 69. Rectè Virgilius in conuiuijs adeſſe voluit datorem lætitiæ Bacchum. Ornat autẽ, & vt ita dixerim, hilarat cœnam, aut conuiuium etiam vultus placidus, & ſermones admodum familiares, & iucundi. Titi quidẽ filij Veſpaſiani conuiuia non profuſa, ſed iucunditatis plena fuiſſe referunt. Auguſtus quoque maiore comitate, quam ſumptu conuiuia exercuit. Quocirca non pauci in hoc peccant, qui triſtitiam, & ſupercilium afferunt ad conuiuium. Iouian. libr. de Conuiuentia. * *Quoniam ergo hoc vino tribuit Maro, & veriſſimè tribuit, vt animum exhilaret, quod & in diuinis voluminibus ſcriptum reperitur: Vinum lætificat cor hominis, age ſuper hoc argumento Varronis verſiculos recitemus lepidiſſimos.*

Vino nihil iucundius quiſpiam bibit.
Hoc continet coagulum conuiuia,
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.

Tibull. item pluribus, quam latus ſit Bacchus, hoc eſt, quam latos efficiat mortales vini potio, lib. 1. eleg. 7.

Illi (Oſiridi) iucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſolüenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulſa ſonent.
Non tibi ſunt triſtes curæ, non luctus Oſiri:
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor.
Sed varij flores, & frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes.

ET BONA IVNO) In Arcadicis ſcribit Pauſanias, ad ſiniſtram viæ, quæ in montem Mænalum ducit, fuiſſe ἀγαθῆ θεῆ ναὸν, dei boni templum. Quod ſi, inquit, bona contribuunt dij hominibus, inter deos autem ſummatem eſſe Iouem nouimus, conſecutione nimirum probabili coniectare licet, eius dei cognomentum eſſe. Vnde Mantuani vatis interior doctrina retegitur, qui fortaſſe huc etiam reſpiciens, Iunonem Iouis ſororem, dearum maximam, vocauit *bonam*. Rhodigin. li. 28. cap. 6. * *Apertius eſt, ideo vocaſſe bonam, quod Carthaginenſium tutelare numen eſſet. Bonus, valet propitius: propitia erat Iuno clientibus ſuis, quid ni? indicat ille locus ſatis aperte,*

Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, ac numine Diuæ.

IN MENSA LAT. LIB. HONOREM) In menſa, & in menſam legitur. In ſecunda menſa ſolebat libatio fieri, & precatio ad deos adhiberi. Sic Horat. de Auguſto, *& alteris Te menſis adhibent deum.* Id eſt, Romani tui, Auguſte, te pro deo colunt, & in menſa ſecunda (in qua libatur dijs, & obſecrationes fiunt) te vt deum obſecrant, & tibi, vt laribus, libant. Itaque mox libatio apud Flaccum ſequitur. *Te multa prece, te proſequimur*

quimur mero Defuso pateris. Turneb. lib. 24. cap. 35. [*Confer huc quæ ex Macrobio recitauimus in illum Versum lib. 8.* In mensam læti libant, diuosq; precantur, *vbi eiusdem calumniæ, verbis Lipsij respondimus, poetamq; nostrum vindicauimus.*] De poculo autem pleno libabant, id est, defundebant vinum, idq; vel in aram faciebant, vel in mensam, quæ loco aræ erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare, in honorē deorum marinorum. Idem Turneb. lib. 11. cap. 7. * *Exemplis hæc illustrantur à Bernartio in 1. Thebaid. Vbi & illud notatur, & sitatum fuisse in hac libatione, vt capiti coronas imponerent, etiam in mensa. Virgil. lib. 7.*

Huc pateras libate Ioui, precibusq; vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat.

Et lib. 8.

Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
Communemq; vocate deum, & date vina volentes.

Olim si dijs superis libarent, poculo supino id faciebant: si dijs inferis, prono, & inuerso. Magnæ autem poculum id æstimationis habebatur, quo libatio peragi solebat. Atque ideo Amphitryoni apud Plautum talis phiala pro ingenti præmio donata fuit. Ægyptij eo poculo augurari consueuere. Gen. 44. Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est, è quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet. Nannius. lib. 7. cap. 8.

LATICVM HONOREM) Honoratum laticem, quippe deo consecratum, aut quo deo esset honor habitus. Et crebro Virgilius sacrificia, resq; numini dicatas nomine honoris afficit, quia dijs sint honori.

SVMMO TENVS ATTIG. ORE) Verecundè, vt decebat, non pleno haustu, sed summo tantum ore vinum attingit Dido, pitissat. Quo pacto honestè se gerant mulieres in potu, docet Clemens Alexand. Pædagogi lib. 2. cap. 2.

TVM BITIÆ DEDIT) *Non dubium est quin propinationes, & inuitationes ad compotandum, siue, vt honestius dicam, ad combibendum, ad amicitiam vel instituendam, vel confirmandam & pertineant hodie, & olim quoque pertinuerint.*] Non temere Virgilius nomen Bitiæ induxit: nam id non fictitium, sed de historijs mutuatum. Bitias enim Cypri sacerdos: ad quem cum venisset Dido, ipse se ei coniunxit, cum magna manu puellarum. Fuit autem & alter Bitias, magister equitum, quo tempore Carthago capta est ab Africano minore. Merito igitur regina vel sacerdoti, vel magistro equitum, vt primæ inter suos dignitatis viro primum propinauit. Est tamen iucunda allusio, quasi non Bitias, sed Bibias dictus sit, & propterea illi auiditas meri. Qui cum reginam tenuiter degustasse vidisset, ipse totum poculum ingurgitauit. Nanniùs lib. 7. cap. 8. * *Huius Bitiæ, & pateræ, illi à Didone regina præbitæ mentio fit à Martiale lib. 8. vbi Eucti cuiusdam poculum, seu potius Euctum, crateris sui antiquitatem immodestè laudantem irridet.*

Hac propinauit Bitiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cum data cœna viro est.

DEDIT INCREPITANS) Quod forte aliò respiceret, quod non statim, vt decebat, acciperet.

IMPIGER HAVSIT SPVM. PATER.) *Haustus, vt vere dicam, Germanicus. Hic enim terrarum non est inusitatum spumantes haurire pateras, ac pleno si non auro, certè vitro, & eo ingenti* (Wilkum *vocant*) *se proluere. Vide adag.* ἀμυδὶ πίνειν, inn einem suff. *Festiuissimum caput est apud Muretum, cui plurimum se debere fateantur oportet politiorum litterarum cultores, quod huic loco, quem habemus in manibus, illustrando, seu potius occasione verborum Maronis, artium ingenuarum studiosis gratificandi caussam bonam partem subtexere statui. Est autem Variar. lect. 8. lib. 4.*] Aristoteles lib. 3. ad Nicomachum homines intemperantes & asotos, cum in ijs voluptatibus versari dixisset, quæ gustatu percipiuntur, quæq; A tactu, addit postea, eos gustatu nihil omnino, aut perparum vti. Cum enim gurgites illi, ita vinum in gutur suum, quasi in vtrem aliquem inuergant, nihil curantes, nisi vt quam plurimum exhauriant, prope vt percolando vino nati esse videantur: non admodum possunt eius suauitatem percipere: cum contrà, delicati & elegantes homines, qui grato illo liquore linguam sibi, ac palatū titillari volunt, paulatim id in gurgulionem instillent verius, quam infundant, guttatim prope ducentes: etiam antequam bibant, oculis poculum sæpe, ac naribus admouentes, nulla vt sit in eo particula suauitatis, quam non ipsi accuratè exprimant, exquisiteq; persentiant: quod in Euripidis Sileno optimè cerni potest. Id non faciunt, qui gutture tantum pro infundibulo vtuntur.

Tralationem certum est Maronem duxisse à belluis, quas videmus dum bibunt plerasq; tota labra, totum rostrum in aquas immergere. Sic Persius prolog. *Nec labra fonte prolui caballino.* De veriloquio pateræ supra dictum ex Varrone. Horat. Ode 13. lib. 1.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat de patera nouum
Fundens liquorem?

Consuetudo Persis fuit, vt nobiliores, rerumq; administrationi, & actioni aptiores crederentur, qui postquam vino se affatim proluissent, mente nihilominus consisterent. Ex quo Cyrus Darij filius, cum de se ad Lacones daret litteras, non solum fratri se Artaxerxi magica disciplina præstare, sed in perpotando mero adeo excelluisse asseruit, vt quamquam esset supra cæteros multibibus, vsum tamē mentis retineret. Iam de vino, & vini potoribus, pretium operæ censeo cognoscere, quid Hebræorum eloquentissimus Philo, commentario de Temulentia differat. *Suapte natura genus humanum est ad vinum procliue, quo vix vnquam saturatur, quando somno, cibo, coitu, similibusq; rebus nemo non expletur, mero autem non item, præsertim qui exercent hoc studium: bibendo enim sitiunt, incipientes à minoribus cyathis: procedente vero potatione, iubent pincernas in maiores infundere calices: postquam incaluerunt iam, parum sui compotes, infundibula, crateres, amystides integras exhaurientes, & merum ingurgitantes, donec profundus somnus occupet, iam nec se ipsos, nec quæ ingesserant continere valentes, regurgitando potu nimio. Et tamen sic quoque insatiabilis appetitus, tanquam famelicus, furere non desinit.* Hactenus Philo. Suggerit nobis memoria nobilissimum potatorem Bonosum, de quo apud Vopiscum est his verbis. De Bonoso, quem militiæ caussa in honore habebat, dicebat Aurelianus: non vt viuat natus est, sed vt bibat. Qui, quamlibet bibisset, semper securus & sobrius, & adhuc in vino prudentior. Et quantum biberat, tantum meiebat, neque vnquam aut eius pectus, aut venter, aut vesica grauabatur. Cum laqueo vitam finisset, dixit quidam, amphotam pendere, non hominem. Vt absoluam, qui gloriantur se quam plurimum bibentes non fieri ebrios (& sunt qui glorientur) ijs respondendum, quod ob hoc ipsum glorianti respondit Diogenes: hoc etiam mulus facit. corollarium sit, quod ait Theognis.

Οἶνον τοι πίνειν πολὺν κακόν, ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ δεπεσαμένως, οὐ κακός, ἀλλ' ἀγαθός.

PLENO SE PROLVIT AVRO) Horat. sat. 5. lib. 1. *Multa prolutus vappa.* Et sat. 4. lib. 2. *leni præcordia mulso Prolueris melius.*

CITHARA CRIN. IOPAS) *Iopas canit ea, quæ maximus Atlas docuit. Ea vero sunt quæ sequuntur, quæ pertinent ad astro-*

ad astrologiam, & philosophiam, quarum peritissimus Atlas fuit, Vnde cælum sustinuisse dicitur. Corrad. Recte ne an secus faciant, qui Musicos adhibent in conuiuio, ex Platone, Xenophonte disputat Muretus lib. 6. cap. 15. quem licet ipse legas. In eodem, huius etiam loci meminit.] Inter cœnandum veteres acroamata omnis generis adhibebant: nam aut symphonia personabat triclinium, aut instrumenta, organaq; varia concinebant, aut tragœdiæ, comœdiæ, mimiq; agebantur, aut spectacula alia iucunda inducebantur: incendebantur & odores naribus gratissimi. Seneca de vita beata cap. 11. Aspice, inquit, Nomentanum, & Apicium, terrarum ac maris, vt isti vocant, bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vides hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes, mollibus, lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus. Et ne nares interim cessent, odoribꝰ varijs inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentetur. Liuius lib. 29. Tunc psaltriæ, sambucistriæq;, & conuiualia ludionum oblectamenta addita epulis. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. 4. de Augusto. Delectatus inter cœnam erat pueris symphoniacis Turonij Flacci mangonis, atque eos frumento donauerat, cum in alia acroamata fuisset liberalis nummis. Hinc in marmoreis triclinijs fidicinas, & aulœdos scalptos videmus. Plaut. Sticho.

Lectos eburatos, auratos, Babylonica peristromata,
Consutaq; tapetia, fidicinas, tibicinas, sambucinas.

Qui mos iam inde ab heroicis vsque temporibus ductus videri potest, vt ostendit Homerus, apud quem in Phæacum conuiuio canit Demodocus, in Ithacensium Phemius. Quem morem notat Athæneus lib. 1. cum inquit. ἐχρῶντο δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ θαρῳδοῖς, καὶ ὀρχηστάις, &c.

Rhodig. libr. 7. cap. 1. effusè laudans poetam, & poeticam, inter alia sic habet. Iam illud quale est, quod apud eminentissimum quemq; poetarum legimus, in regum, principumq; symposijs, deorum, heroum, & omnino virorum excellentium, qui lucem nobis suis virtutibꝰ pepererunt, laudes suauiter concini? Nonne insignis est, & maximè efficax ad bonam frugem cohortatio? An Iopas ille, cum canit errantem lunam, solisq; labores, altiores item scientias, physicenq; totam carminibus insertam non perdocet manifestè? Proindeq; non esse poeticen, vt somniauit Epicurus, ὥσπερ ὀλέθριον μύθων διέλκας. * *More fuisse receptum multis ante ætatem suam sæculis, vt in epulis carmina de clarorum virorum laudibus à conuiuis canerentur, traditum à Catone in Originibus. Auctor M. Tull. Tuscul. 1: & in Bruto. Quin δοκιμάζειν αὐταρχῶ τὸ ἐν κώμοις ἄδεσθαι τὰς ἐπαίνους τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. Est autem citharista qui pulsat citharam: citharœdus, qui simul vocem adhibet, quod credibile est fecisse Iopam, & apud Homerum in Odyss. facit Demodocus, Græcorum in patriam euersa Troia reditum canens.*

ERRANTEM LVN. SOLISQVE LABORES) Antiquissimam extitisse Musicen, omnium studiorum in litteris, testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia conuiuia laudes heroũ, ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virgilianus, nonne canit errantem lunam, solisque labores, &c. Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, musicen cum diuinarũ etiam rerum cognitione esse coniunctam. Hæc Quintilian. lib. 1. cap. 10. Eiusmodi res, astrologicas, inquam, & naturales, canit Apollo inter Musas apud Statium lib. 6. Thebaid.

Interea cantu Musarum nobile mulcens
Concilium, citharæq; manus insertus Apollo
Parnassi summo spectabat ab æthere terras,
Orsa deûm (nam sæpe Iouem, Phlegramq;, suiq;
Anguis opus, fratrumq; pios cantarat honores)
Tunc aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat,
Spiritus, vnde animi fluuijs, quæ pabula ventis,
Quo fonte immensum viuat mare, quæ via soles
Præcipitet, noctem quæ porrigat, imáne tellus,
An media, & rursus mundo succincta latenti.

ERRANTEM LVNAM) Quia vna est è septem planetis, id est, errantibus. Falso autem vocari stellas errantes, docet Cic. de natur. deor. & Plato in 7. de leg. Vagam nominat Horat. sat. 8. lib. 1. quod eius cursus non est rectus, sed obliquus & vagus.

SOLISQVE LABORES) Vel quos ipse sol sustinet, quum facit, quod ait apud Ouid. 2. Metam.

Nitor in aduersum, nec me, qui cætera, vincit
Impetus, & rapido contrarius euehor orbi.

Vel defectionem eius significat.

IGNES) Fulgura, fulmina, & reliqua id genus.

PLVVIASQVE HYADAS) Quod ab earum exortu pluere crebrius incipit, vnde nomen ductum, vt M. Tullio placet. Pluuias denunciant illæ stellæ, atq; adeo important. Vnde Horat. Ode 3. lib. 2. tristes. Idem quoq; nominat pluuios ventos, qui imbrem inuehunt, & cælum pluuium Varro, & ver pluuium Columella.

GEMINOSQVE TRIONES) Quid sint triones, & vnde nata vox, docet Varro de ling. lat. lib. 6. cuius verba ponemus. E queis signa sunt, quod has septem stellas Græci, vt Homerus, vocant ἅμαξαν, & propinquum eius signum βοώτην: nostri eas septem stellas boues, & triones, & prope eas axem. Triones enim & boues appellantur à bubulcis etiam nunc, maximè cum arant terram: è queis vt dicti valentes glebarij, qui facile proscindunt glebas: sic omnes qui terram arabant, à terra teriones vt dicerentur, e, detrito. Scalig. ad eundem locum in Coniectan. ita scribit. Nævius, Trionum hic moderator rusticus. Puto striones prius dictos, à stria, quam proscindendo sulcos faciunt. Sic & ipse Varro in striam iuber sulcos imprimi. Sic Plinius vetat in arando sæpius striare, id est, sæpius iterare striam. Quamquam melius alij apud Plinium legunt, strigare. Ab eo ergo striones: vt in tritauus, & similibus, s, quæ erat aduentitia, sic in strione, quæ natiua erat, perijt.

QVID TANTVM OCEANO PROPERENT) De spatio dierum atq; noctium Lucret. lib. 5.

Crescere itemq; dies licet, & tabescere noctes:
Et minui luces, cum noctes augmina sumunt.

Infra.

Propterea noctes hyberno tempore longè
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei.

Totum locum de longitudine, ac breuitate dierum, noctiumq; perlege. Obserua appellari solem festiuissima periphrasi, radiatum insigne diei. Sic Cic. in Arateo carmine radiantem vocauit. *Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.*

TROESQVE SEQVVNTVR) Decebat enim Tyrios, qui domi erant, præire: Troianos, vt hospites, & peregrinos, sequi.

INFÆLIX DIDO) Quia pesti deuota futuræ.

LONGVMQVE BIBEBAT AMOREM) Quoniam amor, vt ait in Eunuchum Donat. est occultum quoddam venenum: ideo rectè *bibebat*, tanquam venenum scilicet. Voluit poeta abundantiam, & incremẽtum affectus in regina hac metaphora decalarare. Quãtum alij se complebant vino: tantum se illa amore velut ingurgitabat.

MVLTA SVPER PRIAMO) Sciebat multa, quippe quæ ex Teucro audire potuit, & pingenda in pariete curauit: sed ex ore Æneæ jucundius eadem & plura audire cupiebat. In hoc versu Epanalepsis est, siue conduplicatio, qualis apud Persium sat. 3. *Hoc est, quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.* Et sat. 4. *Vt nemo in sese tentat descendere, nemo.* Et sat. 5. *Centum ora, & linguas optare in carmina centum.* Et 4. Georg. *Ambæ auro pictis incinctæ pellibus ambæ. Super* autem esse idem quod de, docet Festus in *superescit.* Plaut. Aulul. *Dixi tibi mater, iuxta rem mecum tenes super Euclionis filia.* In Cistell. *quid nuntias Super anu?* Cic. hac super re ad te scribam. Et in XII. tabb. Paterfamilias vti super familia pecuniaúe sua legauerit, ita ius esto.

AVRORÆ FILIVS) Memnon, de quo suprà, *& nigri Memnonis arma.* Cecidit in conflictu apud Troiam. Quomodo mater eum luxerit, sic canit Tryphiodorus.

At nati cædem miserata Aurora cruentam
Memnonis, abiecit cælestem mœsta nitorem
Qui solet ante ortum terras conspergere solis,
Dum croceo nubes, ac summos lumine montes
Imbuit, & nubis se atro velauit amictu.

A PRIMA ORIGINE) Lapsus est Seruius, cum *à prima origine* interpretatus est, à raptu Helenæ. Non enim inde cœperunt Græci, sed apertum bellum moliti sunt. Anno decimo, cum armis nihil proficerent, fessi diuturna obsidione, ad dolos & insidias confugerunt, vnde initium perpetuatæ narrationi fieri Dido voluit. Declarat hoc Æneas ijsdem verbis, quibus narrationem exorditur. Modicius cap. 25.

INSIDIAS DAN. CAS. TVOR.) Ad fauorem Troianorum ait, *insidias & casus*, ne virtute videantur superati: & quasi euentu Troia, non fati necessitate conciderit. Ergo ista duo lib. mox sequenti: errores autem tertio.

NAM TE IAM SEPT. PORT.) Per septimam æstatem septimũ annum intellige. Tantum enim temporis abijsse ex Teucro potuit cognoscere. Seruius. Multa hic de septima æstate Corrad. quæ otiosum lectorem postulant. Super ista eadẽ lege Modicium cap. 5. Eius verba referemus lib. 5. ad illum versum, *Septima post Troiæ excidium iam vertitur æstas.*

Obseruatio.

Atq; huius tantum libri exitus non est tragicus: cæterorum omnium tragici. Tam diuersa tamen rerum compositione, vt in animis, ingenijsq; diuinis mirificam excitet admirationem: tanta, tamq; diuersa varietas est. In secundo Creusa eripitur, vt inter deos sit. In tertio vulgari morte Anchises. In quarto seipsam Dido interficit. In quinto Palinurus in mare deturbatur. In sexto Marcello, tanquam mortuo, canitur epicedium. In septimo eorum catalogus texitur, qui ad interitum eunt. In octauo ad clypei picturam multę mortes, Cleopatræ exitium, & gentes victæ. In nono Troianorum strages in suis castris. In decimo Mezentius ab Æneaa interimitur. In vndecimo delentur Volscorum acies. In duodecimo Æneæ manu Turnus cadit. Scalig. Poet. lib. 3. cap. 28.

SYMBO-